THE
WILLIAM R. PERKINS
LIBRARY
OF
DUKE UNIVERSITY

Universitas Dukiana
Eruditio et Religio

Rare Books

LB 8° 76756

Brandmüller
LB 532. 566

CONCIO-NES NVPTIALES XL. EX VETERE TE-ſtamento, & XX. ex nouo,

IOANNIS BRANDMIL-leri, paſtorum Eccleſiæ Chriſti in vrbe Baſilienſi minimi.

Cum Præfatione in principio, & Indice rerum ac verborum memorabilium in fine.

Denuò ab authore recognitæ & auctæ.

Heb. 13.
Honorabile eſt inter omnes coniugium, & cubile impollutum. Scortatores autem & adulteros iudicabit Deus.

BASILEÆ,
Ex officina Petri Pernæ.
M. D. LXXIX.

E B818

NOBILITATE AC PRVDENTIA ORNAtiſſimis viris,Conſulibus,atque Senatui,Eccleſięq; Imperialis Reipub.Colmarienſium,Dominis ſuis plurimum obſeruandis,fauorem & pacem à Deo patre per Ieſum Chriſtum,optat Ioannes Brandmillerus.

EST HOC NON ſolùm in more poſitum, inſtitutoq́ maiorum viri præſtantiſſimi,ſed etiam hodie in communi vſu ac conſuetudine, vt, quando matrimonia contrahuntur & confirmantur, imò ante nuptiarũ celebrationem in ipſis ſponſalibus, mortis fiat mentio,tum viri, tum mulieris, hoc eſt,ambarum perſonarum,quæ in matrimonio collocantur. Teſtatur hoc præter quotidianam experientiam & D.Chryſoſtomus, qui in hunc modum,in Sermone de Fide & Lege naturæ, & ſancto ſpiritu,ſcribit: Eapropter Deus vbiq; ſepul-

chra fieri voluit, vt illis noſtræ ipſorum infirmitatis memores fieremus. Ideo omnis ciuitas, omne caſtellum ante ingreſſum ſepulchra habet, vt contendens intrare in ciuitatem quæ imperat & floret diuitijs & potentatu, alijsq́ dignitatib. priuſquam videt, quod ſecum concipit, videat primum quod ſit. Ante portas ſunt ſepulchra, ante agros ſunt ſepulchra. Vbique ante oculos eſt noſtra humilitatis ſchola, & docemur in quid deſinamus tandem, et videmus qualia futura ſint phantaſmata: neq hîc ſolum, ſed & ingreſſuri ad communionem vitæ, docemur vilitatem ſummam naturæ. Sæpè vir quando vxorem ducere vult, meminit in deſponſatione, & ſcribit in dote. Nondum introducta eſt, & mors ſtatim deſcribitur: nondum conuixerunt, neq nuptiæ habitæ, & mortem ſtatim definit. Nondum nuptam vidit, et mortis aduerſus illam calculos proponit, Scribit in hunc modum: Si mortuus fuerit vir ante mulierem, ſi mulier ante virum, hoc & hoc diſponatur. Sic formatæ ſunt patriæ leges. Vbique omnibus naturæ ſunt monumen-

numen-

numenta: & non ſolùm eorum qui ſunt & viuunt, mortis feruntur ſententiæ: ſed & eorum qui nondum nati. Quid enim vltra dicit? Quòd ſi natus fuerit filius, & mortuus fuerit: nondum fructus & ſententia lata eſt, &c.

Hæc cùm ita ſint, & hodiè ſic fiant, atque olim ſimiliter facta fuerint: neminem eſſe, aut fore arbitror, cui vel mirũ, vel abſurdum videatur, quòd ego (ante aliquot annos) in vno eodemq́ libro ſeu volumine coniunxerim & Funebres & Nuptiales conciones: quarum illæ quidẽ habentur, quum moriuntur, hæ verò quando cõiugio deuinciuntur mortales.

Quod vero præmiſi funebres, atque iis demùm adiunxi nuptiales, & illarum plures, quàm harum poſui: multæ ſunt rationes, quas reddere poſſem.

Principiò nouerunt omnes qui aliquot annos in miniſterio Eccleſiæ fuerunt, nũquam ferè plures nuptias conciliari ac confici ſolere, quàm eo tempore, quo peſtilentia abiit. Atq; vtinam quidam poſſent ſe continere tantiſper à nuptiis, donec illa quidem ſæuire in ipſorum medio

ceſſaret. Experiuntur quoq; ijdem, plus ſemper materiæ ſibi offerri faciendi ſermonem de morte quàm de nuptijs. Quandoquidem illa poteſt eſſe ſingulorum hominum: hæ verò non niſi duorum.

Deinde ſentimus omnes in tota hac vita noſtra ſemper plus fellis, quàm mellis, plus triſtitiæ quàm lætitiæ ineſſe. Credimus autem qui verè Chriſtiani & vocamur & ſumus, longè multoq; melius eſſe prius guſtare amara, quàm dulcia: prius flere, quàm gaudere. Dicit enim Chriſtus Dominus noſter (quem & ſuper ciuitatem fleuiſſe, & in orationibus pernoctaſſe legimus: riſiſſe verò aut iocaſſe nuſquam, vt ſcribit Bernard. Sermon. 4. de Aduen. Domini: quem etiam prius paſſum eſſe, quàm in gloriam ſuam intraſſe, nouimus ex Luc. 24. & 1. Pet. 1.) Beati qui fletis nunc, quia ridebitis. & alibi: Puſillum & non videbitis me, & iterum puſillum, & videbitis me. Amen amen dico vobis, plorabitis & lamentabimini vos: mundus contrà gaudebit. Vos autem mærore afficiemini, ſed mæror veſter vertetur in gaudium. Mulier

lier cùm parit, dolorem habet, quia venit hora eius. Cùm autem peperit puerum, iam non meminit anxietatis, propterea quòd gaudeat hominem eſſe natum in mundo. Et vos igitur nunc quidem mœrorem habetis, ſed iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Sed de his ſatis.

Porrò quoniam ſpero has quoque qualeſcunque conciones, à me in nuptijs quorundam habitas, nonnihil facturas ad eccleſiæ Chriſti cùm inſtitutionem, tum conſolationem: volui eas, ſicut & funebres alijs (quibus collectanea mea placent) communicare. Si lectores in iſtis quædam bona, pia & vtilia reipub. Chriſtianæ repererint, non cupio vt mihi (qui ſum malus, & ſeruus inutilis) pro hiſce gratias agant aut habeant: ſed ei à quo omnis donatio bona & omne donum perfectum, hoc eſt, Deo & patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, accepta referant. Sin verò aliquid malè, perperam, inutiliter, pernitioſéue ſcriptum viderint, velim mihi imputent, ac Deum orent, ne mihi imputet, ſed ignoſcat, propter filium

ſuum dilectum, vt pote qui hoc nec volens nec ſciens, ſed profectò ignorans fecerim. Interea ſi quis amicus & frater in Domino alicuius errati me admonuerit, equidem haud inuitus, ſed libenter id corrigam & emendabo.

Cæterùm mihi dubitanti ac circumſpectanti, quos velim his oratiunculis, ad nouos coniuges & nuptiales homines paratis & dictis, deligere patronos: veniſtis vos, ampliſsimi viri, mihi in mẽtem. Sic enim ipſe mecum cogitaui. Ecce Deus Opt. Max. qui cunctos homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire, pro ſua bonitate et gratia nuper Colmarienſibus ita illuminatos oculos mentis dedit, tantumq́ robur Chriſtianæ fortitudinis, vt abolitis ſuperſtitionibus, & reiectis doctrinis prohibentium contrahere matrimonium, quod inter omnes honorabile eſt, teſte D. Apoſtolo, puriorem euangelij doctrinam amplexi ſint, & eccleſiæ ſuæ reformationem (quod felix & fauſtum ſit) inſtituerint. Vix igitur nunc fideliores hiſce ac magis ſtrenuos patronos nanciſci poteris. Eſt

enim

enim illis adhuc recens quaſi, cogitare quàm impium ſit ac nefarium diligere magis ſcortationem à Deo vetitam & damnatam (vt in Antichriſti regno fit) quàm contrahere matrimonium à Deo inſtitutum, probatum & honoratum. Quoniam autem de hoc diuino inſtituto ſeu ordine Dei, id eſt, de coniugio, nec non de officio coniugum plurima tractantur in his concionibus: ideo placet eas Colmarienſibus dedicare. Quapropter viri præſtantiſſimi, vobis hunc meum laborē offero, & ſub nomine veſtro in publicum emitto, ſubmiſſè rogans, vt eo animo excipiatis eum, quo veritatis euangelicæ doctrinam recepiſtis: de qua vobis læta mente gratulor, inq́; ea conſtantiam & perſeuerantiam opto. Atque huius gratulationis lætitiæq́; aliqua ſignificatio hic libellus eſto. Valete, clariſſimi Domini, in Chriſto Ieſu, vnico veræ ſalutis vitæq́; authore. Baſileæ Calendis Decemb.

Anno ab incarnato VERBO
M. D. LXXV.

NVPTIALIS CONCIO I. EX CAP. GENES. 2.

Textus explicandus.

DIXIT quoq; dominus Deus: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum: faciam ei adiutorium quaſi coram eo. Formatis igitur dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ & vniuerſis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius. Appellauitq; Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & vniuerſa volatilia cæli, & omnes beſtias terræ. Adæ verò non inueniebatur adiutor oportunus. Immiſit ergo Dominus deus ſoporem in Adam: cumq; obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus deus coſtam, quā tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam. Dixitq; Adam, Hoc nūc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta

pta eſt. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt in carnem vnam. Erat autem vterque nudus, Adam ſcilicet & vxor eius: & non erubeſcebant.

TEXTVS EXPLICATIO.

MOſes fidelis Domini ſeruus in opere ſexti diei perſeuerans hoc loco, formationem fœminæ, & coniugij inſtitutionem explicat: vbi hæc ordine nobis expendenda proponuntur.

Primum, formans fœminæ cauſa: ſecundò, ratio formandæ fœminæ: tertiò, vſus fœminæ: quartò, modus formationis fœminæ: quintò, autor coniugij: ſextò, deſcriptio coniunctionis viri & vxoris: ſeptimò, vtriuſque nuditas.

1 Formans cauſa atque autor eſt Deus ipſe. Ita enim ſcribit Moſes: Et rurſum dixit Dominus deus, Faciam homini adiutorium. item: Et ædificauit Dominus deus coſtam, quam acceperat de homine, in mulierem. Vnde fœminæ & matrimonij dignitas æſtimatur. Solent enim opera ex ſuis cauſis ponderari. Contemnunt igitur Deum, qui vetant coniugia. Matrimonium etiam locus ipſe in quo inſtitutum fuit, paradiſus videlicet, & ipſa temporis vetuſtas, cō-

mendat. Vide etiam hìc, quanta optimi architecti Dei potentia, quæ ex tantilla particula, tanquam ex trabe extruxit hoc ædificium, hoc adiutorium, id eſt, mulierem, quæ typum prætulit eccleſiæ ſuper petram ædificatæ, & ex coſta, tam elegantia membra cõcinnauit, tantos formauit ſenſus, & perfectũ & integrum, & abſolutum animal fecit, quod poſsit & colloqui, & communione ſubſtantiæ viro multa afferre ſolatia? Sed qui de nihilo produxit materiam, multo magis potuit facere de modica materia magnam, non per additionem materiæ aliunde ſumptæ, ſed per multiplicationem eiuſdem materiæ in ſeipſa.

2 De ratione & impellente cauſa formationis fœminæ Moſes ita ſcribit: Dixitque Dominus, Non eſt bonum (bonitate ſolitudinem non ferente) vt Adam, id eſt, homo effictus ad imaginem noſtram, ſit ſolus: poſtulat enim caput corpus, maritus ſponſam.

Ratio itaq; formationis mulieris fuit multiplicatio generis humani, quæ non poterat eſſe per ſolum maſculum: & hoc eſt quod dicitur, Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, quia tolleretur multiplicationis bonũ.

Etſi autem hæc verba dicta ſunt de primo homine ſiue terreno: tamen intelligi poſſunt etiam de ſecundo ſiue cœleſti homine, id eſt, domino Chriſto, cuius typum geſsit Adamus, teſte apoſtolo Ephe. 5. Neque id ſolùm,

ſolùm,verùm etiam de cæteris cùm terrenis, tum cœleſtibus hominibus.

Quomodo igitur non fuit bonum, id eſt, cõueniens vel commodũ, vt Adam eſſet ſolus? hoc eſt abſque adiumento ſibi ſimili, id eſt.vxore propria, quæ eſt viri bonum, auxilium, gaudium, donum, benedictio, corona, corpus. Hæc enim omnia prædicantur in ſcriptura de muliere bona. Quia primùm ſimpliciter & per ſe non fuiſſet bonum, pulchrum & decorum, cùm cætera animantia omnia habuerint ſua ſocia atque adiutoria. Quoniam ergo inter cuncta animantia iam formata non inuentum eſt pro homine adiutorium, quod eſſet coram eo & ſimile ei, (ein gehilff / der zu nächſt bey jm ſtunde / oder vmb jhn were / der jhm hülffe ſich mehren vnd neeren / βοηθὸς κατ᾽ αὐτὸν, ὃ ὅμοιος αὐτῷ) in illis ipſis verò animantibus ratione carentibus ſua paria licuit cognoſcere: quomodo non quàm optimè conueniſſet etiam Adæ facere adiutorium ſimile eius? qui tanquam Dominus omnibus impoſuit nomina, & vnicuique beſtiarum & volucrum & brutorum omnium generi, ſuum vocabulum iuxta cõceſſam ſibi ſapientiam & illuſtrem rerũ cognitionem diſtribuit, & hoc rationis & ſermonis munere, in quo non poſtrema pars imaginis diuinæ cernitur, Sirac. 17. Habebat quidem multa adiutotia Adam, veluti omnes creaturas, iumenta, beſtias, volucres:

ſe

ſed hęc licet homini miniſtrent,& nos adiuuent cooperando nobiſcum, irrationabilia tamen ſunt,& homine longe inferiora, neq; illi ſimilia vel ſubſtantia, vel dignitate.

Deinde non fuiſſet Adæ bonum vt ſolus maneret, quia non fuiſſet ei iucundum, cùm nullum confabulatorem haberet: eſt autem homo animal ſociabile, vt ille ait: adeò vt etiam in cœlo nullus cupiat eſſe ſolus. vnde quidam vetus Hebræus: Aut ſocietas, aut mors. Et Cicero: Solem è mundo tollere videntur, qui tollunt amicitiam. Et alius Hebræus כל מי שאין לו אשה אינו אדם Id eſt, Cuicunque non eſt vxor, is non eſt homo. Et Mimnermus: τίς ὁ βίος, τί δὲ τερπνὸν ἄτερ χρυσῆς ἀφροδίτης. q. d. vitam non eſſe vitam ſine dulci coniugio. Item Philippus, οἰνοποτεῖν μετρίως, κουρῆς τ' ἀπολαυσ' ἐρατεινῆς, ἥδιστος βίοτος σὺν φόβῳ ἐστὶ θεοῦ. Id eſt,

Dulce merum, dulcis coniunx; mens conſcia recti:
Nil tribus his cunctis dulcius eſſe poteſt.

Præterea nõ fuiſſet bonũ hominẽ manſiſſe ſolũ. Si enim hoc factũ fuiſſet, vnde nanciſci potuiſſemus Immanuelẽ, qui ſemen mulieris exiſtit benedicẽs nos? imò, quomodo potuiſſemus nos omnes naſci? Nonne enim mulieres genuerũt regẽ, & omnem populũ, qui dominatur mari & terræ, & ex illis nati ſunt, & ipſæ educauerunt eos, qui plantauerunt vineas, ex quib. vinũ fit: & ipſæ faciunt ſtolas omnium hominũ, & ipſæ faciunt glo-

riam hominibus, & non poſſunt homines ſeparari à mulieribus: quemadmodum Zorobael ait, 3. Eſd. 4.

Sed quomodo hoc dictum, *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*, ad Chriſtú referri poteſt? Ioan. 12. ipſemet inquit: Amen amen dico vobis, niſi granum frumenti deiectum in terrá mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi verò mortuum fuerit, multũ fructũ affert.

Quomodo ad terrenos homines. 1. Adæ filios? Apoſtolus dicit, 1. Cor. 7. Satius eſt matrimonium contrahere, quàm vri. Item: Qui elocat nuptum, bene facit. & 1. Tim. 5. Volo igitur iuniores nubere, liberos gignere, domum adminiſtrare, &c. Item, Eccle. 4. Melius eſt duos eſſe ſimul quàm vnum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ: ſi vnus ceciderit, ab altero fulcietur, &c.

Quomodo ad cœleſtes & Chriſtianos homines? Ioan. 15. ait Dominus: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos & conſtitui vos, vt eatis & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. & Apoſtolus Heb. 10. Conſideremus nos inuicem in hoc, vt prouocemus ad charitatem & bona opera, non deſerentes aggregationem noſtri mutuam, ſicuti mos eſt nonnullis.

Porrò dictum illud iam ſæpe repetitum, (Non eſt bonum hominem eſſe ſolum) videtur pugnare primùm cum iſto Ioann. 6. Seceſsit Ieſus iterum in montem ipſe ſolus,

Deinde cum illo Pauli 1. Cor. 7. Bonum eſt homini vxorem non attingere. Quod ad primum attinet, ſciendum, quòd pater filium ſuum Chriſtum etiam à vulgo hominũ diſcedentem, non reliquit ſolum, quia quæ placita ſunt ei, fecit ſemper, Ioan. 8. Adhæc nonnunquam expedit verſantibus in hoc mundo, à turba hominum abeſſe, & ſecedere cum Chriſto ad deſertum locum ſeorſim, Matth. 6.14. Quod ad alterum attinet, obſeruandæ ſunt circumſtantiæ rerum & perſonarum. Deus enim dixit, Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, in principio, cum adhuc nullus eſſet homo in rerum natura prę-ter Adamum ſolum, in paradiſo, in ſtatu innocentiæ, propter propagandum humanum genus. Dei autem ſeruus Paulus ſcripſit, Bonum eſſe homini vxorem non tangere, in vltima hora, in mundo, in ſtatu hominũ corrupto, quorum iam magnus erat numerus, propter declinandam afflictionem. Item tamen mox addidit, ne quis putet eum damnare coniugium, Attamen propter ſtupra vitanda, ſuam quiſq; vxorem habeat, & ſuum quæque virum habeat. Qua correctione Apoſtolus ſeipſum exponit, & docet cui homini bonum ſit non tangere mulierem: non omni, ſed illi qui non habet opus fornicari: nemo autem opus non habet, niſi qui dono caſtitatis donatus eſt. Vnde & Origenes Hom. 11. in Exod. Bonum eſt homini mulierem non

non tangere, ſaluo tamen remedio his qui pro infirmitate ſua remedio indigent nuptiali. Denique initio bonum abſque exceptione viro fuit habere vxorem ſibi adiunctam: nunc etiam eatenus bonum, vt interim amarum dulci permixtum ſit propter Dei maledictionem.

3 Vſus fœminæ & coniugij exponitur his verbis: Faciam ei adiutorium, quod præſtò ſit illi: quæ loquutio obſequia prompta & expedita in vxore declarat. Huc reſpexit Apoſtolus, cùm mulierem propter virum factam dicit, quæ viro obſequens eſſet, & vt corpus capiti ſuo parêret, 1. Corinth. 11.

Primus igitur vſus eſt, qui cernitur in opera & ſtudijs, quæ vxor marito præſtat tanquam corpus capiti. Sciebat enim Deus, hominem per peccatum in labores & omnis generis ærumnas prolapſurum.

Alter in augenda ſobole ad conſeruandũ genus humanum: de quo Geneſ. 1. Creſcite & multiplicamini. Atque is ſanè vſus fontem adminiſtrationis domeſticæ, ciuilis, eccleſiaſticæ continet. Eſt igitur coniugium officina procreandi & multiplicandi generis humani, propter eccleſiam Dei.

Tertius adhibetur ad vitanda ſtupra & probroſas libidines, 1. Corinth. 7. Prou. 5. Hæc vtilitas medicinę loco poſt vitiatam naturam coniugio acceſsit: idque aduerſus omnes inordinatas & illicitas commixtiones.

Bonæ igitur nuptiæ, vt inquit Damaſcenus lib. 4. de Orthodoxa fide, cap. 25. ob fornicationes, quas præſcindunt, rabiem concupiſcentiæ per legitimam cōmixtionem non ſinentes ad iniquos furere actus.

Quartus vſus myſticus eſt, qui verſatur in contemplatione arctiſsimæ ſocietatis, quæ inter Deum & populum ſuum exiſtit, ſeu cōiunctionis Chriſti & eccleſiæ, quam nobis arctiſsimum hoc vxoris & mariti vinculum repræſentat, de quo Epheſ. 5. Nam in pio & caſto coniugio præcipuè florent ac dominantur 1. amor mutuus, verus, ardens: 2. fides coniugalis, vt in mutuo amore acquieſcant, nec appetant alios, vel alias. 3. ſocietas bonorum & ærumnarum: 4. generatio. 5. defenſio. 6. ἐπιείκεια tolerans infirmitates & næuos concordiæ cauſa. Hæ ſex res, quas meritò neruos atque artus coniugij poſſumus nominare, teſte Dauide Chytræo, & coniugij adiuncta, (vt Mathias Flacius vocat) etiam in filio Dei & eccleſia ſimili fœdere copulatis perſpicuè lucent.

4 Modum formandæ fœminæ exponit Moſes, quum ait: Et fecit illabi Dominus deus ſoporem in Adam) .i. ſomnum profundum: quia vnam ex coſtis illius ablaturus erat: vt ne ſentiendo dolorem, mulieri ex ſe formatæ, poſtea doloris memor, infenſus fieret: & vt diuinæ ſimul potentiæ opus mirabile oſtenderetur, quæ hominis dormientis

latus

latus aperuit, nec eum tamen à quiete ſoporis excitauit.

Et obdormiuit) Si alterum Adam ſpectes, ex hoc dum in cruce interquieſcit, cœleſtis Eua expromitur.

Tulitque vnam ex coſtis illius) Neceſſarium erat (vt ſcribit Glycas par. 1. Annal.) Euam non itidem, vt in Adamo factum erat, è terra prouenire, ſed ex ipſa potius Adami eſſentia: quo hac ratione mutuus amor coniugibus inderetur. Pars autem robuſtior in hoc ędificium ſumitur, quod quantum onus erat laturum, non fugiebat architectum. Geneſ. 3. enim dicit, Cum dolore paries filios. Non formauit Dominus mulierem de pede, quia non erat ſerua, & quia maritus non debet eſſe tyrannus erga vxorem (vt etiam habetur Diſt. 18. lib. 2. Sentent.) καὶ ὡς λέων ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, Eccleſi. 4. nec de capite, quia non erat viri domina: & quia mulier non debet αὐθεντεῖν ἀνδρός, 1. Timoth. 2. ſed de coſta, quia erat viri ſocia futura, καὶ συγκληρονόμος χάριτος ζωῆς, 1. Pet. 3. Porrò ſicut vnam coſtarum tulit Dominus, ſic vna tantũ eſt eccleſia, vnumque corpus, 4. Eſd. 5. Epheſ. 4.

Et clauſit carnem pro ea) vt ne poſſet diſcuſſo ſomno, quod factum erat, ex vacuitate ſentire: & ne ob ablationem triſtitia afficeretur. In Adamo altero parem commutationem reperias. Quid is communicat vxori ſuæ? quam firmitatem? quod robur?

Nos legimus Ieſa. 53. Si poſuerit pro peccato animam ſuam. & 1. Corinth. 1. Qui factus fuit nobis ſapientia à Deo, iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. Sed quæ viciſsim reddit ſponſa? Legimus in eodem Prophetæ capite, Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Poterat Deus (Auguſtino teſte tract. 15, in Ioan.) poſſe os reddere, poterat ad faciendam mulierem nõ coſtá, ſed carnem detrahere: ſed detraxit os, & detracto oſſe, formata eſt mulier, & in locum oſsis caro adimpleta eſt. Quid igitur ſignificauit? Facta eſt mulier in coſta tanquã fortis: factus eſt Adam in carne tanquam infirmus. Chriſtus eſt & eccleſia. Illius infirmitas noſtra eſt fortitudo.

Et ædificauit Dominus deus coſtam, quã acceperat de homine in mulierem) Ædificata autem Heua dicitur è coſta maritali, quæ inſtar ædificij ſic parata ſit, vt ad concipiendum fœtum, & eum geſtandum, pariendumque apta eſſet. Eodem tropo liberi בנים dicuntur, quaſi parentum ſtructura & ædificium: & fulturę generis, familiam ædificantes. Deinde quia figura fuit eccleſiæ Chriſti, cui Ædificandi verbum non rarò attribuitur, vt Matth. 16. 1. Corinth. 3. Epheſ. 4. Quanquam hoc verbo ſignificatur etiam ex illa cõiunctione maris & fœmellæ, ædificari familias, ex familijs ciuitates, & inde regna. Rerumpublicarum. n. & imperiorum ſeminarium

rium eſt coniugium. Sunt autem nunc in vtroque latere viri & mulieris coſtæ duodecim. Ideò antea veriſimile eſt in Adamo tredecim iuga coſtarum fuiſſe, ex quo Heua ædificata eſt: iuxta quorundam ſententiam.

5 Author coniugij ſiue cauſa efficiens fœderis coniugalis indicatur his verbis: Et adduxit eam ad hominem illum. Quis? Dominus deus. (à quo vxor bona teſte etiam Salomone, Pro. 19.) quam? mulierem Heuam. ad quem? virum Adamum: oſtendens quòd propter illum iſtam condiderit. Hæc ſunt ſponſalia & ſacra fœdera, quibus Deus fœminam tanquam paranymphus ſeu nymphagogus & pronubus (ita enim Theodoretus Deum vocat in Epito. diuin. decretorum) cum marito coniunxit, commendans illam Adamo, vt futuram generandæ, educandæque ſobolis coniugem. Non enim legitur hìc: Et rapuit ad ſe Adamus Heuam: ſed, Adduxit Deus: quod ſignificans Dominus dicit Matth. 19. Quos Deus coniunxit, homo ne ſeparet. Eſt igitur coniugium indiſſolubilis coniunctio vnius maris & vnius fœminæ, quæ legitimè coniungi poſſunt, inſtituta diuinitùs, vt agnoſcamus Deum eſſe mentem caſtam, & in caſtitate ei ſeruiamus, & hoc modo propagato genere humano colligatur æterna eccleſia Deo.

6 De coniunctione & arcta familiaritate viri & vxoris, & communione omnium rerũ

inter ipſos, Adamus ita loquitur, accepta prophetica gratia: Hac vice) id eſt, nunc facta eſt ex viro mulier, poſthac non ſic erit: ſed ex muliere vir, imò non ex muliere, ſed ex vtriuſque cooperatione, 1. Cor. 11. vel, hac vice, ſubaudi, deprehendo ac video, vel agnoſco Deum mihi feciſſe auxilium ſimile mihi, per q; omnia mihi reſpondens. Eſt enim os, &c.

Os de oſsibus meis) Sed vnde aut quomodo Adam cognouit eam pro oſſe ſuo? vtique doctrina Spiritus ſancti afflatus.

Et caro de carne mea) Coſta enim illa, de qua formata eſt mulier, non fuit ſumpta de latere Adami nuda, ſed cum aliqua carne. Quemadmodum autẽ Adamus agnouit Euam ꝓ carne ſua: ita Chriſtus ſeipſum perſecutionẽ pati dicit, cũ patitur eccleſia. Act. 9.

Hæc vocabitur virago) Mulierem vt in cęterarum rerum, ita etiam in nominis viri venit communionem, quæ ab איש, id eſt, viro אישה quaſi vira, vel viriſſa, ἀνδρίς, vt Aquila vertit, denominata ſit.

Eò quòd de viro ſumpta ſit ipſa) iterum ablationem coſtæ inſinuat. huc ſpectans Apoſtolus, dicit: Non enim eſt vir ex muliere, ſed mulier ex viro. Hinc quoque illa viri gloria, quem veneretur, dicitur, vt vir Dei gloria quem honoret, & cuius maieſtatem prædicet.

Propterea deſeret vir patrem ſuum & matrem ſuam) priuatim habitaturus, nec non

inceſtam

inceſtam libidinem vitaturus. Relinquet enim maritus parentes, non quantum ad dilectionem, quia filius non poteſt denegare parentes: ſed quantum ad cohabitationem, quia filius cùm eſt vxoratus, ſtatim eſt emancipatus, & neceſſe habet prouidere ſibi & vxori & familiæ.

Et hærebit cum vxore ſua) atque ádeò fidem ſeruabit vxori ſuæ. Non dicit cum vxoribus: nec niſi vna Heua exprompta eſt ex Adami coſtis. videris Chryſoſtom. Tom. 2. pag. 130. Hom. 38. de Inuent. ſanctæ crucis. Verbo autem Adhærendi, intima viri & vxoris coniunctio ſignificatur, de qua Sapientia Ecclesi. 25. Tribus rebus exornor, & apud Dominum & apud homines venuſta efficior: eæ ſunt, fratrum concordia, propinquorum amicitia, & vxor atque vir inter ſe conſentientes: vel, vt Græcus textus habet, γυνὴ καὶ ἀνὴρ ἑαυτοῖς συμπεριφερόμενοι. & Eccleſi. 40. Amicus & ſocius commodè conueniunt: ſed vtrumque antecellit vxor iuncta viro. Hinc de Iſaaco & Rebecca legitur, Gene. 24. Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris ſuæ, & accepit eam vxorem: & in tantum dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret. Vt autem nullum in humanis arctius vinculum coniugio, cuius cauſa parentes quoque homo relinquere iubetur: ita non arctum modò, ſed inſeparabile eſt fœdus, quo nos ſibi deuinxit

Deus, à cuius dilectione nihil nos ſeparare poteſt,

Eruntq; in carnẽ vnam) vel, in carne vna: id eſt, officia dilectionis mutua exhibebunt. Vir igitur ſi diligat vxorem, carnem ſuam dilexerit: & eam ſi odiat, ſe oderit. Quî igitur inuiſam Chriſtus ſponſam ſuam odio habeat? in quo typi corpus & veritas cernitur. Notandum autem quod hæc verba, ϗ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν (Sic. n. L X X. verterunt) in Euangelicis ſcriptis inueniantur ad diuerſas cauſas translata. Primum quidem Chriſtus ea vſurpat Matt. 19. ad probandum, quòd nõ liceat vxorem quauis de cauſa, more Iudæis recepto, repudiare, & alteram in matrimonium ducere. Hæc inſignis doctrina eſt. Ex ijſdem verbis Apoſtolus ad Eph. 5. ratiocinatur, arctiſsimam eſſe mariti & vxoris coniunctionem, charitatemque indiſsolubilem. Vbi ſanè egregia inſtitutio commendatioque eſt vitæ coniugalis propoſita. At 1. Cor. 6. colligit ex illis verbis, eum qui ſcortatur, mẽbra ſua facere membra meretricis. Faciunt igitur eadem verba ad morum correctionẽ. Hoc autem pacto, ex quacunque hiſtoria, multiplex & varia eruditio ſpiritualis, ab ijs qui diligentes ſunt, colligi poteſt.

7 Porrò de nuditate Adami & Euæ in paradiſo Moſes ita loquitur: Fuerunt autem ambo illi nudi, homo, inquam, ille, & vxor eius, & non erubeſcebant: vel, non confuſibiles

les ſe reddebát. Peccato enim & præuaricatione nondum præſente, gloria, quæ ſupernè venerat, veſtiti erant: & quaſi angeli verſabantur in paradiſo, non concupiſcentijs flagrantes, non ab alijs affectionibus infeſtati, non naturæ neceſsitatibus obnoxij: ſed prorſus incorruptibiles & immortales conditi, neque vel veſtimentorum amictu ibi egebant, vt Chryſoſtomus ſcribit. Præclarus ſanè fructus innocentiæ eſt bene ſibi conſcia nuditas, & animus pudoris neſcius. Ac quoniam hodie videmus neq; pueros ex ſua nuditate erubeſcere, demus operam vt quoque ſimus pueri, non quidem ſenſibus, ſed malitia, ne pudefiamus, quando cuique reddet ſecundum opera ſua Dominus Ieſus, qui diſcipulis ſuis dixit, Matthæi decimo octauo: Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut pueri, non ingrediemini in regnum cœlorum: de cuius poſſeſsione vtinam noſtrûm nullus depellatur, Amen.

CONCIO II.

Geneſ. 3.

MVLIERI quoque dixit: Multiplicando multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. In dolore pariès filios, & ad virum tuum deſiderium tuum, & i-

pſe dominabitur tui. Adæ verò dixit, Quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra propter te, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: ſpinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In ſudore vultus tui veſceris pane, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.

1 Eſt hoc in more poſitum inſtitutoque maiorum, vt teſtari volentibus coram eccleſia Chriſtiana, ſe coniuges eſſe, prælegantur quædam capita ex verbo Dei, ne videlicet illud vitæ genus honeſtum & laudabile ingrediantur abſque ſcientia & intellectu Dei & verbi eius, quemadmodum infideles facere ſolent: de quibus Raphael angelus Tob. 6. Hi namque qui coniugium (inquit) ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmomium ſuper eos.

2 Sunt autem ſex capita, quæ illis potiſsimùm proponuntur: idque à miniſtris Eccleſiæ: quos ante 1000. annos publico ritu nouos coniuges coniunxiſſe, ex Nicephoro lib. 14. cap. 55 apparet. vbi Syneſius dicit, Deum & leges, & ſacram Theophili manum, vxorem

xorem ſibi dediſſe. Idem conſtat ex Martini decreto Diſtin. 24. capite Sponſus. Vbi iubentur ſponſi & ſponſæ in templum venire, & à ſacerdote benedictionem accipere.

Primùm eſt de inſtitutione matrimonij, cuius author Deus exiſtit, teſte Moſe, Geneſis ſecundo cap. Idem eſt qui & amorem mutuum in cordibus nubentium excitat, Gen. 24. Prou. 18. 19. Tob. 3. Eccleſi. 26.

Alterum de arctiſsima & indiſſolubili familiaritate & coniunctione mariti & vxoris: cuius Chriſtus meminit contra Phariſæos, Matthæi 19.

Tertium de præceptis Dei indicantibus officium, quod vterque coniugum facere tenetur: qualia habentur, Exod. 20. Epheſ. 5. Coloſ. 3. 1. Pet. 3.

Quartum de benedictione, qua benedixit Dominus maſculo & fœminæ, Geneſ. 1.

Quintum, de cruce & afflictione, quam poſt peccatum impoſuit Deus in matrimonio collocatis: de qua hoc loco, & 1. Corin. 7. vbi dicit Apoſtolus: Attamen afflictionem in carne habituri ſunt huiuſmodi. Et Geneſ. 25. Vbi Rebecca grauida inquit, Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere?

Sextum, de conſolatione, quam ſub cruce poſiti accipere debent, ne ſub ea deſpondeant animum atq; pereant. Chriſtus enim peccatum, propter quod onus afflictionũ nobis

incumbit, in ſe ſuſcepit, & ſua cruce noſtrâ, ſiquidem credimus in eum, benedixit & ſanctificauit. Vnde Dauid Pſalmo centeſimo vigeſimooctauo: Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius: Labores manuum tuarum manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Vxor tua ſicut vitis fructifera, &c. Item Paulus, 1. Timoth. 2. *Mu*lier ſeducta, obnoxia facta eſt tranſgreſsioni: ſalua tamen fiet per generationem liberorũ, ſi manſerit in fide ac dilectione, & ſanctificatione cum caſtitate. Hinc Chryſoſtom. Hom. 5. de Pœnitent. O magnum donum, quod in pœnam dedit Deus, in ſalutem vertit: peccatum triſtitiam peperit, triſtitia peccatum contriuit: & quemadmodum vermis in ligno natus idipſum comminuit: ſic triſtitia de peccato nata, peccatum comminuit per pœnitentiam inducta.

Cæterûm penultimi capitis hîc præcipuè fit mentio, nempe neceſsitatis & afflictionis, quam habituros coniuges Scriptura prædixit. Mulieri enim multa ſunt patienda ante partum, in partu, & poſt partum. Viro, in colenda terra infelici: quæ aut ſpinas proferet, aut victum quidem, ſed non ſine labore & ſudore: & in quam tandem ſit conuertendus. Ad mulierem enim, inquit Dominus: Multiplicando multiplicabo dolorem tuũ) id eſt, Ego quidem volebam te citra dolorẽ & ærumnam viuere, liberam ab omni mœrore

rore & triſtitia, omniq́ue voluptate afflue-re:at quia non vſa es vt oportet tanta proſpe-ritate, ſed affluentia bonorum eò te ingrati-tudinis adduxit: propterea tibi frenum im-pono, vt ne amplius laſciuias, ad triſtitias & gemitus te condemnans. Anadiploſis Hebraica certitudinem & ærumnarum vim declarat, quibus hucuſque nihil decedit, conſtanter durante muliebri dolore per menſes, conceptus, partus, & liberorum educationem. Proponitur autem primò ſumma, more Hebraico: quam deinde ſacra narratio per partes exponit.

Et conceptum tuum) καὶ τὸν στεναγμόν σου: dolorem ex conceptu natum. Totum tempus ſignificatur nomine conceptus, quo in vtero fœtus fertur: omniſque anguſtia, quam habet mulier à conceptu vſq; ad partum. Tempus ſanè plenum moleſtia & cruciatu. Declarant hunc capitis dolores, deliquia animi, laſsitudines, oculorum vertigines, faſtidium in cibis, redundantia ſtomachi, crurum & inguinum tumor, &c. Grauior tamen fœminæ, quàm maris conceptus. Hæc ſunt initia generis humani poſt caſum.

In dolore paries filios) Conceptum partus ſequitur, altera miſeriæ pars, cuius magnitudinem res ipſa declarat: & reliqua ſcriptura, quæ maximam quamque afflictionem cum parturiendi labore comparat, vt Ieſa. 13. Ierem. 6. 48. Ezech. 30. Hoſe. 13. Mich. 4. 5.

Ioan. 16. Itaque apud Græcos, ὠδὶν, dolor & partus eſt.

Et ad virum tuum erit appetitus tuus) id eſt, pendebis à viro tuo: ſub viri poteſtate eris: viro obedies explens eius cupiditates. Loquutio Hebræis frequens, deſiderium ſiue appetitum alicuius ad alterum eſſe, pro alterius arbitrio ſubiectum eſſe. Significatur item mulieri omne præſidium in viro, ad quem velut ad portum confugiat, poſitum eſſe. Huc ſpectaſſe videntur & Græci in voce ἀποστροφή. Tertia igitur diuinæ ſententiæ pars eſt, vt ὕπανδρος, i. viro ſubdita ſit mulier, non libera aut proprij iuris, vt ſequitur.

Et ipſe dominabitur tibi) Ciuili, non tyrannico imperio: cum ſcientia, vt caput. Contra naturæ igitur legem, & hanc in mulierẽ latam ſententiam, fœminæ imperium, ſiue publicum, ſiue priuatum obtinent.

Ad Adam verò dixit (qui nullam veniam, culpa in mulierem reiecta, aſſequutus eſt.) quia audiſti vocem) qui meam audire debebas, vt gloria & imago mea.

Vxoris tuæ) quam verbo meo regi à te oportebat, non ei tibi contra mandatum meum obſequendum.

Et comediſti de arbore, de qua præcepi tibi, dicens: Non comedes ex ea) Indicatur cauſa miſeriæ, qua Dominus etiam afficere ſolet eos, quibus peccata ignouit, vt diſcant ſe & peccaſſe, & peccata odiſſe.

Male-

Maledicta eſt humus propter te).i. propter inobedientiam tuá. Explicatur pęna talionis, terrá rebellé fore Adamo, qui ſe Deo rebellem præſtitiſſet. In dolore comedes eam) id eſt, quicquid ex ea natum fuerit.

Omnibus diebus vitæ tuæ) Explicat ordine partes maledictionis. Complectitur hæc ſententia Dei, moleſtias & labores, dolores varij generis, infirmitates, morbos, ſenium, & id genus mala, quæ opponuntur voluptati Edenis. Sed tolerabilem reddere debet hanc calamitatem, partim æqua ſententia Dei in peccatum pronunciata, partim futuri ſeculi, quam expectamus, gloria & integritas, quæ his malis ſuccedet, veluti Dominus his verbis promittit, Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolationem accipient.

Et ſpina atq; tribulũ) ꝓ fructiferis arborib.

Faciet creſcere tibi: & manducabis herbã agri) Huc referuntur olera & legumina, piſum, fabæ, milium, far, triticum, hordeum. Cum hac ſententia dei, voluptuariorum luxus pugnat, vt quæ nos ad frugalitatem inuitet, & curam de lautiore victu eximat.

In ſudore vultus tui veſceris pane) latiſsimè patet is ſudor & labor. Non.n. vnum muneris genus viro imponitur. Nullum autem munus caret ſuo ſudore & moleſtia, quæ prębeatur ijs qui illo vtuntur. Faceſſant igitur hìc ocioſi ventres, aduerſus quos Apoſtolus, 2. Theſ. 3. Qui non laborat, non manducet.

Donec reuertaris in humum) q. d. efficiā vt nihil promoueas abſque ſudorib. vt his exercitatus perpetuam doctrinam habeas modeſtè agendi, tuamque ipſius naturam agnoſcendi. Neque hoc ad breue tempus, ſed omni tempore vitæ durabit: donec in terram reſoluaris, liberatus ærumnis. Ex ea enim ſumptus es: quandoquidem puluis ſis, & in puluerem reuerſurus ſis) corpore ſcil. Mens enim interitu caret, & ad Deum redit, vnde proficiſcitur, Eccleſiaſtici duodecimo.

4 Porrò tametſi hoc in loco videatur tantum caput quintum tractari, tamen tertium ſimul quoq; tangitur. Officium. n. ſuum cū fœminæ, tum viri hinc diſcere poſſunt. Vnde Apoſtolus, 1. Cor. 14. Mulieres veſtræ, inquit, in eccleſijs ſileant: nec enim permiſſum eſt illis vt loquantur, ſed vt ſubditæ ſint, quemadmodum & lex dicit. & Epheſior. 5. Sic debent viri diligere ſuas vxores, vt ſua ipſorum corpora. Qui diligit ſuam vxorem, ſeipſum diligit. Nullus enim vnquam ſuam ipſius carnem odio habuit, imò enutrit ac fouet eam, ſicut & Dominus eccleſiam. Iſta ergo (dicit Auguſtinus lib. 2. de Geneſi contra Manich. cap. 18.) quæ videntur maledicta, præcepta ſunt, ſi non carnaliter ſpiritalia legamus. Lex enim ſpiritalis eſt. Dominus autem Deus noſter qui legem dedit, addat etiam gratiam omnibus & ſingulis coniugi-

iugi-

iugibus, vt iuxta illam viuere poſsint in Chriſto Ieſu ſeruatore noſtro, Amen.

CONCIO III.

Geneſ. 6.

Cumq́ cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſent ſibi, videntes filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus quas elegerant. Dixitq́ Deus: Non diſceptabit ſpiritus meus cum homine in æternum, quia caro eſt: eruntq́ue dies illius centum viginti annorum.

1 Fatentur ferè omnes inſtare diem Domini magnum: idque haud immeritò. Nam ſi Apoſtoli ſuo tempore dicebant: Scripta verò ſunt propter admonitionem noſtri, in quos termini ætatum inciderunt, 1. Corint. 10. Ecce iudex ante ianuam aſsiſtit, Iac. 5. Porrò rerum omnium finis imminet, 1. Pet. 4. Filioli, nouiſsimum tempus eſt, 1. Ioan. 2. quantò magis id hodie dicere licet. Adhæc non ſolùm Apoſtoli, ſed Chriſtus ipſe de ſignis extremum diem præcurſuris vaticinatus eſt, quæ quotidie fieri & videmus & audimus. Inter hæc verò ſigna & hoc vnum eſt, de quo Dominus Matth. 24. & Luc. 17. vbi ait: Sicut erant dies Noe, ita erit & ad-

uentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus, qui præceſſerunt diluuium, edentes & bibentes, contrahentes matrimonium, & nuptum dantes, vſque ad eum diem, quo intrauit Noe in arcam: & non cognouerunt, donec veniſſet diluuium, & ſuſtuliſſet vniuerſos: ita erit & aduentus filij hominis. i. ante Chriſti aduentum regnatura eſt ſumma ſecuritas, 1. Theſ. 5. regnaturi item ſunt carnales affectus edendo, bibendo, nubendo, &c. id quod Chriſtus videtur innuiſſe quoque Luc. 21. vbi dixit: Cauete autem vobis, ne grauentur corda veſtra crapula & ebrietate & curis huius vitæ, ſubitusque vobis ingruat dies ille. Quid iſta admonitio aliud indicat, quàm regnatura iſta vitia ante mundi finem?

Cæterùm cùm Chriſtus coniunctionem marium & fœminarum ponat inter reliqua ſigna aduentus ſui: nec tamen nubere & nuptum dare, ſicut nec edere aut bibere malũ ſit, cùm iſta omnia ſint à Deo ordinata: videndum erit quatenus ea res improbetur à Domino, & quomodo in ea peccari poſsit, ne rem ipſam, eiuſque legitimum vſum cum abuſu damnemus ac reijciamus.

2 Quomodo olim peccatum ſit, docemur hìc per Moſem, qui primùm facit quidem mẽtionẽ multiplicationis generis humani, ſed non piorum ac fidelium hominum. Sic etiam ſub finem mundi, abundabit iniquitas & refrigeſcet charitas multorum, Matth. 24

ae

ac filius hominis cùm venerit, vix repertu-
rus eſt fidem in terra, Luc.18.

Secundò meminit ἀποστασίας fidelium, de qua Paulus quoque, 1. Tim. 4. 2. Theſ. 2. & corruptionis magiſtratus & iudicum. Dicit enim: Videruntq́; filij Dei filias hominum quòd elegantes eſſent. Nam filij Dei hîc dicuntur non angeli, neque dæmones, vt quidam fingunt: ſed vel homines iuſti ac pij, qui videl. à parentibus ſuis in vera religione ac cultu vnius Dei probè inſtituti erant, quiq́; ex linea ac gente illa erant, vnde promiſſum ac benedictum illud ſemen futurum erat. i. prognati ex Seth (quem ſui virtutis cauſſa Deum appellauerunt, teſte Cyrillo) & Enos: vel, iudices & potentes, magnates & proceres. Mos enim ſcripturæ eſt, vt homines filios Dei vocet, prępſertim illi dilectos, illumq́ue colentes, vtpote ab illo creatos, factoſq́; veluti deos, futuroſque ſi Deum coluerint, vt Exod. 4. Deut. 14. Ieſa. 1. Hoſe. 11. Pſal. 82. Ioan. 1. Ioá. 3. Sic vocabantur eluuionis tempore filij ſanctorũ patriarcharũ: ſed hi auertentes aures à veritate, aſpexerunt vanitatẽ. i. pulchritudinẽ filiarum hominũ, genitarũ à fratricida Caino. Fallax enim gratia, & vana eſt pulchritudo, teſte Salomone Pro. vlt. Familiare quoq; eſt Scripturę, vt illud quod eſt magnificũ, vocet diuinũ, ſicut mõtes Dei, cedri Dei. i. magni mõtes, altiſsimæ cedri: & in ꝓpheta Niniue dicitur ciuitas magna Deo. i. ciuitas magnificentiſsima, Apud magnatęs

ergo & hominum potentiſsimos, quorum officij erat vitia ac flagitia arcere atque punire, tempore Noe, omnis honeſtas, iuſtitia & æquitas in peſſum iuerat. Nam & hi viderunt, libidinis animi, non timoris dei oculis, filias hominum, quòd eſſent pulchræ, non quòd timentes Deum: & pulchritudine earum capti acceperunt ſibi, non Deo, vxores ex omnibus, quas elegerant, non eas quæ Domino placebant, ſed quas libebat, & quot quot libebat, ſequuti ſuam libidinem, non Dei metum, non ſanctorum parentum voluntatem, non legem coniugiorum, quæ mutuum præſidium, & ſobolis procreationem p ob , inceſtum & promiſcuam libidinem improbat atque damnat.

Tertiò meminit Moſes pulchritudinis filiarum hominum. Habuerunt ergo maiorem ratione formæ crp oris, quæ teſte Poeta, bonum fragile eſt, & teſte Bione Boryſthenite, bonum alienum, quàm pulchritudinis animi, vanitatis, quàm veritatis, ſuperbiæ quàm humilitatis, luxurię quàm pudicitiæ, contra illud 1. Pet. 3. quorum ornatus ſit non externus, &c. qualis fuit, puellarum Hieroſolymitanarum, Ieſa. 3. quæ partim ſe ornabant vt concupiſcerentur à viris: partim ex ſuperbia, vt pulchriores eſſent alijs, vel ſaltem non excederentur ab alijs, partim ex amore vanę glorię & laudis, vt dicatur, quòd ipſæ ſint pulchræ, &c.

Sed quid pulchritudo & ſpecies mulierũ

aliud eſt, quàm oculorum dolor, vt Alexander de Perſicis puellis (quas ob id in conſpectum venire vetuit) dicebat: item gladius igneus: teſtante Hieronymo. Diogenes formoſa ſcorta ſimilia dicebat, mulſo lætalibus venenis temperato, quòd afferrent quidem initio voluptatem, ſed quam perpetuus dolor conſequeretur. Theocritus formam appellauit eburneum detrimentum, quòd grata quidem ſit aſpectui, ſed multorum incommodorum cauſa. Propter ſpeciem enim mulieris, inquit Scriptura Eccleſi. 9. multi perierunt, & ex hoc concupiſcentia, quaſi ignis exardeſcit. & nouiſsima illius, inquit Prouerb. 5. amara ſunt quaſi abſynthium, & acuta quaſi gladius biceps. Ipſam enim mulierem in qua eſt, lædit per ſuperbiam: & ipſos aſpicientes (quales eſſe ſolét plurimùm ij, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis, Prouerbiorum vigeſimo tertio.) per luxuriam. vel poteſt dici gladius biceps, quia corpori & animæ occaſio eſt mortis æternæ. Cùm Dionyſius Siciliæ tyrannus (vt Eraſmus refert lib. 1. Apophth.) filiabus Archidami veſtes ſplendidas multíque precij dono miſiſſet, recuſauit accipere, dicens, Vereor ne hoc amictu puellæ mihi turpes videantur. Intellexit vir prudens virgines nullo cultu melius ornari, quàm ſimplici: porrò ſericis, gemmis & auro dehoneſtari magis, quàm ornari: propterea quòd veſtium luxus arguit animum parum ſobri-

rum, & intuentium animos ad libidinem ſolicitat citius, quàm ad honeſtam opinionem. Decet autem vt virgo tota & vndique virgo ſit, nec vlla ex parte det corruptæ mentis ſignificationem.

Quartò loquitur de impatiẽtia correptionis ſpiritus in carnalibus hominibus priſci ſeculi. Ait enim, Non contendet ſpiritus meus cum homine in perpetuum: vel, vt Lutherus vertit: Die menſchen wöllen ſich meinen geiſt nicht mehr ſtraffen laſſen: eò quòd ipſi caro ſunt, id eſt, quia carnalibus operibus ſeipſos totos dedunt, & animæ ſubſtantia abutuntur, & quaſi ſola carne circundati anima carerent, ſic vitam ſuam abſumunt: quemadmodum Chryſoſt. ait.

Alij autem hæc Dei verba ſic exponunt: Spiritus meus. i. verbi mei arguens per miniſtros prophetas mundum de peccato, non amplius homines iudicabit aut corripiet. Eſt verò hæc grauiſsima pœna, ſubtractio videl. verbi Dei, Amos. 8. Sunt prætere a qui interpretantur ſpiritum Dei, de vitali ſpiritu, quem homini Deus ſit ademturus, adducto in terram diluuio: qui ſpiritus, Dei ſpiritus appelletur, vt à Deo Adamo inſpiratus.

Poſtremò fit hoc loco mentio annorum 120. ad pœnitentiam aſsignatorum, quibus riſipiſcerent: qui locus de lenitate Dei eſt, ꝓni ad ignoſcendum, de qua Luc. 13. Rom. 2. 1. Pet. 3. & 2. Pet. 3. Diluuium enim ſubitò non inuehit,

inuehit, ſed totis centum annis arca conſtrui tur. Interim homines ſtolidi Noam voluntati diuinæ obſequentem irridebant. Imò tametſi cernerēt vniuerſas belluas coire, quem admodum diuinus ille vir Ephræmus ait, elephantos ab India Perſideque aduentare, leones ac pardalides inter oues atque capras promiſcuè accedere, reptiles beſtias cum auibus eôdem ſe perſequente nemine conferre ac circum arcam commorari: nihilo tamē magis pœnitentię ſtimulos ſentiebant. Quid igitur factum eſt? Ne hos quidem centum viginti annos vniuerſos impij illi vixerunt, propter inſignem videlicet improbitatem. Nam qui prius durante 100. annorum interuallo non reſipuerant, intra 20. annos pœnitentiam acturi non erant. Atq; hoc loco mihi obſerua, Deum nonnunquam nobis non reſipiſcentibus eam vitam præcidere, quam prius pollicebatur, vt hîc fieri videmus (de ſententia Glycæ par. 2. Annal.) nonnunquam minatum ſe perditurum, reapſe minas non exequi, nobis reſipiſcentibus, id quod Niniuitis videmus vſuueniſſe, Ion. 3. Ierem. 18.

3 Quid nobis ex omnibus iſtis diſcendum eſt? vt diligentem curam geramus oculorum noſtrorum. Hi enim ſæpe nos ſeducunt, vt cernere eſt ex Gen. 3. 12. 34. 39. Ioſu. 7. 2. Reg. 11. Sira. 9. 25. 42. Mat. 5. Decet enim (vt Sophocli poetæ collegæ ſuo in prætura, videnti caſu præterire formoſum puerum: Pe-

ricles dicebat) non ſolum manus, ſed etiam linguam, & (vt Cicero refert, 1. Off.) oculos abſtinentes habere. Videntes autem aliquid pulchri, ſic cogitemus primum: O quàm pulcher eſt ipſe creator & autor omnis pulchritudinis: vtinam olim videre mihi liceat eum cum òmnibus filijs ſuis. Deinde, ſi mulier illa tam pulchrè ornat ſuam carnem, quantò iuſtius eſt, vt tu & ipſa, & nos omnes ornemus noſtras animas, ne ſint nudæ, ſed indutæ nuptiali veſte? Tertiò, ſi homo peccator adhuc exiſtens, tam formoſus apparere poteſt in terris, quàm elegantes & ſplendidi erimus olim ab omnibus peccatis liberati, quando lucebimus vt ſol in regno patris noſtri?

Diſcamus etiam hîc, ne in contrahendis coniugijs ſpectemus magis formá, opes, &c. quàm imaginem Deí. Olympias Alexandri mater quum accepiſſet adoleſcentē quendam aulicum duxiſſe vxorem elegante quidem forma, ſed famæ parum ſecundæ: Ille, inquit, non ſapit, qui vxorem oculis, non etiá aurib. duxerit. Forma cernitur oculis, fama auribus deprehenditur. Quidam autem nec auribus nec oculis, ſed digitis ducunt, ſolam ſpectantes dotem. Præterea obſeruandum hoc loco ne cum infidelibus ducamus iugum, contra præceptum Domini, Deut. 7. 2. Cor. 6. Nam ſolent filiæ alienigenæ in domos maritorum falſam parentum religionē, prauoſque mores quibus verum cultum & honeſta-

honeſtatem labefactant, importare. Exemplo eſt Salomon, cuius cor per mulieres alienigenas legitur à Deo auerſum fuiſſe, 3. Regum vndecimo.

Denique ne ſecundum carnem viuamus, ne ſpiritu viuificāte priuemur & moriamur in æternum: à qua morte ſeruet nos Dominus Ieſus, Amen.

CONCIO IIII.
Geneſ. 9.

ET benedixit Deus Noah atque filijs eius, et dixit ad eos: Fructum ferte & multiplicamini, atque implete terram.

1 Qui matrimonium commendare ſolent, commendant illud non ſolum, ab authoritate inſtituentis, qui ipſe Deus eſt, non Auguſtin. non Benedictus, non alius quiſpiam vel homo, vel angelus: nec ſolum à loco, in quo inſtitutum eſt, id eſt, paradiſo, à ſtatu, ſcil. innocentiæ, ab antiquitate, ab eo quod legimus de matre Domini, quę hunc ordinē intrare voluit, inq; eo Chriſtum peperit, ab eo, quòd Dominus voluit honorare nuptias ſua præſentia, & primo miraculo, quod fecit coram diſcipulis ſuis: verùm etiam ex eo, quòd nunc ſolum ordinem ſaluauit Deus tempore diluuij, quo finito, eundem denuò confirmauit. In arca enim tantùm ſaluati

ſunt Noe & vxor eius, & tres filij eius & vxo res eorum. Si qui erant concubinarij, ſi quę meretrices, omnes diluuio ſunt ſubmerſi. Deniq; commendatur etiam coniugium ex fine, qui eſt propagatio ſobolis, ſeu precioſus fructus, qui ex matrimonio ſequitur. (quam benedictionem Deus veluti quoddam donũ matrimonio obtulit, vt Theodoretus ſcribit in Epit. Diu. decr.) Generantur enim inde filij huius ſeculi, qui pòſt per adoptionem fiunt filij Dei. Si quis haberet vineam, quæ annuatim ferret mille modios vini, valde amaret eam. Quantum ergo amandum eſt matrimonium, vnde pueri procreãtur, cùm puer vnus præualeat omni vino quod in mũdo eſt? Ex matrimonio generantur virgines. Proinde ſi virginitas multum amanda eſt, & matrimonium multum amandum eſt. Vnde Hieronymus: Laudo coniugium, quia virgines generat. Propagatione demùm liberorum tres adminiſtrationes conſeruantur, œconomica, ciuilis, & eccleſiaſtica. In domeſtica curatione, mariti in vxorem, & vxoris atque mariti in liberos, domini in ſeruos rectio ſpectatur. In ciuili adminiſtratione eorum qui parent, moderatio. In eccleſiaſtica autem regni ſacri ſpiritus per ſceptrum Euangelij gubernatio locum habet. At nulla ex his moderatio ſine procreatione liberorum conſiſtit.

De hoc autem præcipuo fine coniugij Deus ipſe hoc loco verba facit ad Noe & filios

eius,

eius, poſtquam vnà cum ſuis vxoribus ex arca egreſsi ſunt, inquiens: Creſcite & multiplicamini & replete (ſcilicet, prole veſtra) terram. Hoc de homine facto neceſſariò iterare curauit (inquit Iunilius in Geneſ.) nequis honorabili connubio ineſſe peccatum, thorumque fœditati ac fornicationi putaret comparandum. Et, ſi benedictione Dei creſcit & multiplicatur genus humanum, ecquanta ſint maledictione digni, qui prohibẽt nubere, & diſpoſitionem cæleſtis decreti quaſi à diabolo compertam condemnant? Non ergo damnandæ ſunt nuptiæ: quas ad propagationem generis humani, terramque replendam, ſupernæ gratia benedictionis inſtituit, &c.

2 Has commendationes matrimonij ſcire & perpendere, eò facit, vt nuptiæ honorabiles habeantur inter omnes: neque ipſum matrimonium damnetur aut contemnatur, propter quoſdam coniuges in hoc ſtatu vitæ perperam agentes, turpiterque viuentes: & vt doctrina Dei à dæmoniorum doctrinis diſcernatur. Sunt enim qui matrimoniũ prohibent, & interim ſcortationem approbant: quaſi Deus non ſit pacis & ordinis, ſed confuſionis Deus, Heb. 13. 1. Tim. 4. 1. Cor. 14.

3 Docent etiam hæc verba Dei generationem liberorum eſſe Dei benedictionem: &, qui hanc benedictionem conſequãtur, nempe Noe & filij eius, hoc eſt, iuſti, illorumque poſteri. Nam ſemen impiorum peribit: &,

generatio rectorum benedicetur, Pſal. 37. 112. Rectum autem ac iuſtum fuiſſe Noe, teſtantur Moſes, Gen. 6. Paul. Heb. 11. Petrus 2. cap. 2. Porrò fœcunditatem atque vim gignendi liberos non eſſe naturę aut ſexus munus, ſed Dei donum, probant etiam clauſi per minas Dei, & aperti per promiſsionem vteri: item loci Scripturæ Gen. 30. Deut. 7. Pſal. 113. 127. 128. Væ igitur illis, qui dicunt benedictionem maledictionem: aut herbis, radicibus, pharmacis, aut etiam ferro, hanc benedictionem euertere ac tollere nituntur, vt meretrices & infanticidæ, &c. facere ſolent.

Quòd ſi verò generatio liberorum in benedictionib. Domini recenſetur, multò magis regeneratio: ſi item terræ impletio, multò magis impletio cœli. Hinc Paulus Rom. 9. Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei. &. 1. Corinth. 3. Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui dat incrementum Deus.

4 Quoniam autem lex ſpiritualis eſt, teſte Paulo: quæritur quomodo iuſti ſpiritualiter creſcere, multiplicari & terram replere debeant? Reſpondet Apoſtolus 2. Pet. 1. inquiens: Sed & in hoc ipſum omni adhibito ſtudio, ſubminiſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute verò ſcientiam, in ſcientia temperantiam, &c. item, 2. Petri 3. Creſcite in gratia & cognitione Domini & ſeruatoris Ieſu Chriſti. Item ipſe Chriſtus Ioann. 15. Ego elegi vos, & conſtitui vos, vt eatis & fructum afferatis,

ratis, & fructus veſter maneat. Et Apoc. 22. Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur amplius. Vnde D. Baſilius, Duplex eſt (inquit) incrementum, alterum corporis, alterum animæ. verùm animæ incrementum, eſt additamentum per diſciplinas ad perfectionem (1. Pet. 2.) corporis incrementum eſt à parua ad iuſtam menſuram progreſſus. Creſcite itaque, brutis quidem animantibus iuxta corporis perfectionem, ſecundum naturæ abſolutionem dictum eſt. Nobis autem, creſcite iuxta internum hominem, ſecundum profectum ad Deum. Qualis erat Paulus, ad ea quæ ante ipſum erant intentus, eorum verò quæ retro ipſum erant obliuiſcens, Philip. 3. Hoc eſt incrementum ſpeculationum, pietatis aſſumptæ ampliatio ac extenſio, appetere nos ſemper vltra præſentia, id quod prius factum eſt ſemper retro ſe dimittere, quod verò reſtat pietatis idipſum pro viribus inquirere. Creſcite igitur incremento, perfectionem videlicet ſecunpum Deum, iuxta hominem internum. Multiplicamini. Eccleſiæ eſt benedictio. Ne in vno circumſcribatur Theologia, ſed in omnem terram prædicetur Euangeliũ ſalutis. Multiplicamini. Quinam? qui ſecundum Euangelium generati eſtis. Replete terram. Carnem datam vobis in miniſterium, replete bonis operibus (ſeu fructibus iuſtitiæ, vt Paulus vocat, Philip. 1.) Oculus plenus ſit viſu ac conſpectu eorum quæ decent. Ma-

nos plena ſit bonorum operum. Pedes parati ſint ad viſitationem ægrotorum, ita vt eant ad ea quæ decent. Omnis membrorum noſtrorum conſtitutio plena ſit operationibus iuxta præcepta: hoc eſt, replete terram, &c.

Origenes talem allegoriam horum verborum allegat Homil.1.in Geneſ.cap.1. Interior homo noſter (inquit) ex ſpiritu & anima cõſtat. Maſculus ſpiritus dicitur, fœmina anima poteſt nuncupari. Hæc ſi concordiam inter ſe habeant & conſenſum, conuenientia inter ſe ipſa creſcunt & multiplicantur, generantque filios ſenſus bonos & intellectus vel cogitationes vtiles, per quæ repleant terram & dominentur in ea: hoc eſt, ſubiectum ſibi ſenſum carnis ad meliora inſtituta conuertunt, & dominantur eis, ſcilicet cùm in nullo caro contra voluntatem ſpiritus inſoleſcit. Iam verò ſi anima coniuncta ſpiritui, atque (vt ita dicam) coniugio copulata, declinet aliquãdo ad corporeas voluptates, ſenſumque ſuum in delectationibus carnalibus inclinet, & aliquando quidem obtemperare videatur ſalutaribus monitis ſpiritus, aliquãdo verò vitijs carnalibus cedat: talis anima velut adulterio corporis maculata, neq; creſcere, neque multiplicari legitimè dicitur, quoniam quidem filios adulterorum imperfectos Scriptura deſignat. Talis enim anima, quæ ſpiritus coniunctione deſerta, ſenſui ſe carnis, & deſiderijs corporalib. totam proſternit, velut auerſa à Deo imprudenter, audiet,

audiet, quia facies meretricis facta eſt tibi, ſine pudore effecta es ad omnes. Veluti meretrix ergo punietur, & filij eius ad occiſionem præparari videbuntur. Dominus Deus noſter liberet atque ſeruet nos ab omni immundo & meretricio ſpiritu per Chriſtum Ieſum, Amen.

CONCIO V.

Geneſ. 12.

ERat autem fames in illa terra, & ob id deſcendit Abram in Aegyptum, vt peregrinaretur ibi: nam erat grauis fames in terra. Et factum eſt cùm appli caſſet vt intraret in Aegyptum, dixit ad Sarai vxorem ſuam: En ſcio quidē quòd tu ſis mulier pulchro aſpectu. Erit itaque, quando viderint te Aegyptij, dicēt: vxor illius eſt hæc, & interficient me, te verò in vita conſeruabunt. Dic obſecro quòd ſoror mea ſis, vt ſcilicet bene ſit mihi propter te, et viuat anima mea tui cauſa. Factum itaq; eſt, cùm veniſſet Abram in Aegyptum, contemplati ſunt Aegyptij mulierem: nam erat valde pulchra. Viderunt quoq; eam principes Pharaonis,

& laudauerunt eam apud Pharaonem, ſublataq́ eſt mulier in domū Pharaonis. Et is quidem benefecit ipſi Abram propter illam: habuitq́ oues & boues, & aſinos, ſeruos & ancillas, aſinas & camelos. Et percuſsit Dominus Pharaonem plagis magnis, & domum eius, propter Sarai vxorem Abram. Vocansq́ Pharao Abram, dixit: Cur id feciſti mihi? quare non indicaſti mihi, quòd vxor tua eſſet? quare dixiſti, ſoror mea eſt, & accepi eam mihi in vxorem? nunc igitur ecce vxor tua, tolle & vade. Et præcepit Pharao ſuper eo viris, & emiſerunt eum, atq; vxorem illius, & omnia quæ habuit.

1 Vt omnia in noſtram doctrinam præſcripta ſunt, teſte Apoſtolo, Rom.15. ſic & iſta hiſtoria de ſanctis coniugibus Abrahamo & Sara: ad quos nobis attendendum eſſe, monent Ieſaias cap.51. & Petrus in 1. Epiſt. cap.3. Verè enim inter illos erat coniugium: quoniam non ſolùm in proſperitate, ſed & in periculis ſimul obambulabant. Iidem quoque veriſsimum eſſe experti ſunt, non ſemel, ſed ſæpius, quod D. Paulus de coniugibus ſcribit, 1. Corinth. 7. in hunc modum: Attamen afflictionem in carne habituri ſunt huiuſmodi. Legimus enim hîc primùm de deſcenſu

Abrami in Ægyptum (anno orb. 2026.) propter famem: quæ etiam in aduentu & præſentia iuſti erat valida: id quod audire debēt, monente Chryſoſtomo, qui temerè & incircumſpectè loquuntur & diuinant, dicentes, Quoniam quiſpiam aduenit, fames facta: & quoniam adfuit, hæc contigerunt. Deinde legimus de rapina Saræ à Pharaone facta, id eſt, rege Ægypti. Pharao enim commune nomen regum fuit apud Ægyptios. Non igitur ſatis erat, Abrahamum reliquiſſe patriã, niſi etiam peregrinus in aliena terra fame affligeretur, de periculo vitæ & vxoris pudicitiæ tentaretur. Hæc ſunt ſtrategemata ſancti patris, omnibus credentibus in exemplum propoſiti. Hic quantum interſit inter mundi iudicium & fidei intelligitur. Mundus præſentia ſpectans, Dei fauorem à præſentibus opibus & bonorum affluentia metitur. Fides in præſentia nihil niſi exilia, rerum inopiam, inſectationes hoſtium ſæuas, mortem intuens, futura bona per patientiam ſpe præſumit, quæ ſpes nunquam pudefacit: quemadmodum & euentus huius tragœdiæ probat. Legimus enim hîc etiam de indignatione Dei, quam in Pharaonem & domum eius, ob ſuam erga iuſtum curam immiſit: nec nõ de reditu patriarchę ab Ægypto magna cum gloria. Et qua de cauſa, cùm rex peccet, omnes de domo eius pœnæ ſunt participes? Non abſque ratione hoc fit, ſed vt per hoc regis inſania compeſcatur. Grauiori enim pla-

ga indigebat, ita vt ipſe exterreretur. Et vbi, inquis, hoc iuſtum, propter illum alios puniri? Non propter illum ſolùm pœnam ſuſtinuerant, ſed veriſimile eſt eos cooperatos fuiſſe, vt aliquando committeretur iniquitas. Audiuiſti enim ſuprà Scripturam dicentem: Quia vt viderunt eam principes Pharaonis, laudauerunt, & introduxerunt eam in domum eius. Vidiſti eos lenonis agere officium in regis gratiam, auferendo iuſti vxorem? Quapropter non ipſe ſolus, ſed & omnes qui adhærebant, pœnæ fuerunt participes: vt diſcant, quòd non in peregrinum ſimplicem furorem ſuum exercuerint, neque in hominem è medio vulgo: ſed in virum, cuius tutor Deus, tanta illum cura dignans, & propter illum reges, vt in Pſalmis eſt, corripiens. Et idcirco acerbiſsima pœna concutiens eius mentem, diſcedere fecit ab nephario flagitio, coercuit ab irrationali impetu, cohibuit incontinentem mentem, alligauit incontinentiam indomitam.

Cæterùm qualis clades ſeu pœna fuerit, qua Pharao (Saram in vxorem ducturus: idque ad liberandos vtroſque) & eius domus affecta eſt, hic non explicatur.

Arbitrantur nonnulli talem fuiſſe, qualis Abimelechus Geneſ. 20. legitur, propter eandem Saram punitus.

Si quis hìc miretur, cur tam grauiter ſit caſtigatus Pharao ob Saram poſtulatam in matrimonium, quam ignorarit vxorem eſſe Abraha-

brahami, is ſciat primò, non rectè factum à Pharaone, quòd Saram, non conſulto Abrahamo, vel eo inuito, voluerit ducere vxorẽ. Deinde per ignorantiam delictum illud non fuiſſe purgatum, qui prius quàm Saram duceret vxorem, diligentius de ſtatu illius inquirere debuerat. Deus igitur, qui cognitam teneret libidinem Pharaonis, iuſto iudicio illum puniuit, ignorantia eius cum petulantia coniuncta non commotus.

Porrò plagis, quæ hîc leguntur, præluditur ijs, quibus ſequentibus temporibus Ægyptij cum rege ſuo afficiendi erant. Nec nō quod toti poſteritati ferendum erat, in patre credentium auſpicari Deus voluit. Affligi oportuit vniuerſam familiam Abrahami in Ægypto, priuſquam Chananæam in hæreditatem reciperet. Cui præiens pater Abrahamus, non antè vel pedem latum partem in promiſſa terra adeptus eſt, quàm prior in Ægypto exilium expertus fuiſſet. Remoue velum myſticæ hiſtoriæ, quæ Ægyptus ſanctis prius ſubeunda ſit cum varijs tẽtationibus, ſpe & fide ſuperandis, quàm ſupernam hæreditatem adeant, obſcurum nō eſt. Quò pertinet, Deſcendit, verbum ſuprà memoratum: arcana videlicet ſignificatione non carere in Ægyptum deſcendi, & in terram promiſſam aſcendi. Nec מצרים vox à myſterio crucis abludit, in qua afflictio notatur & anguſtia.

2 Sunt adhuc multa hîc obſeruanda circa

perſonam Abræ & Saræ. Apparet enim Abramum fuiſſe prophetam. Sicut enim prędixit de pulchritudine (quam ſtudium pietatis non imminuit) Saræ (quæ iam ſexaginta annos exceſſerat, quæq; nobis eccleſiam adumbrat, Cant. 1. Epheſ. 5.) & de conſeruatione vitæ ſuæ: ita accidit. Idem quoque (vt nonnulli ſcribunt) in ſpiritu prophetiæ cognoſcebat, quòd ex hoc, quòd vxor ſua eſſet ſublata, non ſequeretur aliquid contra vxoris pudicitiam: ſed potius laus Dei, & eius cognitio apud ipſos infideles reluceret. Cognouerunt enim Pharao & ſui, quòd Dominus eos flagellabat maximis plagis propter Sarai vxorem Abrahæ, vt patet in litera: & ſic diuinam prouidentiam & eius iuſtitiam aliqualiter fatebantur promptius & humilius quàm Philiſtæi, 1. Reg. 6. Adde quòd Abram probabiliter æſtimare poterat, fore vt vxor eius reſeruetur regi propter ſui pulchritudinem, ſicut & factũ eſt. Sciebat enim, quòd tempore illo reges non accedebant ad vxores ſuas de nouo acceptas, niſi poſt anni circulum, Heſter 2. & infra tantum tempus ſperabat de Dei adiutorio ſibi, vxori & familiæ affuturo.

Quare autem Abrahamus timuit mortẽ? Quia nondum (inquit Chryſoſtomus) mortis erat ſoluta tyrannis, propterea in adulterium vxoris conſentit iuſtus, & quaſi ſeruit adulterio, in mulieris contumeliam, vt mortem effugiat. Erat adhuc terribilis facies

mortis,

mortis, nondum erant æreæ portæ confra-ctæ, nondum erat aculeus eius hebetatus.

Enimuerò (inquit idem) ſicut admirabile & rarum erat videre virum deſideriorum (id eſt Danielem) ſtare in medio ferarum, & nihil pati: ſed quaſi oues eum circumire, ita illæſum egredi è lacu. Et tres pueros in camino, quaſi in prato & paradiſo verſari, & nihil ab igne lædi, ſed egredi inde, vt virorum fortiſsimos. Ita admiratione dignum eſt & hoc facinus, quòd iuſti vxor nullam contumeliam experta à rege Aegyptio, tyranno, intemperante exiuit ſalua (vt vidua Iudith ab Holoferne, per angelum Domini cuſtodita, Iudit.13.) Deus enim erat, qui faciebat omnia, & in inuijs viam dabat, & ſpem bonam ſemper in rebus deploratis afferre valet, Ieſa.43. Et tunc, inquit: Ecce mulier tua coram te, accepta ea ocyus vade. Ne exiſtimes, inquit, à nobis violatam illam, &c.

Quur dixerit Saram ſororem ſuam eſſe, Geneſ. vigeſimo habetur. Sed & in Græco Tobia cap. 5. 7. 8. vxores Tobiæ ſenioris & iunioris, & Raguelis, eorundem ſorores vocantur. Mulieres enim & viri de eadem cognatione propinqua, fratres & ſorores nominabantur. Vnde Geneſ.13. Abram vocauit Loth nepotem ſuum fratrem. Sciebat, inquit Lyranus, Abram, nephas eſſe apud Aegyptios adulterium, & morte plectendum: & minus reputabant homicidium viri, quàm accedere ad vxorem alicuius ipſo viuente

(quanquam homicidium per ſe grauius eſt quàm adulterium: ne enim homicidium fieret, permiſit Moſes dari libellum repudij) & ideò ad hoc periculum euitandum, dixit vxori ſuæ: Dic obſecro quòd ſoror mea ſis, &c.

Vide autem germanæ charitatis indiciũ in Sara, quæ vt vxor bona, qualis Eccleſ. 26. deſcribitur, & Epheſ. 5. marito obediuit, vt viuere poſſet. Non ſic diadema in capite poſitum, regem præclarum ornat, atque obedientia illa, qua conſilio iuſti paruit, beatam & illuſtrem & claram demonſtrauit. Quis non obſtupeſceret hanc parendi facilitatem? Quis non obſtupeſceret, ſi rectè res cogitet, quòd poſt tantam continentiam, & in tali ætate ad hoc vt iuſtum ſeruet, quantum in ſua voluntate pendebat, etiam adulterio ſe expoſuit, & barbarorum tulit congreſſum?

3 Poſtremò in Ægyptijs, id eſt, maledicti Chami poſteris obſeruandum venit, quàm periculoſum & ſcandalis plenum ſit intendere oculos ad formam mulierum, Geneſ. 6. Sirac. 9. Matth. 5. Item morem aulicorum eſſe ferè vbique, colloqui & ſermones conferre de rebus vanis & carnalibus.

Et, dignos eſſe pœna non ſolùm eos, qui faciunt mala: ſed etiam qui aſſentiuntur ijs, aut operam ſuá præbent, qui faciunt, Rom. 1.

Et, Deum eſſe iudicem ſcortatorum & adulterorum, Heb. 13.

Deni-

Deniq; ignorantiam cum petulantia coniunctam non excuſare quenquam. Dominus Ieſus det nobis omnibus caſtam, puram & ſanctam mẽtem, vt olim videre poſsimus Deum Opt. Max. & pulcherrimum, atque eundem & amare & laudare in ſecula ſeculorum, Amen.

CONCIO VI.

Geneſ. 16.

ITAQVE Sarai vxor Abrami non genuit illi: habuit autem ancillam Aegyptiam, nomine Hagar. Dixitqúe Sarai ad Abram: En prohibuit me dominus ne parerem, ingredere quaſo ad ancillam meam, ſi fortè ædificer ex ea: & obediebat Abram voci Sarai. Tulitq́; Sarai vxor Abram, Hagar Aegyptiam ancillam ſuam, à fine decem annorum, quo habitauit Abram in terra Chanaan, et dedit eam Abrã marito ſuo in vxorem. Qui cùm ingreſſus eſſet ad Hagar, concepit illa: vidensq́; ſe grauidam, vilipenſa eſt domina eius in oculis ſuis. Et dixit Sarai ad Abram: Iniuria mea ſuper te eſt: ego dedi ancillam meam in ſinum tuum,

quæ videns quòd conceperit, vilipendor ego in oculis illius, iudicet Dominus inter me & te. Dixit autem Abram ad Sarai: Ecce ancilla tua in manu tua, fac illi quod bonum eſt in oculis tuis: & cùm affligeret eam Sarai, fugit illa à facie eius. Inuenit autem eam angelus Domini iuxta fontem aquæ in ſolitudine, iuxta illum inquam fontem, qui eſt in via Sur. Dixitq́, Hagar ancilla Sarai, vnde veniſti, & quò vadis? dixit illa, à facie Sarai dominæ meæ ego fugio. Dixitq́ ad eam angelus Domini: Reuertere ad dominam tuam, & humilia te ſub manibus eius. Rurſumq́ dixit ad eam angelus Domini: Multiplicando multiplicabo ſemen tuum, & non numerabitur præ multitudine. Dixitq́ ad eam angelus Domini: Ecce tu prægnans es, et paries filium, vocabisq́ nomen eius Iſmael: audiuit enim Dominus afflictionem tuam.

Quemadmodum nonnulla ſunt in epiſtolis Pauli (teſte Petro) difficilia intellectu, quæ indocti parumque firmi detorquent ad ſuam ipſorum pernitiem: ſic & in quinque libris Moſis.

Scribitur hoc loco de Abramo, quòd præter

ter vxorem ſuam Sarai, acceperit etiam in vxorem ancillam Hagar, & quòd ingreſſus ſit ad eam: quo verbo pudicè concubitus deſignatur. Poſſet igitur aliquis cogitare, Abramum vel in hoc peccaſſe: vel ſi non peccauit, nobis licere ipſius exemplum ſequi.

Sed hîc nobis ſciendum eſt, facta ſanctorũ virorum non debere ſine diſcrimine & iudicio in exempla referri, quæ quis imitetur. Si enim promiſcuè deberent in exemplum & legem trahi facta eorum omnia, ſequeretur, nobis quoque licere ea peccata facere, quæ aliquando fecerunt ipſi, imbecillitate carnis, vt homines, victi. Verùm tantum abeſt vt hoc liceat, vt nec in ijs omnibus debeamus imitari eos, quę ipſi ſine diſcrimine atq; peccato fecêre. Non enim fruſtra dominus Ieſus increpauit diſcipulos ſuos, dicentes, Domine vis, vt ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos, quemadmodum & Helias fecit? Luc. 9. Hinc apud multos vſitatum eſt dictum; Actiones bonorum non facere legem vniuerſalem. Neque enim exempla ſunt rerum agendarum canones, ſed Dei præcepta, vt rectè monet Andreas Hyperius lib. 2. de Theologo, cap. 21. obſer. 5. Et Chryſoſtomus in caput quintum Matthæi: Vides, inquit, quemadmodum eædem ipſæ res ſecundum tempora, nunc bonæ, nunc verò contrarij eſſe generis appareant. Nam & veſtem non indui paruulo quidem honeſtum eſt, viro autem pudendum. Vis ne etiam è

diuerſo diſcere, quemadmodum puero apta non ſint ea, quæ viro ſunt? Da puero veſtẽ virilem, & plurimus omnino riſus ſequitur, maiusq́ue erit incedentis periculum, & ſępe huc illucq́ue nutantis. Da illi negocia curare ciuilia, & vel mercari, vel ſerere, ac metere, & erit rurſus grande ridiculum. Et quid ego iſta commemoro, quando homicidium quoque ipſum, quod à diabolo inuentum eſſe manifeſtum eſt (Ioann. octauo) opportunè aliquando factum, eum, qui id operatus eſt, Phinees ſcilicet maximè fecit ſacerdotij honore decorari. Abraham verò non homicida ſolùm, verùm etiam parricida, quod certè eſt grauius effectu, magis Deo magisq́ue cõplacuit. Sed & Petrus geminum fecit homicidium, fuit tamen opus ſpirita e, quod factũ eſt. Non ſola igitur reſpiciamus opera, ſed tempus, & cauſam, & voluntatem, & perſonarum differentiam: & quantacunque alia ipſis operibus acciderint, diligentiſsimè requiramus: non enim poſſumus ad veritatem aliter peruenire. hæc ille.

Pertinet huc illud Nicolai de Lyra ſuper iſtud: Cumq́ue ille acquieſceret deprecanti, &c. Propter quod Abraham non vituperatur de bigamia, ſicut Lamech? Quia non accepit ſecundam vxorem motus libidine, ſed prolis amore: nec abſque conſenſu primæ vxoris, immò ipſa ſupplicante: quod non fecit Lamech, ſcilicet libidine motus, & ſine conſenſu alterius vxoris.

His

His non diſsimilia ferè ſcribit D. Auguſtinus lib. 16. de Ciuitate Dei, capite 25. ait enim: Quod attinet ad rem geſtam, nullo modo eſt inurendum de hac concubina crimen Abrahæ. vſus eſt ea quippe ad generandam prolem, non ad explendam libidinẽ: nec inſultans, ſed potius obediens coniugi, quæ ſuæ ſterilitati credidit eſſe ſolatium, ſi fœcundum ancillæ vterum, quod natura non poterat, voluntate faceret ſuum, & eo iure, quo dicit Apoſtolus (1. Corin. 7.) Similiter & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier, vteretur mulier ad pariendum ex altera, quod non poterat ex ſeipſa. Nulla eſt hîc cupido laſciuiæ, nulla nequitiæ turpitudo. Ab vxore cauſa prolis ancilla marito traditur: à marito cauſa prolis accipitur: ab vtroque non culpæ luxus, ſed naturæ fructus exquiritur. Deniq; cùm ancilla grauida dominæ ſterili ſuperbiret, & hoc Sara ſuſpicione muliebri viro potius imputaret, etiam ibi demonſtrauit Abraham ſe non amatorem ſeruum, ſed liberum fuiſſe genitorem, & in Hagar Saræ coniugi pudicitiam cuſtodiſſe: nec voluptatem ſuam, ſed voluntatem illius impleuiſſe: accepiſſe, nec petijſſe: acceſsiſſe, non hæſiſſe: feminaſſe, non amaſſe. Ait enim: Ecce ancilla tua in manibus tuis, vtere ea, quomodo tibi placuerit. O virum viriliter vtentem fœminis, coniuge temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intẽperanter. His adde, quòd antiquis iuſtis nõ vitio vertitur,

quòd pluribus fœminis vſi ſunt: nec contra naturam hoc fecerunt, cùm non laſciuiendi cauſa, ſed gignendi hoc facerent: nec contra morem, nec contra præceptum, quia nulla lege erat prohibitum: nec dum promulgata erat vnius vxoris lex Euangelica. Habebat inſuper Abram promiſsionem à Deo multiplicandi ſeminis ſui, Geneſ. 15. ſed nec dum ſciebat, ex qua vxore: quia poſtea demum cap. 17. dictum eſt ei de Sara: Ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus ſum, &c. Huc pertinet illud Malach. 2. de Abrahamo, cuius exemplo & zelo inconſulto Iudæi tempore prophetæ abuti conabantur. Et quid vnus ille (nempe Abrahamus fecit?) quærebat ſemen Dei, i. Meſsiam, verum & patri coæternum Dei filium, quem ex ſua ſtirpe naſciturum eſſe, ex promiſsione didicerat. Et ſenſus eſt: Non immoderata & cæca libido Abrahamum impulit, vt Hagarem ſibi deſponſaret: ſed inconſideratus ſalutis humanæ zelus, qui ex promiſsi ſeminis immodico deſiderio enatus fuerat, primò ipſam Saram, deinde Abrahamum quoque mouit, vt tale quid facerent, cum ipſis iam ſenio multo cõtabeſcentibus ſeminis promiſsi ſpes interitura videretur. Veſtra autem longè alia eſt ratio, qui ex libidine nefanda hoc facitis, & vxoribus veſtris reclamantibus alias vobis adiungitis, &c. vbi rurſum admonemur, in exemplis ſanctorum non modò videndũ eſſe quid factum ſit, ſed quis illis factorum ſuorũ

finis

finis & ſcopus fuerit, & num benè & rectè fecerint omnia, quæ de illis commemorantur. Quia .n. illi quoq; diuinis legibus tenentur, illorum quoque facta ad illarum regulam examinari debent. Prudenter ergo Paulus ait: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti ſum.

2 Etſi autem non omnia facta ſanctorum veterum iuxta literam imitari debemus: tamen vtiliſsimæ ſunt ipſorum hiſtoriæ: præſertim ſi ſecundum ſpiritum intelligantur: ſicut & præſens hiſtoria intelligenda eſt, monente Apoſtolo, Galat. 4. vbi de duplici ſtatu liberorum Abrahami loquitur: quorum alter lege continetur, alter gratia: vterque verò ſuis myſticis lineis hoc loco adumbratur. Qui lege continetur, eos liberos habet, qui ſui iuris non ſunt, ſed alieni: neque partem vllam in hæreditate obtinent, ſed cum Iſmaele domo expulſi foràs bonis ſuis ornantur. Hoc ipſum eſt, natum eſſe ex Hagare ancilla ad ſeruitutem, quæ in iure peccati & mortis in iugo externi cultus legis cernitur. Qui autem ſtatus in gratia & promiſsione cōſiſtit, is liberos educat natos ex Sara domina, verè liberos à poteſtate peccati & mortis, & à legis pædagogia. Alterum ſtatum Apoſtolus teſtamentum à Sina monte generans ad ſeruitutem, alterum à Hieroſolyma, quæ libera eſt, & omnium credentium genitrix teſtamentum vocat.

3 Sunt autem plura adhuc in hac nobis hi

ſtoria obſeruanda: in qua omnia geruntur ratione diuina, concubitus nimirum, conceptus, cõtemptus, afflictio, fuga in deſertum, apparitio angeli, reditus. Poteſt enim hic locus, vt D. Chryſoſtomus ſcribit, docere & viros & mulieres, vt magna inter ſe concordia viuant, & coniugij vinculum indiſruptum ſeruent: & neque vir inſurgat aduerſus mulierem, ſed vt vaſi infirmiori maiorem illi veniam tribuat: neque mulier viro ſe opponat, aut ab eo diſsideat, ſed vt vicißim alter alterius onera ferre certet, domeſticamque pacem omnibus bonis præferant. Quando enim concordia & pax & vinculum dilectionis cum muliere & viro fuerit, omnia ſimul affluunt bona, & nullis inſidijs expoſiti ſunt, magno & inexpugnabili quodã muro circumdati, ſua iuxta Dei præceptum concordia. Hoc ferro fortiores eos reddet, hoc omnibus diuitijs & abundantia magis locupletabit, hoc ſupernam gloriam eis conferet, hoc & Dei beneuolentiam eis vbertim conciliabit. Illæ enim veræ ſunt diuitiæ, illæ maximæ ſunt facultates, ſi vir cum muliere non diſcordet, ſed coniuncti ſunt vt corpus vnum. Tales etſi in paupertate ſint, etſi in vilitate, omnium ſunt beatiſsimi, veram percipiunt voluptatem, & in continua conſiſtunt tranquillitate. Sed rurſum vbi non eſt mutuus amor coniugum (quemadmodum Philippus Melanchthon ſcribit) ibi diſcordia ſauciat mentes, impedit inuocationem

Dei,

Dei, turbat totam domeſticam conſuetudinem, & parit multa peccata. Interdũ & cùm voluntates diſtractæ ſunt, ſequuntur adulteria & pœnæ, in quibus multi ruunt in noua ſcelera & in tragicas calamitates.

Vide etiam, quantum olim virtutis ſtudium apud veteres exercebatur, quomodo & viri temperati erant, & magnam continentiæ habebant rationem, & mulieres zelotypiæ carebant vitio. Dedita enim opera dicit Scriptura: Et vt tulit Sara Hagarem ancillam. Et iterum: Dedit eam in vxorem: vt diſcas quomodo abſq; affectione negociũ egerit, & quantum apud eos virtutis ſtudiũ.

In Sarai laudandum eſt, quòd non dicit marito ſuo, Da mihi liberos, alioquin moriar, vt Rachel Iacobo, Geneſ. trigeſimo: ſed agnoſcit penes Dominum poſitum claudendi & aperiendi vteri vim: & parere liberos, Dei opus & munus eſſe, non naturæ: iuxta illud Pſal. 113. Qui habitare facit ſterilem in domo, matrem filiorum lætantem. Et Geneſ. 30. Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius, quæ concepit & peperit filium. Item Ruth 4. Et dedit Dominus Ruth, vt conciperet, &c.

In Abrahamo laude dignum eſt, quòd vxorem ſuã ob ſterilitatem non deſpicit. Nam admodùm ſtolidè atq; imprudenter agunt, qui vxoribus adſcribunt ſterilitatem, (quas potius conſolari decet, cum ſunt ſteriles,

iuxta exemplũ Elcanæ, 1.Reg.1.) vel fœcunditatem, quaſi neſcientes, quòd à naturæ Cõditore fiant vniuerſa: & quòd neq; coitus, neque aliud quiddam ad procreandos pueros ſufficere poteſt, niſi cooperetur manus ſuperna, quæ naturam ad procreandum excitet. Quæ ſanè iuſtus ille ſciens, vxori non imputabat quòd carebant filijs, ſed congruum honorem ſemper ei tribuebat. Item in Abrahamo laudabilis eſt fides in expectanda promiſsione per decẽ annos in Chanaan: præterea eius manſuetudo erga irritatam vxoré, & ſtudiũ conſeruandæ pacis in domo.

In Agar notanda ſuperbia, & ſeruilis ingenij natura, quæ res proſperas moderatè ferre nequit, & ingratitudo, & impatientia: quæ vitia angelus Domini in ea reprehendit, & contrà humilitatem docuit, atq; animi ſubmiſsionem. In hoc tamen commendanda eſt hæc ancilla, quòd angelo interroganti, vnde veniret, reſpondit: A facie Saræ dominę meę ego fugio. Citra odium enim meminit dominæ: neq; dicit, Malè me afflixit, grauia mihi fecit, verbis, minis, impoſitis ſeruilibus operibus, nec poſſum ferre moleſtiam eius, & ideò fugam inij: nihil aſperum loquuta eſt: ſed ſolùm ſeipſam, vt fugitiuam accuſauit.

Poſtremò hîc etiam apparet afflictionis fructus, & inuocationis nominis Domini effectus. Bonus enim eſt Dominus ſine reſpectu perſonarum omnib. inuocantib. ſe. Huic debetur honos, imperium, & poteſtas in æternum, Amen.

CON-

CONCIO VI.

Geneſ. 20.

ET profectus eſt inde (ex Mābre) Abraham in terram auſtralem, habitauitq́ inter Cades, & inter Sur, & peregrinatus eſt in Gerar. Dixitq́ Abraham de Sara vxore ſua: Soror mea eſt: & miſit Abimelech rex Gerar, & tulit Saram. Venit autem Deus ad Abimelæch in ſomnio noctis, & dixit ad eum: Ecce tu morieris propter mulierem quam accepiſti, eſt enim marito iuncta. Abimelæch verò non acceſſerat ad eam: & ait: Domine, num quid interficies quoque gentem iuſtam? An non ipſe dixit mihi, ſoror mea eſt? cū integritate cordis mei, & cum innocentia manuum mearum feci hoc. Dixitq́ ad eum Deus per ſomnium: Etiam ego noui, quòd in integritate cordis tui feceris hoc, & prohibui etiam ego te, ne peccares in me, atque ideo non permiſi vt tangeres eam. Nunc igitur reſtitue vxorem viro, eſt enim propheta, & orabit pro te, vt viuas: quòd ſi non reſtitueris, ſcito quòd moriendo morieris et

tu & omnia quæ habes. Abimelach itaq; manè cõſurgens, vocauit omnes ſeruos ſuos, et loquutus eſt omnes ſermones hos in auribus illorum: timueruntq; viri illi valde. Et vocauit Abimelach Abraham, dixitq; ad eum: quid feciſti nobis, & quid peccaui in te, quòd induxiſti ſuper me & ſuper regnum meum peccatũ grande? opera quæ non fieri debent, feciſti in me. Dixitq; Abimelach ad Abraham: quid vidiſti quòd feciſti rem iſtam? Reſpondit Abraham, quia dixi: certè non eſt timor Dei in loco iſto, & interficient me cauſa vxoris meæ. Sed & verè ſoror mea eſt: eſt enim filia patris mei: tametſi non ſit filia matris meæ, & facta eſt mihi in vxorem. Factumq; eſt, cùm me exulare feciſſet Deus de domo patris mei, dixi ad eam: hæc ſit pietas tua quam facies mecum: in omni loco, ad quem peruenerimus, dices de me, frater meus eſt. Tulit itaque Abimelach oues & boues, ſeruos & ancillas, & dedit Abrahæ, redditq; illi Saram vxorem eius. Et dixit Abimelach: ecce terra mea coram te eſt, habita vbi tibi commodum viſum fuerit. Ad Saram verò dixit: ecce de-

te dedi mille argenteos fratri tuo, ecce eſt tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum ſunt, & ſic cum omnibus reprehenſa eſt. Orauit itaq; Abraham ad Deum: & ſanauit Deus Abimelach & vxorem eius, atque ancillas eius, & pepererunt. Nam claudendo repreſſit Dominus omnē vuluam domus Abimelach, ob cauſam vxoris Abraham.

1 Abrahamus & Sara proponuntur fidelibus in exemplum, & nominatim coniugibus Chriſtianis. 1. Pet. 3. Etenim propterea iuſtorum omnium virtutes, ſpiritus ſancti gratia & diſpenſatione, ſcripturis ſunt traditæ, vt nos continuam habentes doctrinam, & ad æmulationem & imitationem iuſtorū vitam noſtram inſtituamus. Oportet ergo nos ſcire, quomodo illi ſe geſſerint, quidque illis acciderit. Inſtituerunt autem vitam ſuam in hac terra ſicut peregrini & aduenæ: & rectè quidem. Nam tempus contractum eſt, & habitus huius mundi præterit, 1. Corinth. 7. Ideo nunc hic, nunc iſthic tabernacula erigebant, quaſi in peregrinatione agentes: non ſicut nos facimus, habitantes in aliena terra quaſi in patria, & domos extruimus ſplendidas, & deambulacra: & villas poſſidemus, & balnea facimus, aliaque plurima. Sed vide quomodo iuſtus ſubſtantiam

ſuam in vernaculis tantùm & pecoribus poſ ſidens, & nunquam in eodem loco ſtans: & aliquando quidem in Bethel figit tabernacu la: interim autem apud quercum Mambre. Interdum in Aegyptum deſcendit, nunc autem in Geraris tabernaculum figit: & omnia facilè ſuſtinet, & gratitudinem erga ſuum dominũ per omnia manifeſtè declarat: & poſt tantas promiſsiones, quæ ei à Deo factæ erant, videns ſe in tantis verſari difficultatib. & in diuerſas tentationes incidere, quaſi adamas immotus perſiſtit: piamque ſuam mentem oſtendens, nullis obſtaculis fiebat negligentior. Vide enim & nunc dilecte, qualis tentatio eum in Geraris inuadit, & admirare fortitudinem & virtutem iuſti, quomodo quod omnibus intolerabile, & quod neque auribus ſuſcipere quis vellet, hoc ipſe ſuſtinuit: non ægrè ferens, neque exigens à Domino, vt vlciſceretur ea quæ fiebant, ſicut plerique homines faciunt, hique innumeris peccatorum ſarcinis preſsi. Nam cùm in diffi cultates quaſdam inciderint, ſtatim obmurmurant, & curioſius inquirunt, & dicunt: Quare hoc & hoc euenit? quare hoc & hoc permiſſum eſt? At iuſtus ille non ſic: vnde & amplior ei ſuperna gratia conceſſa eſt.

Etſi igitur multæ ſunt tribulationes iuſtorum & fideles coniuges afflictionem habent in carne: tamen ex his omnibus liberat eos Dominus, & tandem illis benedicit, vt hîc Abrahamo, cui Abimelæch, qui prius v-

xorem

xorem tulerat, poſtea de ſuo largitus eſt munera.

2 Exponuntur autem hæc ordine in iſta ſacra hiſtoria: principiò raptus Saræ, quæ ſoror erat Abrahami, vt Lothus frater: quia neptis ex fratre Aran, qui eundem cum Abrahamo patrem, videlicet Thare habuit, ſed non eandem matrem, vel filia patris Abrahami adoptiua, vt quidam putant. Deinde prouidentia Dei pro liberanda Sara: accuſatio & iudicium Abimelæchi regis Palæſtinorum: cauſa accuſationis & intentatæ mortis, quā merentur adulteri: defenſio Abimelęchi, primò negantis Saram attactam: deinde dicentis, non vxorem, ſed ſororem ablatam: querela eiuſdem & expoſtulatio ad Abrahamum: purgatio Abrahami, qui propter metū mortis, quæ nondum per mortem Chriſti erat mortificata, ſuſtinuit ſuis oculis, vt ſocia vitæ ſuæ in regis manus incideret: fructus patientiæ in tentatione, per quam muneribus Abrahamus ornatur ab eo, quem diſsimulato vxoris nomine in periculum adduxerat: precatio Abrahami pro Abimelecho, quem Deus (ſicut & Pharaonem, Geneſ. 12.) propter Abrahamum ſeruum ſuum corripuerat (qui enim peccat in ſanctos, in ipſum deum peccat, Zachar. 2. Luc. 10.) & eiuſdem exauditio.

3 Porrò ſi rex ille in Gerarim ex ignorantia peccans punitur, quid accidet illis, qui volentes & ſcientes peccant? Orandus ergo De

us,vt nos à peccato conſeruet atque cuſtodiat: id quod fit tribus modis, teſte Auguſtino lib.2. Medit. ſcilicet occaſionis ſubtractione, reſiſtendi data virtute, affectionis ſanitate. Item, ſi Abrahamus pro raptore vxoris ſuæ rogauit: debemus etiam nos hoc opus Abrahami facere, ac orare pro inimicis, Matth.5.

Cogitemus etiam hic grauitatem tentationis fidei Abrahami, cui ex Sara promiſſus erat filius. Nihil enim minus futurum videbatur, quàm vt ex Sara iam ab Abimelecho rapta, Iſaacus naſceretur. Sed ille ſilenter ferebat omnia, ſciens quòd ſe non eſſet deſpecturus dominus, ſed acceleratum adhibiturus ſubſidium.

Admirabilis quoq; Saræ charitas eſt, quæ periculo mortis iuſtum eripere voluit. Poterat enim ipſa detegendo factum, contumeliam effugere: ſed pertulit omnia fortiter, vt viro ſalutem pararet. Et impletum eſt illud dictum: Erunt duo in carnem vnam. Ita mutuæ ſalutis curam viciſsim agebant, & tantá declarabant concordiam, quaſi vnum eſſent corpus, & vna anima. Audiant hæc viri, audiant & mulieres: & iſtæ quidem vt eandem erga ſuos viros charitatem declarēt, & nihil aliud illorum præferant ſaluti: viri autem erga vxores habeant beneuolentiam, & quaſi vnam animam & vnum corpus poſsiderent, omnia faciant. Hoc enim verum eſt coniugium, quando tanta inter eos eſt concordia, quando vinculo charitatis ita ſunt concatenati.

nati. Sicut enim corpus nunquam à ſemetipſo diſsidet, neq; anima aduerſus ſeipſam: ita virum & mulierem non conuenit diſsidere. Tunc enim bona infinita ſibi coaceruare poterunt. Vbi enim concordia, ibi bonorũ confluxus, ibi pax, ibi charitas, ibi ſpiritualis lætitia: nullum bellum, nulla rixa, nuſquam inimicitiæ & contentio: ſed hæc omnia è medio tolluntur per concordiam, bonorum omnium radicem, quæ omnia illa ſimul abolet. Vide deniq; Dei miſericordiam, quomodo, quia vidit iuſtũ propter metum mortis, Sarę ablationem fortiter ferre, & regem eam vt ſororem iuſti abducere: ſuam poſtea declarat prouidentiam, iuſtũ quoq; illuſtriorẽ reddit, & Saram ab iniuria, regem verò à peccato liberat. Hoc enim poteſt, Iudith 13. Iudæ 1. Cæterùm hæc audiens dilecte, ne condemnes iuſtũ (qui homo fuit, non angelus) ob puſillanimitatẽ, quòd mortem timuerit: ſed potius admirare conditoré vniuerſi, qui tantæ erga nos eſt miſericordiæ, quòd mortem iuſtis illis & ſanctis tunc terribilem, eandem nunc ita contemptibilem fecerit Chriſtus, vt quam formidabant illi virtute clari, & tanta erga Deum fiducia freti, nunc derideant & iuuenes, & teneræ virgines. Nihil enim mors eſt vltra, quàm ſomnus & peregrinatio, & tranſmigratio à deterioribus ad meliora. Mors enim Domini immortalitatem nobis donauit. Huic igitur debetur honor & gloria in ſempiternum, Amen.

CONCIO VIII.

Geneſ. 21.

VISITAVIT autem Dominus Saram, quemadmodum dixerat: fecitq́ dominus Saræ, ſicut loquutus fuerat. Nam concepit & peperit Sara ipſi Abraham filium in ſenectute ſua, idq́ illo tempore, quod prædixerat ei Deus. Et Abraham vocauit nomen filij ſui, qui ſibi natus erat, & quem ſibi genuerat Sara, Iſahac. Circumcidit quoque Abraham Iſahac filium ſuum, cùm eſſet filius octo dierum, quemadmodum præceperat illi Deus. Porrò Abraham fuit filius centum annorũ, cùm ſibi naſceretur Iſahac filius ſuus. Sara verò dixit: riſum fecit mihi Deus, vt omnis qui audierit, corrideat mihi. Dixitq́, quis vnquam dixit Abrahæ, lactauit Sara filios? ſiquidem genui filium in ſenectute illius. Creuit itaque puer & ablactatus eſt, fecitq́ Abraham conuiuium magnum illo die cùm ablactaretur Iſahac. Et vidit Sara filium Hagar Aegyptiæ, quem illa genuit ipſi Abraham, eſſe deriſorem. Vnde dixit ad Abraham: eijce

eijce ancillam iſtam & filium eius: non enim erit hæres filius iſtius ancillæ cum filio meo, nempe cum Iſahac. Et valde diſplicuit verbum iſtud in oculis Abraham, ſuper cauſa filij ſui. Et dixit Deus ad Abraham: Non diſpliceat in oculis tuis ſuper puero, & ſuper ancilla tua: omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius, quia in Iſahac vocabitur tibi ſemen. Quin & filium ancillæ ponam in gentē, quia ſemen tuum eſt. Surrexit itaque Abraham diluculo, & tulit panem & lagenulam aquæ, deditq́ Agar, imponens humero eius vnà cum puero, & emiſit eam: quæ abiens errauit in deſerto Beer Sæba. Conſumptæ quoque ſunt aquæ in lagenula, & proiecit puerum ſub vnum ex virgultis. Et abiens ſedit è regione, elongans ſcilicet ſe quantus eſt iactus arcus: dixit enim, non videbo mortē pueri, & ſedens ex aduerſo, leuauit vocē ſuam & fleuit. Audiuit autem Deus vocem pueri, vocauitq́ angelus Dei Hagar de cælo, & dixit ad eam: quid eſt tibi Hagar? noli timere, quia exaudiuit Deus vocem pueri ex eo (loco) in quo eſt: Surge, tolle puerum, & apprehende eum manu

tua, quoniam in gentem magnam ponã eum. Et aperuit Deus oculos eius, viditq́ue fontem aquarum: & abiens impleuit lagenulam aqua, & dedit puero bibere. Fuit autem Deus cum puero, & creuit, manſitq́ in ſolitudine, & factus eſt ſagittarius. Habitauit autem in deſerto Pharan: & accepit illi mater ſua vxorem de terra Aegypti.

1 In hac hiſtoria de genito Iſaaco, & de eiecta ancilla eiusque filio, habemus multa notatu digna. Ac primùm quidem conſideranda nobis proponitur Dei bonitas, veritas, & omnipotentia. Viſitauit enim Saram ſterilem, atque eius recordatus eſt, quemadmodum dixit & promiſit Geneſ. 17. & 18. In Abrahamo & in Sara diſcimus fidem, obedientiam, ſpem, & patientiam. Abrahamus enim teſte Apoſtolo Roman. 4. præter ſpem ſub ſpe credidit, ſe fore patrem multarum gentium: iuxta id quod dictum eſt: Sic erit ſemen tuum. Ac non infirmatus fide, haud conſiderauit ſuum ipſius corpus iam emortuum, quum centum ferè natus eſſet annos, nec emortuam vuluã Saræ: verùm ad promiſsionem Dei non hæſitabat ob incredulitatem, ſed robuſtus factus eſt fide, tribuens gloriam Deo: certa perſuaſione concepta, quòd is, qui promiſerat, idem potens eſſet & præſtare. Quapropter etiam imputatum eſt illi ad iuſtitiam.

iuſtitiam. Per fidem & ipſa Sara, vt Hebræ- or. 11. legimus, vim ad concipiendum ac retinendum ſemen accepit, ac præter ætatis rationem peperit, quòd fidelem iudicaret eũ, qui promiſerat. Igitur dilecti, & nos eandẽ, quam fideles illi patientiam habeamus, & nunquam deſides ſimus: ſed ſpe bona recreemur, ſcientes quòd neq; rerum difficultas, neque aliud quid humanum obſtaculum nobis eſſe poterit, ſi quando Dei gratia ſuam declarare voluerit liberalitatem. Quoties enim ille annuit, omnia ſibi cedunt & obtẽperãt, & difficilia facilia, & impoſsibilia poſsibilia ſunt: tantũ firmã in ipſo fidem conſeruemus, & ad magnitudinem potentiæ ſuæ ſpectantes, humanis omnib. ſuperiores fiamus.

Obſeruandum hoc loco etiam eſt, liberos eſſe Dei donum. Concepit enim & peperit Sara vi promiſsionis diuinæ: quod & ipſa poſtea fatetur, vbi ait, Riſum fecit mihi Dominus. i. Deus me affecit gaudio, & quicunque audierit, corridebit mihi. i. congratulabitur mihi, & gaudebit de Dei bonitate. Et maximè hoc dicitur, quia de Iſaac nata eſt beata virgo, quæ per filium ſuum gaudium attulit vniuerſo mundo, Luc. 2. qui filius initiũ ſignorum ſuorum fecit in Cana Galilęæ, vbi aquam vertit in bonum ac generoſum vinũ, Ioan. 2. vinum autem lætificat cor hominis, Pſal. 104. Porrò Iſaac riſum, ſeu gaudium ſonat. Hunc Abrahamus non genuit, niſi iam emortuo corpore, tum ipſius, tum vxoris,

cui iam deſierant muliebria. Hoc arcanum gaudium mentis ſibi benè conſciæ, non naſcitur in nobis, niſi per ſpiritum mortificatis carnis affectibus.

Item, Saram matrem ipſam lactaſſe filium ſuum: id quod nonnullæ delicatæ ac molles fœminæ non faciunt: contra quas Eraſmus multa lib. 2. de Rat. conc. pag. 145. & lib. 4. pag. 440. Sed & propter hoc lactis fontes conceſsi ſunt Saræ, vt partum magis credibilem faciant, & ne quis ſuppoſiticium eſſe putet puerum.

Locus hic admonet etiam à ſanctis conuiuia agitata eſſe, idque cum gratiarum actione, & timore Dei. Ablactato enim Iſaaco celebratur feſtiuū & hilare conuiuium. Quantò hilarius conuiuium paratur cœleſti familiæ Abrahami in regno Dei ablactato Meſſia, hoc eſt, crucis eius curſu peracto, de quo ipſe apud Euangeliſtam: Dico vobis, non bibam poſthac ex hoc fructu vitis vſque in diem illum, cùm bibam vobiſcum nouum in regno patris mei.

2 Habent autem omnes coniuges exemplum in Abrahamo & Sara hîc, quod imitentur. Sancta enim illa mulier noluit ancillam ſuperbam, & arrogantem eius prolem eijcere, marito non conſulto & appellato. Rurſum Abrahamus rectè monentem vxorem non ſpreuit, quemadmodum Pontius Pilatus ſuam, Matthæi 27. Verbum enim Dei, & fides quā illi habuit, omnes in vetere homi-

ne

ne affectus, quos habuit erga filium Iſmaelē, vicit. Quæ victoria nobis ad imitandum proponitur. Vbi enim Dominus quid præcipit, faceſſant omnes affectiones: quia naturæ Dominus eſt, qui præcipit. Itaque non fuit inhumanitatis, quòd Abrahamus ſic dimiſit ancillam, ſed obedientię diuinæ, in qua verū humanitatis & clementiæ ius cernitur.

Cæterùm cauſa eiectionis ancillæ & filij eius, exprimitur his verbis: Cumque vidiſſet Sara filium Agar Aegyptiæ ludentem, vel, deriſorem eſſe, vt Chaldæus paraphraſtes exponit. Quid autem riſerit Iſmael, vel quid aut quem irriſerit, non exprimitur in textu. Munſterus dicit: Cùm eſſet magnum conuiuium, & omnes congratularentur ipſi Abraham, quòd in ſenectute Dominus illi dediſſet filium, filius ancillæ deridebat & ſubſannabat illos. Quod Sara aduertens, marito indicauit. Ita ſæpe videmus lætitiæ comitem eſſe triſtitiam.

Hebræorum quidam referunt, Saram animaduertiſſe Iſmaelem procliuem fuiſſe ad idololatriam, ad homicidia, & ad ſcortationē, quod colligunt ex vi verbi מצחק quod in textu Hebraico ponitur, eo quòd in quibuſdam Scripturæ locis vſurpatur, vbi de iſtis flagitijs ſermo eſt, vt Exodi 32. 2. Regū 2 Geneſis 26. Septuaginta interpretes & author vulgatæ æditionis Latinæ, ita tranſtulerunt hunc locum, quaſi Sara viderit Iſmaelem ludentum cum Iſaaco filio ſuo. Addiderunt

illud de ſuo, Cum Iſaaco filio ſuo, ad abſol-
uendam ſententiam, quę aliàs conciſa & im-
perfecta videbatur. Et id quidem non ma-
lè. omnino enim ex textu apparet, altercatio
nem inter Iſmaelem & Iſaacum ſubnatam fu
iſſe (quod & Hebræi ſentiunt) de hæredi-
tate, quis nam ipſorum potior hæres Abra-
hami futurus eſſet: ibique Iſmaelem confi-
ſum prærogatiua primogenituræ, præſe Iſa-
acum contempſiſſe. Quæ ſententia facilè ſta-
bilitur ex verbis Saræ, dicentis ad Abraha-
mum: Eijce ancillam iſtam & filium eius:
non enim erit hæres filius iſtius cum filio
meo Iſaaco. Atqui hæc erat perſecutio, qua
Iſmael perſequebatur Iſaacum, de qua Apo-
ſtolus ſcribit ad Galatas capite quarto. Vn-
de & Auguſt. Tractat. 11. in Ioan. Illa luſio, il-
luſio erat. Illa luſio deceptionem ſignifica-
bat. Perſecutionem illá vocat Apoſtolus, &c.
Duplex igitur genus filiorum adumbratur:
alterum eorum qui legem perficere tentant,
naturæ facultate, non ſpiritu promiſsionis
fidei Ieſu Chriſti freti. Tales ſunt, qui ſua iu-
ſtitia, ſua ſanctimonia inflati, deridét omnes,
qui hoc inſtituto non ſunt: & quia corde im-
puro ſunt, legi diuinæ nequaquam ſatisfaci-
entes, quæ cor mundum, amorem nimirum,
quo Deum ſupra omnia, & alterum vt nos
diligamus, requirit, ſub lege ſunt, id eſt, ſub
damnatione legis ſerui, & cum Iſmaele ex
Hagare ancilla peccati & mortis mancipia.
Alterum autem genus eorum habetur, qui
ſuo

ſuo præſidio & omni humana ope diffiſi, intelligunt ſe per vim naturæ præſtare legem non poſſe, quòd ſub peccatum ad ius mortis venundatos ſe ſciunt, atque ita vno Chriſto nituntur per fidem, qui ipſorum iuſtitia, ſalus & redemptio ſit: hi à iure, id eſt, demnatione legis liberi cùm ſint, & ſub gratia per Chriſti fidem cõtinentur, liberæ cum Iſaaco filij reputantur, & hæredes ſcripti in domo manẽt, Iſmaele ſuperbo & deriſore expulſo.

3 Porrò quid amandatæ Agari & filio eius in deſerto acciderit, iam ſequenter narratur. Vbi obſeruanda hæc veniunt:

Primò, Deum vbique intueri neceſsitates afflictorum, & tum maximè adeſſe, quum omne humanum præſidium deeſt.

Secundò, pietatem ſic vtilem eſſe, vt ob eam etiam liberis piorum benefiat, vt Iſmaeli propter Abrahamum.

Tertiò ignorare nos etiam præſentiſsima, ſi ea Deus nobis negare voluerit, & oculos non aperire.

Quartò, liberos in iure parentum eſſe: & pares cum paribus debere coniungi. Dedit enim Agar filio ſuo vxorem, de ſua gente & ſtirpe: neque duxit Iſmael vxorem inſcia aut nolente matre. Parentes enim honorandi ſunt iuxta Dei præceptum, cui iure ac meritò debetur fidelis obedientia in omnibus.

Amen.

CONCIO IX.

Geneſ. 24.

PORRÒ Abraham ſenuit, venitq́ in dies: & Dominus benedix. t Abraham in cunctis. Et dixit Abraham ad ſeruum ſuum, ſeniorem domus ſuæ: qui præerat omnibus, quæ illius erant: Pone (inquiens) manum tuam ſubter fæmur meum. Et adiurabo te per Dominum Deum cœli et Deum terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chanaan, in quorũ medio ego habito. Sed ad terram meam & ad patriam meam ibis, & accipies vxorem filio meo Iſahac. Dixit verò ſeruus ille ad eum: Fortaſsis renuet mulier illa venire poſt me ad terram iſtam, & nunquid reducendo reducere debeo filium tuum ad terram vnde tu egreſſus es? Cui reſpondit Abraham: Caue ne fortè reducas filium meum illuc. Dominus Deus cœli, qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ, & qui loquutus eſt ad me, quiq́ iurauit mihi, dicens, Semini tuo dabo terram iſtam, ipſe mittet angelum ſuum ante te, & accipies,

pies inde vxorem filio meo. Quòd ſi noluerit mulier ſequi te: innocens eris à iuramento iſto meo: tantùm filium meum ne reducas illuc. Poſuit itaq; ſeruus manum ſuam ſub fæmore Abraham domini ſui, & iurauit illi ſuper hac re. Et accipiens ſeruus decem gamelos ex gamelis domini ſui, abijt, eratq; omne bonum domini ſui in manu ſua: & ſurgens abijt in Meſopotamiam, ad ciuitatem Nahor. Porrò gamelos fecit accumbere extra ciuitatem iuxta fontem aquæ, tempore veſpertino, eo tempore, quo egrediũtur (mulieres aquam) hauſturæ. Dixitq;: Domine Deus domini mei Abraham, obſecro fac occurrere mihi hodie, & fac miſericordiam cum domino meo Abraham. Ecce ego ſto iuxta fontem aquæ, & filiæ hominum ciuitatis egrediuntur, vt hauriant aquam. Erit itaque, vt puella, ad quam dixero, inclina quæſo hydriam tuam vt bibam: illaq; dixerit, bibe, quin & gamelis tuis potum dabo, ea ſit quam præparaſti ſeruo tuo Iſahac: & in hoc ſciam quòd feceris miſericordiam cum domino meo. Factumq; eſt, priuſquam ipſe deſiit loqui, ecce Rebecca egrediebatur, quæ na-

ta erat Betueli filio Milcha vxoris Nahor fratris Abraham: eratq́ hydria ſua in humero ſuo. Erat autem puella illa valde pulchra aſpectu, eratq́ virgo, quippe quam nullus vir cognouerat: & deſcendebat ad fontem, impleuitq́ hydriam ſuam & aſcendit. Et currens ſeruus in occurſum eius, dixit: Pota me quæſo pauxillo aquæ de hydria tua. Quæ ait: bibe domine: feſtinansq́ depoſuit hydriam ſuam ſuper manum ſuam, & dedit illi bibere. Et vbi deſiit potare illum, dixit: gamelis quoq́ tuis hauriam, donec ceſſauerint bibere. Et feſtinans effudit hydriã ſuam in canale, currensq́ iterum ad puteum, vt hauriret, hauſit pro omnibus gamelis illius. Porrò vir ille ſtupefactus eſt in ea, tacens quidem, vt cognoſceret, nũ Dominus proſperum feciſſet iter ſuum, an non. Factumq́ eſt, vt ceſſauerunt gameli bibere, tulit vir ille inaurem aureã, cuius pondus erat dimidium ſicli, & duas armillas ſuper manus illius, quarum pondus erat decem aureorum. Dixitq́, cuius filia es? indica quæſo mihi: eſt ne in domo patris tui locus nobis ad pernoctandum? Reſpondit ei: Filia ſum Betuelis fi-

lis filij Milcha, quæ illum genuit ipſi Nahor. Dixitq́ʒ ad eum: Etiam palea & pabulum multum eſt nobiſcum, quin & locus ad pernoctandum. Inclinauit verticem vir ille, & adorauit Dominum. Dixitq́ʒ: Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non intermiſit miſericordiam ſuam & veritatem ſuam à domino meo: ego exiſtens in itinere, deduxit me Dominus vſque ad domum fratrum domini mei. Et currens puella, nunciauit domui matris ſuæ iuxta hæc verba.

1 In hac hiſtoria veniunt conſiderandæ omnes circumſtantiæ rerum. Quod enim ipſum factum attinet, contractum eſt matrimonium inter duos: quòd perſonas, iſtę ſunt Iſaac filius Abrahami, & Rebecca filia Betuelis: hæc Chriſti eccleſiam, ille Chriſtũ ipſum præfigurauit: quòd locum, ille in Chanaan, hæc in Meſopotamia habitauit: quòd tempus, Iſaacus exceſſerat iam triginta ſeptem annos, quæ ætas, iudicio etiam eorum, qui qua ætate matrimonia contrahi debeant, docent, apta erat coniugio: quòd auxilia, Deus fuit præparator, angelus eius paranymphus, ſeruus Abrahami miniſter: quòd cauſam, ea fuit propagatio ſobolis: quòd formam & modum, is à Moſe conſcribitur multis verbis.

2 In deſcriptione Abrami,& colloquij ipſius cum ſeruo ſuo Eleezer, primò conſideremus ſenectutẽ & benedictionẽ, quam iuxta veracis Dei promiſsionem, cui credidit, conſecutus eſt. Dixerat enim Deus: Tu autem abis ad patres tuos in pace, ſepultus in ſenectute bona. Item, Benedicam tibi, erisque benedictus. Deinde curam eius in procurãda vxore filio Iſaaco: cui noluit dari in vxorem Chananæam, prophanam, & ad ſeruitutem in Chamo damnatam: quo facto legi Deuteron. 7. præitum eſt, & exemplum propoſitum, in contrahendis matrimonijs delectum eſſe habendum (quem cùm ſuprà cap. 6. Gen. filij Dei negligerent, nubentes in familiam Cainam, diluuio puniti ſunt) neque formam, nec generis nobilitatem, nec opes ſpectandas, ſed Dei voluntatem: nec non parentibus in id diligenter incumbendum, vt ſui liberi matrimonio iungantur honeſtorũ atque piorum hominum: & rurſus liberis præter voluntatem parentum matrimonia contrahenda non eſſe. Vt enim in paradiſo Euam ipſe Deus ad Adamum adduxit: ſic vult deinceps parentum conſenſu ac voluntate deſponſationes fieri, vt dicitur Exod. 20. Honora patrem, &c. & 1. Corint. 7. Qui elocat, rectè facit. Et Ambroſius hanc Rebeccę hiſtoriam enarrans, poſtulat conſenſum parentum, & citat ex Andromache Euripidis verſiculos:

νυμφευμάτων μὲν τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς
μερίμναν ἕξει, κ' ὐκ ἐμὸν σκοπεῖν τάδε. hoc eſt:

Sponſalium meorum pater meus
Curā habebit, & non eſt meum ſtatuere hoc.

Et textus in Iure ciuili inqt in Inſtit. Tit. de Nuptijs: Si filij familiarum ſunt, conſenſum habeant parentum, quorum in poteſtate ſunt. Nam hoc fieri debere, & ciuilis & naturalis ratio ſuadet, in tantum vt iuſſus parentum præcedere debeat.

Tertiò morem fuiſſe olim ſeruis iurantib. (iurare enim non ſemper malum eſt, ſed peierare) manum ſub fœmore ponere, quo ritu ſe in poteſtate dominorum eſſe declarabant. Hoc etiam hodie in quibuſdam Orientis partibus vtuntur. Ex fæmore item liberi prodeunt, qui iure generationis ſub poteſtate ac imperio parētum fatentur ſe teneri. Noſtri ſanctè tradunt, fæmur iurijurando ſacratum propter Chriſtum, cui naſcendo ex fæmore Abrahami, omnia ſubijciēda eſſent, vt Chriſtus ipſe de ſe fatetur, Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. Itaq; propter hunc iuſſum ſeruum ponere manum ſub (non ſuper) fæmur domini ſui Abrahami, quòd Chriſtus eſſet in lumbis eius ex futuro matrimonio Iſaaci & Rebeccæ naſcendus. Sic enarrat Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum: Adiurat ſeruum in fæmore, hoc eſt, in Chriſto, qui de eius ſemine erat naſciturus.

Quartò conſideranda fides Abrahami er-

ga Dei prouidentiam de paranda vxore. Do mus enim (inquit Salomon) & diuitiæ dantur à parentibus: à domino aũt vxor prudẽs.

Quintò ipſa diuina prouidentia per miniſterium angelorum in coniugijs ſanciendis apparens, Tob. 7.

Sextò fides ſerui, obedientia, pietas & oratio. Eſtque hoc conſolatione pleniſsimum, quòd pius Abraham ac ſeruus eius auſpicem, præſidemq; nuptiarum conſtituunt Deum, orantque vt filio Iſaac benè proſpicere dignetur, atq; fortunare matrimoniũ. quod tanti fecerunt, & in conſpectu Dei tam honorabile reputarunt, vt crediderint miſſum iri cœlitùs angelum, ad omnia proſperanda connubij futuri negocia. Quia ergo cura ſingulari Dei, piorum matrimonia angelorum miniſterio (vt contrà impiorum ſcortationes & adulteria dæmonum conſilio ac ope) geruntur: (Tob. 6. 7. 8.) idcirco debent matrimonia piè & ſanctè ſanciri, atque ſancita geri & haberi.

3 In colloquio ſerui & Rebeccæ conſideremus non ſolùm pulchritudinem & virginitatem ſpiritualis Rebeccæ, id eſt, Eccleſiæ ſanctæ: ſed etiam charitatem & hoſpitalitatem, ex qua etiam diſcipuli Chriſti cognoſcuntur, Ioan. 13. item munera ſponſalia, quibus noua ſponſa ornata fuit. Protulit enim ſeruus Abrahami ornamenta aurium & manuum: quæ ornamenta vſurpata à ſanctis olim, ornatum commendant, luxum ad oſtentationem

tationem paratum damnant. Vt autem ſeruus ille Rebeccæ inaures aureas, & armilla pondo ſiclorum decem dedit: ſic Apoſtoli, diſpenſatores donorum Dei, fidem, quæ ex auditu verbi Dei eſt, & charitatem, quæ conſiſtit in ſeruandis decem præceptis Dei, annunciant. Hanc fidem, quæ ſit per charitatem efficax, adaugeat nobis Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Amen.

CONCIO X.
Geneſ. 24.

HABEBAT autem Rebecca fratrem nomine Laban: & is cucurrit ad virum foràs, nẽpe ad fontem. Et factum eſt, cùm vidiſſet inaurem, & armillas in manibus ſororis ſuæ, & cùm audiſſet verba Rebeccæ ſororis ſuæ dicentis: Sic locutus eſt ad me vir ille: venit ad virum: & ecce is ſtabat apud fontem iuxta gamelos. Et dixit: Veni benedicte Domini, cur ſtas foris? & ego quidem præparaui domum & locum pro gamelis. Intrauit itaq; vir ille domum, & ſoluit gamelos. & dedit (Labã) paleam & pabulum gamelis, atq; aquam, vt lauarent pedes ſuos, & pedes virorum qui cũ illo erant. Appoſuit quoque corã eo vt comederet: at ille ait: non

comedam donec expreſſero verba mea: qui dixit:loquere. Et ait: Seruus ſum Abraham. Et quidem Deus benedixit dominum meum valde, & magnificatus eſt, deditq́ illi oues & boues, argentum & aurum, ſeruos & ancillas, gamelos quoq́ & aſinos. Sed & Sara vxor domini mei peperit filium domino meo, poſtquam ipſa conſenuit: & dedit illi omnia quæ habet. Adiurauitq́ me dominus meus dicens: Non accipies vxorem filio meo de filiabus Chananæi, in cuius terra ego habito. Sed ad domum patris mei perges, & ad cognationem meam, & accipies vxorem filio meo. Dixitq́ ad dominũ meum: Fortaſsis non ibit mulier poſt me. Et ille reſpondit mihi: Dominus, in cuius conſpectu ambulo, mittet angelum ſuum tecum, & proſperum faciet iter tuum, accipiesq́ vxorem filio meo de cognatione mea, & de domo patris mei. Tunc innocens eris à maledictione mea, cùm veneris ad cognationem meam: & ſi non dederint tibi, eris innocens à maledictione mea. Ego itaque veni hodie ad fontem, & dixi: Domine deus domini mei Abraham, ſi tu nunc proſperum facis iter meum,

meum, in quo ego ambulo. Ecce ego ſto iuxta fontem aquæ: & erit, vt puella, quæ egreditur ad hauriendam aquam, dixeroq́ʒ ad eam, da mihi quæſo pauxillum aquæ de hydria tua vt bibam: Et illa dixerit mihi, & tu bibe, & gamelis tuis hauriam: illa ſit mulier, quam præparauit Dominus filio domini mei. Et ego antequã conſummaſſem loqui in corde meo, ecce Rebecca egrediebatur, & hydria eius in humero eius, deſcenditq́ʒ ad fontem, & hauſit aquam, & dixi ad eam: Da mihi quæſo bibere. Illa verò feſtinans depoſuit hydriam ſuam à ſe, & dixit: bibe, quin & gamelis tuis potum dabo: & ego bibi: & gamelis quoque ipſa potum tribuit. Interrogans autem eam dixi: cuius filia es tu? quæ reſpondit, filia Betuelis filij Nahor, quam illi peperit Milcha: et poſui inaurem ſuper faciem eius, & armillas ſuper manus eius. Incuruatoq́ue vertice adoraui Dominum, & benedixit Domino Deo domini mei Abraham, qui deduxit me per iter rectum, vt ſumerem filiam fratris domini mei filio eius. Et nunc ſi conſentitis facere pietatẽ & veritatem cum domino meo, indicate: ſin

nolueritis, annunciate mihi, vt vertam me ad dextram vel ſiniſtram. Et reſpondit Laban atq; Betuel dicentes: à Domino egreſſum eſt verbum iſtud, & idcirco non poterimus loqui ad te vel malum vel bonum. En Rebecca coram te eſt, accipe & vade, vt ſit in vxorē filio domini tui, ſicut locutus eſt Deus. Factum autem eſt, cùm audiſſet ſeruus Abraham verba illorum, adorauit pronus in terra Dominum. Et protulit ſeruus ille vaſa argentea, & vaſa aurea, atque veſtimenta, & dedit Rebeccæ: munera quoque obtulit fratri eius atque matri. Et comederunt atque biberunt ipſe & viri qui cum ipſo erant, & pernoctauerunt: ſurgentesq́ue manè, dixit ille: dimitte me ad dominum meum. Reſpondit frater eius atque mater: maneat puella nobiſcum per dies ſaltem decem, & poſtea ibit. Qui ait illis: Nolite impedire me: en Dominus proſperã fecit viam meam, dimittite igitur me, vt vadam ad dominum meum. Et illi dixerunt: vocabimus puellam, & interrogabimus os eius. Vocauerunt igitur Rebeccam & dixerunt ad eam: vis ire cũ viro illo? & reſpondit, ibo. Dimiſerunt itaq;

taq; Rebeccam ſororem ſuam atq; nutricem eius, & ſeruum Abraham atq; viros eius. Et benedixerunt Rebeccæ, dixeruntq; ad eã: ſoror noſtra tu es, ſis in mille millia, & poßideat ſemen tuum portam inimicorum ſuorum. Surrexit itaque Rebecca & puella eius, & conſcendentes gamelos ſecutæ ſunt virum: & tulit ſeruus ille Rebeccam, atq; abijt. Et Iſahac veniebat ab itinere putei (cuius nomen erat, Viuentis videntis me) habitabat ſiquidẽ in terra auſtrali. Et egreſſus eſt Iſaac ad orandum in campo tempore veſpertino: & leuans oculos ſuos, vidit gamelos venientes. Rebecca quoq; leuauit oculos ſuos, & viſo Iſahac lapſa eſt de gamelo. Et dixit ad ſeruũ: quis eſt vir ille qui ambulat in cãpo in occurſum noſtrum? reſpondit ſeruus: ipſe eſt dominus meus. tulit igitur peplũ, et operuit ſe. Et narrauit ſeruus ipſi Iſahac omnes res quas geſſerat. Introduxitq; eã Iſahac in tabernaculũ Saræ matris ſuæ, & accepit Rebeccã, factaq; eſt ei in vxorẽ: et dilexit eam, conſolationemq; accepit Iſahac poſt matrem ſuam.

Quemadmodũ in Laban hoſpitalitatis, ſic in ſeruo Abrahami dilıgẽtis fidei exemplum

habemus. Noluit enim edere, donec heri ſui negocium exequutus eſſet. Repetit autem res geſtas inter ipſum & herum ſuum (quem benedixerat Dominus) item inter ſe & deũ, nec non inter ſe & puellam Rebeccam, &c. quæ omnia ita narrat, vt oſtendat rem non humana iuduſtria, ſed prouidentia, voluntate & conſilio Dei geri: cui parentes Rebeccę repugnare noluerunt.

2 Ex his quatuor diſcere debemus, quæ ad feliciter contrahenda coniugia pertinẽt. Primum non inter pocula (vt hodie non rarò fieri ſolet) ſed ante captum cibum & hauſtum vinum, de rebus matrimonialibus agi debere. Deinde, primò cognatos & parentes, in quorum poteſtate ſunt liberi, appellãdos eſſe. Tum enim rata ſunt matrimonia, ſi acceſſerit maiorum conſenſio. Tertiò, ſententiæ ac voluntati Dei, temerè non eſſe reluctandum, & eos non dirimendos, quos copula coniugali Deus coniunxerit. Nam etſi in parentum poteſtate poſita ſunt liberorũ matrimonia: tamen illi ſcire debẽt, ſe in Dei iure eſſe, cui tanquam ſummo magiſtratui in curandis matrimonijs pareant. Quartò, non licere vt liberi in matrimonia elocentur, vel inſcientes, vel inuiti. Vt enim certa eſt hæc ſententia ex maſculi & fœminæ in vnam carnem creatione, Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet: ita verum eſt, coniunctos non fore, quos Deus amore coniugali non coniunxerit. Vnde hoc loco non prius deſponde-

ſpondetur Iſaaco Rebecca, quàm cognoſcatur de voluntate eius. Sic 1. Reg. 25. Dauid & Abigail in nuptias conſentiunt. Idem in hiſtoria Tobiæ exponitur.

3 Porrò in ſponſa & ſponſo exemplum habent omnes coniuges. Rebecca enim relinquit domum, parentes, fratres, propinquos, vt viuat cum ſponſo ſuo. Hæc eſt vis vocationis diuinæ, & legis coniugalis ab initio editæ: Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ. Sicut autem Rebecca ex Moſopotamia ad Iſaacum venit in Chanaan: ſic ante illum Sara ſequuta eſt Abraham egredientem ex Vhr Chaldæorum: & cum eo profecta eſt in Geraras, Gen. 12. 20. & poſt illum Lia & Rachel Iacobum profugũ ſpontè ſequutæ ſunt, Gen. 31. Et Sephora abijt cum Moſe in Aegyptum, Exod. 4. Et cum Tobia fugiente vxor etiam abijt, Tob. 1. Eſt enim vxoris ſequi maritum. Teſcha Dionyſij ſoror nupta Polyxeno, poſteaquam maritus metu tyranni profugerat, & rex ſororem accuſaret, quòd conſcia fugæ mariti non indicaſſet, Adeóne, inquit, Dionyſi me vilem abiectiq; animi fœminam iudicas, vt ſi ſenſiſſem illum moliri fugam, non me illi nauigationis & omnium fortunarum comitem additura fuerim? Item Rebecca viſo Iſaaco, deſcendit de gamelo, reuerentiæ & honoris gratia, & operuit ſe velamine, quod verecundiæ ac pudoris in noua ſponſa, & futuræ erga maritum obedientiæ ſignis

ficationem habuit. Notum eſt enim quod Apoſtolus 1. Corinth. 11. de muliebri velamine meminit.

Iſaacus autem ſub veſperam meditandi, & orandi gratia deambulans ſecus puteum, vidit ſuam ſponſam. Veriſimile eſt eum precatum eſſe, primùm, vt contingeret illa, quæ ſibi à Deo promiſſa eſſet: deinde, vt ſuum matrimonium ſibi commodum & Deo glorioſum redderetur: demùm, vt liberis in ædificationē familiæ & in eccleſiæ corporis Meſſiæ extructionem augeretur ad implendum promiſſum illud: Et ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus ſum, erisque in nationes, & reges populorum orientur ex eo.

Item Iſaacus, vt hiſtoria teſtatur, vxorem ſuam dilexit, conſolationemq; accepit poſt matrem ſuam, cuius obitum pro pietate ſua tres annos luxerat .i. temperauit dolorem, quem acceperat de morte matris ſuæ. Debent igitur omnes mariti ſuas vxores diligere, quemadmodum & Chriſtus Eccleſiam, Eph. 5. idque amore gratuito, recto, diſcreto, vehementi, fructuoſo, perſeueranti.

4 Vidiſti, inquit D. Chryſoſtomus, quomodo ſolebant olim filijs ſuis vxores ducere? Quomodo magis animæ generoſitatem, quàm opum abundátiam inquirebant? nuſquam inſtrumenta, nuſquam pacta & alia ridicula, quæ nunc apud nos fiunt, & verba illa quæ in literis continentur: Si abſque liberis, inquit, moritur, ſi hoc & hoc contingat. verùm

verùm apud illos nihil tale, ſed maximæ & ſe curiſsimæ literæ erant virginis mores: nuſquam cymbala & choreæ. Et iterum, hîc conſidera oro, inquit, quomodo nuſquam ſuperflua illa & inutilia, nuſquam diabolica pompa, nuſquam cymbala, & tibiæ, & choreæ, & ſatanica illa conuiuia, & ſcommata omni obſcœnitate plena: ſed omnis honeſtas, omnis ſapientia, omnis mititas. Hanc (ſponſam) imitentur mulieres: hunc (ſponſum) æmulentur viri: ſic ſponſas ducere curent. Quare enim, dic oro, ſtatim ab initio ſordibus impleri ſinis puellæ aures, tam turpibus cantilenis: tam intempeſtiua illa pompa? neſcis quomodo adoleſcentia per ſe in malum propenſa? cur honeſta nuptiarum myſteria inuulgas? oportebat omnia hæc depellere, & verecundiam principiò docere puellam, & ſacerdotes vocare, & precibus & benedictionibus concordiam coniugij conſtringere: vt amor ſponſi augeatur, & puellæ continentia creſcat, & omnia quæ fiunt, eò ſpectent, vt virtutis opera ingrediantur in domum illam, tollanturque è medio omnes diaboli inſidiæ: & ipſi gratia Dei vniti, iucundè vitam perficiant: qua nobis omnibus frui detur gratia, & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti, cui cum patre & Spiritu ſancto ſit gloria in ſecula ſeculorum.

Amen.

CONCIO XI.

Geneſ. 26.

FActa eſt autem fames in terra, præter famem priorem, quæ fuit in diebus Abrahã: et abijt Iſahac ad Abimelech regem Paleſtinæ in Gerar. Apparuitq́; ei Dominus,& ait: Ne deſcendas in Aegyptum,ſed habita in terra, quam dixero tibi. Peregrinare in terra iſta, & ego ero tecum, benedicamq́; tibi: nam tibi & ſemini tuo dabo omnes terras iſtas, & confirmabo iuramentum, quod iuraui Abraham patri tuo. Multiplicabo quoque ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & dabo ſemini tuo omnes terras iſtas, benedicenturq́; in ſemine tuo omnes gentes terræ. Eo quòd audierit Abraham vocem meam, & cuſtodierit obſeruantiam meam, præcepta mea, ſtatuta mea, & leges meas. Sedit itaq; Iſahac in Gerar. Et interrogauerunt viri illius loci de vxore ſua: ipſe verò dixit, ſoror mea eſt: timens dicere, vxor mea eſt: ne fortè occidant me viri loci huius propter Rebeccam, quæ pulchra erat aſpectu. Factum eſt autem

cum

tum ei in longum extenderentur dies in eo loco, vt aſpiceret Abimelech, rex Paleſtinæ per feneſtram, et videret Iſaac ridẽtem cum Rebecca vxore ſua. Et vocauit Abimelech Iſaac, dixitq́; : vtique ipſa vxor tua eſt, & cur dixiſti ſoror mea eſt? cui reſpondit Iſaac: quoniam dixi, ne fortè moriar propter ipſam. Ait Abimelech: cur id feciſti nobis? parum abſuit, quin vnus è populo dormijſſet cum vxore tua, & induxiſſes ſuper nos delictum. Præcepit itaque Abimelech omni populo, dicens: Qui tetigerit virum illum & vxorem eius, morte interficietur. Seminauit autem Iſaac in terra illa, & inuenit in illo anno centum modios, benedixitq́; ei Dominus. Et creuit vir ille, & eundo profecit atque euectus eſt, quouſq; ſupra modum magnificatus eſt. Habuit enim poſſeßionem ouium, & poſſeßionem boum atque multiplex famulitium, & ob id Palæſtini ei inuidebant. Nam omnes puteos, quos foderunt ſerui patris eius in diebus Abraham, obturauerunt Palæſtini, implentes eos puluere. Et dixit Abimelech ad Iſaac: recede à nobis, quoniã robuſtior factus es nobis vehementer. A-

bijt igitur inde Iſaac, & manſit in torrente Gerar, habitauitq́ ibi.

1 Ex hac hiſtoria de Iſaaco & ſua coniuge diſcimus primò, ſanctorum vniuerſam vitá nihil aliud, quàm perpetuam in varijs afflictionibus militiam eſſe, vt Iob ait cap.7. militiam inquam aduerſus famem, peſtes, bella, peccatum, mortem, & poteſtates peccati & mortis. Hic enim Iſaacus ob famem rerumq; penuriam, in regionem externam, nempe in Gerar, metropolim Paleſtinæ, proficiſci cogitur cum Rebecca (quæ ſimul cum marito iugum tulit) & ibi non modò propter Rebeccæ formoſitatem in vitæ periculum venit, ſed etiam varijs Philiſtinorum moleſtijs & iniurijs afficitur.

Cæterùm Dominus Deus noſter non patitur, vt ſui electi auxilio diuino deſtituti ſupprimantur. Ipſe enim ad conſolandũ & adiuuandum in tentatione famis apparuit Iſaaco: & non ſolùm mandatum ei dedit, ne deſcenderet in Aegyptum, exemplo patris, Geneſ.12. ſed maneret in Geraris, in quo ſubmonuit eum conditionis vitæ præſentis, quæ nihil niſi peregrinatio eſt: verùmetiam promiſit ei præſentiam & benedictonem ſuam, inquiens: Ego ero tecum. q.d. cùm ſuppeditatorem bonorum omnium habeas, ne ſis ſolicitus, ne ſis anxius: ego enim Dominus omnium ero tecum. Et præterea benedicam te, hoc eſt, glorioſum te faciam, & benedictionem

dem meam præbebo: idq; propter patris tui Abrahami fidem & obedientiam. Verum itaq; eſt, quod Exod.20.legitur: Et faciens bene in mille ætates ijs qui diligunt me, ſed ita, ſi filij patrem referant innocentia, vt feciſſe legitur Iſaacus. Obediuit enim & ipſe Deo, & manſit in Gerar: vt vitaret famem, ne Deum tentaret.

Vide interim Dei ſapientiam, quomodo erigit mentem iuſti, & alacriorem reddit: & vt patris imitator fiat, efficit. Nam ſi ille, inquit, quia meæ obediuit voci, tanta pollicitatione dignus habitus eſt, & propter illius virtutem in te, qui ex eo natus es, ſum impleturus: ſi & ipſe illius imitator fueris, & eadẽ qua ille via inceſſeris, cogita quantam apud me beneuolentiam habiturus ſis, & quanta mea cura te dignaturus ſim. Nam ſi cui ob alterius virtutem bene futurum eſt, ſi & ipſe virtute prędìtus fuerit, multò maiore dignus habebitur cura.

2 Quòd autem Iſaacus vxorem ſuam ſororem vocauit (ſicut Abrahamus ſuam Saram, Geneſ.20.) factum eſt fortaſſe non ſolùm ob metum mortis, quæ nondum erat per Meſſiam victa: ſed etiam propter familiam & cognationem, de qua Rebecca erat: nec non propter figuram Chriſti & eccleſiæ eius, quę ipſius & vxor, Epheſ.5. & ſoror, Matth.12. eſt, idque per fidem, quæ purificat cor eius, Actor.15. vt pulchra appareat.

Quod ad luſum & iocum, ſeu riſum Iſaaci

(cui Deus benedictum ſemen promiſerat) cum vxore ſua attinet, vide quid ſit, Prouer. 5. & Eccleſ. 9. Vbi Salomon ait, Fruere tuæ iuuentutis vxore, amabili cerua, &c. Fruere vita cum dilecta tibi coniuge, &c. Quid verò abſurdum, ſi propheta carnale aliquid luſit, vt eum caperet affectus vxoris, cùm verbum Dei caro factũ ſit, vt habitaret in nobis?

Nemo autem iocetur cum aliena, ſed quiſque propriam vxorem habeat, 1. Corinth. 7. vt vitet ſcortationem & adulterium: quod peccatum eſt grande etiam iudicio Abimelechi, id eſt, regis Palæſtinorum (Abimelech enim regiæ dignitatis commune nomen erat: vt apud Ægyptios Pharao, & apud Romanos Cæſar) qui rex cognouit Rebeccam Iſaaci vxorem eſſe ex eo, quòd vidit eum cũ illa iocantem. Nemo enim cum germana ſorore congreditur niſi inceſtuoſus. Idem rex quoque tanquam pater patriæ prohibuit populo ſuo, peregrinis, & coniugibus honeſtis vim inferre. Sed & de Alexandro Magno legitur, quòd animum habuerit alienum à conſtupranda aliena vxore. Quum.n. puella multa nocte ad eum eſſet deducta, cum eo dormitura, rogauit rex vbi fuiſſet tamdiu: illa reſpondente, ſe expectaſſe donec maritus iſſet cubitum: miniſtros accitos acriter obiurgauit, Reducite, inquit, hãc: parum enim abfuit, quia veſtra culpa fuerim fact⁹ adulter.

3 Porrò conſideranda nobis hic venit Dei bonitas & veritas. Stat enim promiſsis, & benedi-

benedicit Iſaaco: qui quidem ſeuit & laborauit, ſed à Domino benedictionem expectauit, atque accepit tantam, vt & Palæſtinos ad inuidiam moueret, & regem illorum ad odium: id quod Iſaacus patienter tulit. Omnes igitur ſperent, non in principibus, ſed in ſolo Deo: qui ſuos ſemper cruce probat, ſed ab ea tandem liberat: cui debetur honor, gloria & poteſtas in ſecula ſeculorum, Amen.

CONCIO XII.

Geneſ. 28.

Vocauit itaque Iſahac Iacob, & benedixit eum: præcepitq́ ei, et dixit ad eum: non accipies vxorem de filiabus Chanaan. Surge, vade in Meſopotamiam, ad domũ Bethuel patris matris tuæ, & ſume tibi inde vxorẽ de filiabus Laban fratris matris tuæ. Deus autem omnipotens benedicat tibi, & faciat te creſcere, atque multiplicet te, vt ſis in congregationem populorum. Det quoque tibi benedictionem Abraham, tibi & ſemini tuo tecum, vt in hæreditatem accipias terram peregrinationum tuarum, quam dedit Deus Abraham. Dimiſit itaque Iſahac Iacob, & ille abijt in Meſopotamiam ad Laban fi-

lium Bethuel Syri, fratrem Rebeccæ, matris Iacob & Eſau. Et videns Eſau quòd benedixiſſet Iſahac Iacob, & quòd miſiſſet eum in Meſopotamiam, vnde ſibi ſumeret vxorem, atque præcepiſſet ei cùm benediceret eum, dicens: non accipies vxorem de filiabus Chanaan. Et quòd Iacob obediſſet patri ſuo & matri ſuæ, & abijſſet in Meſopotamiam. Videns etiam Eſau, quòd malæ eſſent filiæ Chanaan in oculis Iſahac patris ſui. Abijt ipſe Eſau ad Iſmaelem, & accepit Mahalath filiam Iſmaelis filij Abraham, ſororem Nebaioth, ſuper vxores ſuas ſibi in vxorem. Egreſſus itaque eſt Iacob de Beer Saba, vt veniret in Haran.

1 De duobus viris hìc legimus, qui duxerunt vxores. vnus eſt Iacobus, alter Eſaus. Iacobum debemus imitari, ſi modò gratiæ vaſa eſſe maluerimus, quàm iræ. Dicit enim Dominus Deus Malach. 1. Iacob dilexi, Eſau verò odio habui. Item Abd. 1. Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioſeph flamma, & domus Eſau ſtipula: & ſuccendentur in eis, & deuorabunt eos, & non erunt reliquiæ domus Eſau, quia Dominus loquutus eſt.

Quid ergo fecit Iacobus? parentibus ſuis morem geſsit, eorumque voluntate matri-

monium

monium contraxit. Obedire autem patri & matri in bonis & licitis rebus, eſt principiũ totius boni, Deoque ſummopere placet, Exod.20.Ierem.35.Epheſ. 6.

Neque enim de genere Chanaan maledicto in Chamo (id eſt, mercatorum & negotiatorum confringendorum, qui ad nuptias filij regis venire nolunt, quiq; è templo Domini eijciuntur, Matth.21.22.) Iacobus vxorem duxit: ſed profectus eſt, vt parens iuſſit, in Meſopotamiam in medio fluminum ſitam (de quo myſterio Origen. in fine Homil. 10. in Gen.) ad domum Bethuel (quod filiationem Dei ſignificat) & accepit vxorem de filiabus Laban (quod ſonat albus) Non eſt igitur cum impijs coniungenda amicitia aut familiaritas, Deut.7. 2. Corin.6. neque delectus in contrahendis matrimonijs negligendus: quem cùm filij Dei non haberent, Geneſ. 6. nubentes in familiam Cainam, diluuio puniti ſunt.

2 Quid autem fecit Eſau, cuius exemplum imitari nequaquam debemus? Hic quicquid parentib. ſuis diſplicere intellexit, operatus eſt, & contra voluntatem eorũ vxores duxit. Sic enim legimus Gen.26. Factus verò eſt Eſau filius quadraginta annorũ, & accepit vxorem, nomine Iehudith, filiá Beeri Hitthęi, & Baſmath filiá Elon Hitthæi. Et fuerunt amaritudo ſpiritus ipſi Iſahac & Rebeccæ. Itẽ Gen.27. Et dixit Rebecca ad Iſahac, tædet me vitę meæ propter filias Heth: ſi acceperit

Iacob vxorem de filiabus Heth, vt ſunt iſtæ, de filiabus inquam huius terræ, vt quid mihi vitæ? q.d. Nolo viuere, ſi Iacob duxerit talem vxorem, quales ſunt vxores Eſau, quæ ſcilicet ſunt Hetthææ & filiæ huius terræ. Hoc autem Capite legimus, quòd Eſau videns malas eſſe in oculis Iſaac patris ſui, vel moleſtas .i. diſplicere patri ſuo filias Chananæorum, neque libenter eas aſpicere, quaſi corrigere volens erratũ ſuum & placare patrem, vltra vxores quas habuit, duxit & filiam Iſmael in vxorem. Sed etſi credebat, per hoc ſatisfacere patri & matri: tamen non fecit, quia malam ſuper malas adduxit. Coniunxit autem Eſaum & Iſmaelem ſimilitudo conditionis, vitæ ſtudiorum inter ſe. Vterque enim venator erat, vterque gladio vitam in deſertis exercebat, vterque iure primogenituræ priuatus fratribus non perinde æquus erat.

Porrò omnes qui in eccleſia catholica terrena ſapiunt, terram diligunt, terram concupiſcunt, & omnem ſpem ſuam in terra conſtituunt, ad Eſau pertinēt, teſte Auguſtino Sermon. 78. de Temp. Quicunque ideo Deo ſeruire optat, vt honoribus creſcat, & lucra terrena percipiat, & ipſe ad Eſau, id eſt, ad terrenam felicitatem pertinere cognoſcitur. In Eſau enim (ex quo ſunt Idumæi) carnales intelliguntur: in Iacob verò (ex quo ſunt Iſraelitæ) ſpirituales.

3 Diſcant etiam parentes hoc loco benè con-

conſulere liberis ſuis: benedictionem illis ab omnipotente Deo optare, & non maledictionem (vt hodie paſsim fit) item non mirari, quando inobedientes habent filios, vt Iſaacus Eſau, perinde quaſi nouum aliquid ipſis obtingat: & prudentiam adhibere, qualem mater Iacobi habuit. Conſuluit enim illa quidem filio ſuo, quæ Chriſtus diſcipulis ſuis conſulebat, videlicet, ne temerè ſe periculis immiſcerent, ſed ſeceſſu inſaniam malè affectorum demulcerent. Hoc etiam illa puero conſuluit, primùm mentem animans & firmans: cùm autem ſeceſſum ille non detrectaret, nec ægreferret, tunc & cauſam honeſtam profectioni eius excogitat, ita vt non manifeſtè videatur propter fratris inuidiam cedere, neque pater ſciat veram peregrinationis cauſam, Eſau ſcilicet indignationem contra illum. Videtur & illud prudentiæ fuiſſe, quòd Iſaac, quia nolebat filium ducere vxorem de filiabus Chanaan, iuſsit illum relicta terra Chanaan proficiſci in Padan. i. regionem Aram, vel Syriæ, hoc eſt, in Meſopotamiam. Obiecta enim mouent ſenſus. Cōtra verò, vt Germanicum habet prouerbiū: Ab augen / ab hertz. Beywohnung aber thut vil. Hæc cùm ita ſint, orandus fuerit Dominus, vt nobis det ſuum ſpiritum, qui nos in viam rectam ducat, & gubernet omnia conſilia noſtra, omnes ſenſus, omnia membra corporis noſtri, idque per Chriſtum Ieſum, Amen.

CONCIO XIII.

Geneſ. 29.

ERant autem ipſi Laban duæ filiæ: nomen maioris erat Leah, minoris verò nomen Rahel. Porrò oculi Leah erant teneri, Rahel verò erat pulchra forma & decoro aſpectu. Dilexitq́; Iacob Rahelem & ait: ſeruiam tibi ſeptem annis pro Rahele filia tua minori. Reſpondit Laban: melius eſt vt ego dem eam tibi, quàm quòd eam tradam viro alteri: mane apud me. Seruiuit itaque Iacob pro Rahele ſeptem annis, & fuerunt in oculis eius ſicut dies pauci, eò quòd diligebat illam. Et ait Iacob ad Laban, da vxorem meam, quoniam impleti ſunt dies mei, et ingrediar ad illam. Et congregauit Laban omnes homines illius loci, fecitq́; conuiuium. Et factum eſt ad veſperam, et tulit Leam filiam ſuam, introduxitq́; eam ad illum, et ingreſſus eſt ad eam. Dedit quoque Laban illi Zilpam ancillam ſuam, Leæ inquam filiæ ſuæ in famulam. Factumq́; eſt illuceſcente die, & ecce ea erat Lea: quapropter ait ad Laban: Cur hoc mihi feciſti?

feciſti? nónne pro Rahele ſeruiui tibi? & quare fefelliſti me? Reſpondit Laban: non ſic fit in loco noſtro, vt tradatur iunior ante priorem. Imple ſeptenarium iſtius, & dabitur quoque tibi iſta pro ſeruitute, qua ſeruies mihi adhuc ſeptem annis alijs. Fecit itaque Iacob ſic, & impleuit ſeptenarium illius, & tradidit ſibi Rahelem filiam ſuam in vxorem. Dedit quoque Laban Raheli filiæ ſuæ Bilham ancillam ſuam, illi in famulam. Et ingreſſus eſt quoque ad Rahelem, & dilexit Rahelem plus quàm Leam, ſeruiuitque illi adhuc ſeptem alijs annis.

1 Vtile eſt hiſtorias veterum tenere, ſed non ſatis, niſi inde aliquam doctrinam accipiamus, & ſpiritualem intellectum. Nam quæcunque præſcripta ſunt, in noſtram doctrinam præſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus, inquit Apoſtolus, Roman. 15. & 1. Corinth. 10. ait: Hæc autem omnia figuræ contigerunt illis. & Rom. 7. Scimus enim quòd lex ſpiritualis eſt.

2 Diſcamus ergo ex hac hiſtoria patientiam, dicamusque cum ſancto Iobo: Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala cur non ſuſtineamus? Nam & Laban habuit non

ſolùm filiam pulchram, ſed etiam deformem. Et Iacob ſoceri placitis licet durioribus viſis, acqueuit, cùm pro Rachel, quam longo meruerat officio, ſuppoſitam acciperet vxorem Leam.

Diſcant filij obedientiam, neque vxores ducant contra voluntatem parentum. Iacob enim ambiuit non Chananæam, ſed filiá Labanis, vt præceperunt parentes, Gen. 27. 28.

Diſcant patres tradere filias potius pijs & prudentibus viris, iuxta præceptum Siracidæ, capite ſeptimo, quàm diuitibus ac impijs. Nam & Laban filio iuſti viri dare voluit filiam ſuam.

Diſcant Domini eligere probos ſeruos: propter quos non rarò Deus benedicere ſolet Dominis: quia & Laban orauit Iacobum, vt maneret apud ſe; imò propterea quia vidit Laban virtutem viri, & cogitauit, quòd non aliter eum vinceret & perſuaderet, vt diutius apud ſe maneret, ita ei impoſuit, & dedit ei Leam cum Zilpa ancilla.

Diſcant ſerui pręſtare quod polliciti ſunt. Quemadmodum enim Iacob promiſit ſe ſeruiturum ſeptem annis: ita fecit.

Diſcant viri, vxores non accipere renuentibus puellarum parẽtibus, vel ante tempus: nuptias autem teſtimonio & præſentia fide dignorum teſtari, proprias coniuges amare, &c. Nam & Iacob (qui iam, vt ſupputát, octuaginta quatuor annos natus erat, cùm primò acciperet vxorem) ad Laban ait, Da

mihi

mihi vxorem meam (pro qua ſeruiui ſeptem annis) quia iam tempus eſt impletum vt ingrediar ad eam.i.vt fruar illa, ſiue vt dem operam proli. Et Laban vocatis multis amicorum turbis ad conuiuium, fecit nuptias. Iacob verò Rahelem dilexit:vt Moſes teſtatur. Obſeruandum hoc loco etiam eſt, quæ temperantia deſponſatorum & nubentium fuerit apud veteres, & cautio ante diem iuſtarũ nuptiarum & legitimi conuentus, non congrediendi. Atque hanc temperantiam adhuc ſeruatam eſſe tempore noui teſtamenti probat Muſculus in cap. 1. Matth. Si enim, inquit, aliquid ad cauſam facit, quam ſibi Euãgeliſta priore loco probandam ſumpſit: nempe ideo Mariam à Ioſepho ſponſo ſuo non eſſe grauidatam & impregnatam, quòd antequam conuenirent, inuenta ſit in vtero habens: oportebit omnio tum temporis eam fuiſſe caſtimoniam, & cuſtodiam deſponſatorum, vt piaculum fuerit illos ante diem legitimum nuptiarum congredi. Si.n.iſtud fuiſſet liberum, non benè probaſſet inſtitutum ſuum Euangeliſta. Nam mox potuiſſet obijci: Et quid eſt quòd antequam conuenerint, inuenta eſt in vtero habens? An non potuit à ſponſo ſuo ante diem nuptiarum cognoſci & impregnari? Sed hoc noſtro ſeculo quæ inoleuerit impudentia, & quæ intemperantia, magis deplorandum eſt quàm recenſendum. Atque ideo tam caſta iam habemus paſsim coniugia. Introducatur exemplum

iunioris Tobiæ. Ridiculum eſt, quòd plerumque congreſſus non ſolum nuptias, ſed & ipſam deſponſationem præueniunt. Olim non habebantur rata talia matrimonia, ſed planè adulterina. Maria cum eſſet deſponſata, vt eſt Lucæ 1. quæ deſponſatio facta eſt etiá ante ſalutationem angelicam, nō mox iungitur ſponſo ſuo, ſed primum abit ad congnatam ſuam Elizabeth, & cum illa manſit tres menſes, antequam domum reuerteretur. Tanta videlicet fuit virginis caſtimonia & temperantia, imò & Ioſephi, qui eam non ad ſe coëgerit mox poſt deſponſationē.

3 Quæritur autem primùm, quur Iacob Rahelem dilexerit prę Lea, adeó vt ei ſeptem anni ſeruitutis viſi fuerint pauci dies præ amoris magnitudine, id eſt, ita vt amor magnus & laborem & temporis longitudinem ſucciderit, & breue videri fecerit? Reſpondetur, quia Rahel fuit & pulchra, & prouidentia diuina primò ad puteum tanquam futura ſponſa poſt promiſſam in itinere benedictionem oblata. Quod vtrunque amorem Rahelis in ipſo Iacobo excitare potuit. Nam quod ad pulchritudinem attinet, quàm hæc natura ſua animos noſtros capiat, niſi cæci ea de re dubitarint, & quàm fœminas exornet, vt viros robur, vates Græcus docet:

Μορφὰ θαλυτέρησι πέλει καλὸν ἀνδρὶ δ᾽ ὀλκά.

Et Theophraſtus, qui formam ſilentem fraudem vocauit, eo quòd abſque verbis perſuadeat. Et Carneades, qui eandem ἀδορυ-

φόρητον

φόξητον βασιλέαν .i. regnum abſq; ſatellitio appellauit, quòd formoſi impetrent quicquid volunt, nulla adhibita vi. Cornelius Agrippa in lib. de Nobilitate & præſtantia mulierum, probat, quòd pulchritudo mulierum non ſolum apud homines laudabilis, grata & accepta ſit, verum etiam apud Deum & angelos.

Proinde rectè quidam cùm interrogaretur, cur quæ pulchra ſunt amarentur? reſpondit τυφλῦ ἐξώτησιν, id eſt, cæci interrogationem eſſe. Eraſmus adſcribit Ariſtoteli. Quod verò ad curam diuinam attinet, qua primò oblata fuit Rahel, quantum hæc valeat in piorum animis, ſatis fides ipſa agnoſcit & teſtatur.

Cęterùm ſi iuſtus ille (inquit Diuus Chryſoſtomus Hom.55. in Geneſ.) propter puellæ amorem ſeptennium ſeruire, ferreque paſtoralium laborum ærumnas decreuit, & non ſentit vel labores, vel temporis longitudinem, ſed omnia ei leuia & facilia videntur, expectationeque & ſpe fructus alitur, ita vt dies paucos longum illud tempus putet: qualem nos habebimus excuſationem, qui non pari ſtudio erga Dominum noſtrum & benefactorem & curatorem, & qui nobis fit omnia, afficimur? Sed quando proponitur lucrum temporale, omnia alacriter ſuſtinere volumus, etiáſi laborioſum ſit, & valde ærumnoſum & ſordidũ, & pœnam in pręſenti & futuro ſeculo præbens: propter noſtrã autẽ

ſalutem, & vt ſupernam nobis ſalutem conciliemus, remiſsi & ſupini, & diſſoluti videmur? Et qualis nobis erit venia, qualíſue excuſatio ſic negligentiæ deditis qui neq; quantum beatus ille: pro puella amorem deſiderauit, tâtam in Deum charitatem habemus: idque cùm tanta poſſumus numerare beneficia in nos collocata, & quæ quotidie collocantur?

Meminerimus etiam hîc illius Pſalm. 45. Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum & domum patris tui, Et concupiſcet rex decorem tuum, quoniam ipſe eſt Dominus tuus, & adorabis eum. Ornemus igitur omnibus modis animæ generoſitatem, vt claritate pulchritudinis ſuæ conciliemus nobis vniuerſorum Dominum. Nam vbi viderit animæ venuſtatem, ſtatim aſsiſtet. Dicit enim: Super quem alium reſpiciam, quàm ſuper manſuetum & quietum & trementem ſermones meos? Vidiſti quomodo nos docuit omnes colores, quibus animæ pulchritudo poteſt decorari? De tali interno ornatu ſcribit etiam Apoſtolus 1. Petri 3.

Secundò quæritur, quare Iacob Leam nocte non cognouerit, cùm potuiſſet eam vel ex voce, vel ex tactu cognoſcere? Hîc, primùm ſimplicitas Iacobi conſiderari debet, & quomodo ab omni malitia alienus, deceptus ſit. Deinde in hoc oſtenditur laus Iacobi, quia nocte illa forſitan non tetigit Leam, ſed con-

continens ab ea orationi vacauit, vt de Tobia exemplum extat. Præterea ſi tetigit eam carnaliter, nec tamen agnouit, ſignum eſt, vt quidam annotant, quòd non quæſiuerit in vxore ſua blanditias meretricias in tactibus & verbis, ſed magis ea vſus eſt in caſtitate maritali. Legitur in Chronicis de quodam iuuene nobili, quòd rem habuerit cum Roſimunda vxore Alboini regis Longobardorũ, neſciens illam eſſe, donec ipſamet ſeſe prodidiſſet. putabat enim ille eſſe virginem, quã amabat in gynæcio.

Tertiò quæritur, cur Iacobus duas ſorores duxerit, quod tamen, Leuitici decimo octauo capite prohibitum eſt? Primò is mos fuit eo tempore, quem ſeruare non putauit nefas eſſe Iacobus. Deinde non repugnauit inſtituto huiuſmodi verbum Domini, qui hoc coniugium benedictione prolis cõmendarit. Demùm arcana notatione, duplicis eccleſiæ ſtatus huiuſmodi connubium haud caruit: Alter ſtatus in tetra crucis ſpecie, quæ in Lea maiore natu debili oculis & deformi apparet: alter in gloria, quæ in Rachele minore & ſpecioſa adumbratur, cernitur. De priore Salomon his verbis, Cant. I. Nolite me conſiderare quòd fuſca ſum, quia decolorauit me ſol. De altero idem, Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te: vt quæ exprompta ſit ex pulchro, de quo propheta, Specioſus forma præ filijs hominum. Hic eſt Ieſus Chriſtus, ſeruus Dei la-

borans pro eccleſia, & moriens præ amore, præfiguratus per Iacobum patriarcham.

Sed quæras, num in adminiſtratione noui fœderis hoc Iacobi factum tanquam exẽplum ſequi conueniat? Reſpondetur, Nequaquam. Nam ſanctorum patrum facta ſine fide imitari non licet. Sine fide autem huiuſmodi connubiorum imitatio fieret, vt quibus non ſolùm cõſuetudo hodie, & verbum Dei non patrocinetur, ſed etiam poſterioribus temporibus de vitandis huius generis matrimonijs tradita à Moſe lex aduerſetur. Certum eſt (vt Georgius Maior ſcribit) ſanctos patres contra conſcientiam non fuiſſe polygamos; ſed hoc aut more gentis & conſuetudine inueterata, cuius magna vis eſt, & ſic ex ignorantia feciſſe, quæ ignorantiæ peccata pijs non imputantur. Aut propter promiſsionam factam Abrahæ: Faciam te in gentem magnam: Item, Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, &c. Aut vt hoc modo ſemen promiſſum filius Dei liberator generis humani, tandem naſceretur. Mal. 2. Quare hæc patrum facta, non ſunt trahenda in exemplum, in quibus fieri poteſt, vt aliquid fuerit vitij, quod ipſis propter promiſſum ſemen, in quod crediderunt, condonatum eſt. Imitemur potius ipſorum fidem, conſtantiam, patientiam, atque alias excellentes virtutes. D. Auguſtinus inquit, Pro ingenti crimine obijciuntur Iacob quatuor vxores. Sed quoniam tunc mos erat, crimen non erat:

pat:nunc autem crimē eſt, quia mos non eſt. Alia ſunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Sed Iacob non contra naturam hoc fecit, qui non laſciuiendi, ſed gignendi cauſa illis mulieribus vtebatur:nec contra morem, quia illo tempore in illis terris hoc factitabatur: nec contra præceptum, quia nulla lege prohibebatur.

Nunc verò legibus & moribus hoc non licet. Quæ duo ſi quis contempſerit, etiamſi tantummodo cauſa generandi vtatur pluribus fœminis, peccat tamen, & humanam violat ſocietatē, &c. Angelomus contra polygamiam ita ſcribit in cap.5.lib.Reg. Nunc reges ſi plures habeant vxores vel concubinas, in crimine reputatur: quia iam tranſierunt figuræ, pro quibus vxorum vel concubinarum venia concedebatur. At nunc quia figuræ tranſierunt, venia nulla datur. Huc facit quod & Lombar. ait lib. 4. Diſt.33. pro varietate temporum varia inuenitur diſpenſatio conditoris. veniente plenitudinis tempore, quo Chriſti gratia vbique eſt dilatata, reducta eſt lex nuptiarum ad priorem honeſtioremque inſtitutionem, vt vnus vni in figura Chriſti & eccleſiæ coniungatur. Demum patrum fidem ſemper ſequi conuenit, facta non item. Verbum enim Domini regula & norma eſt fidei ſanctorum, non facta & res geſtæ, quæ mutātur pro tempore, regula nō mutata, vt legimus: Ego Dominus, & nō mutor: cui ſit honor & gloria in æternum, Amē.

CONCIO XIIII.

Geneſ. 34.

EGRESSA eſt autem Dina filia Leæ, quam peperit ipſi Iacob, vt videret filias illius terræ. Quam vt vidit Sichem, filius Hamor Hiuai, principis illius terræ, tulit eam & dormiens cum ea violauit illam. Adhæſitq́ anima eius cum Dina filia Iacob, & dilexit puellam, loquutusq́ eſt ſuper cor puellæ. Et dixit Sichem ad Hamor patrem ſuum: accipe mihi puellam iſtam in vxorem. Audiuit itaque Iacob, quòd ille polluiſſet Dinam filiam ſuam, exiſtentibus filijs eius cum pecoribus ſuis in campo, & tacuit, donec illi venirent. Egreſſusq́ eſt Hamor pater Sichem ad Iacob, vt loqueretur cum eo: & venientes filij Iacob de campo, atq́ audientes, contriſtati ſunt viri illi, et ſuccenſuerunt apud ſe valde, quòd ille rem abſurdam feciſſet in Iſrael, dormiendo cū filia Iacob, quod minimè fieri conueniebat. Loquutus eſt autem Hamor cum eis dicens: Sichem filius meus ex animo ſuo diligit filiam veſtram: date quæſo eam illi in

li in vxorem. Facite nobiſcum affinitatem, & date nobis filias veſtras, & filias noſtras accipite vobis. Habitabitisq́ apud nos, & terra ipſa erit coram vobis: habitate & negotiamini in ea, & poßidete in ea. Sichem verò dixit ad patrem illius, & ad fratres eius: Inueniam gratiam in oculis veſtris, & quicquid dixeritis ad me, dabo. Augete etiam plurimũ ſuper me dotem & munus, & dabo iuxta quod dixeritis mihi, modò detis mihi puellam in vxorem, &c.

1 Vt facilius comprehendamus hiſtoriam in hoc capite contentam, diſtribuemus eam in tres partes: quarum prima ſit de Dina filia Iacobi & Liæ. Hanc enim legimus egreſſam fuiſſe, nempe de tabernaculo ſeu domo patris ſui, temerè & non conſultis parentibus, vt videret mulieres regionis illius, & earum mores quales eſſent, perdiſceret: item cõpreſſam eſſe à Sichem filio Emor: id quod nobis præſcriptum eſt in doctrinam & admonitionem, 1. Corinth. 10. Rom. 15. Diſcant igitur puellæ occaſiones peccatorum vitare, ac domi ſe potius continere, quàm extra paternas ædes (cum filio prodigo, Luc. 15.) hinc inde vagari: nam vt grauiſsimè Electra apud Euripidem inquit: εἰς ὄχλον ἕρπειν παρθένοισιν οὐ καλόν. Dann außgehen war nie ſo gût/innen bleiben war beſſer, &, non curioſæ eſſe, ſi-

cut & Eua fuit, quæ arborem vetitam quoque guſtare voluit: &, oculos frenare, ne occaſione ac ductu illorum incidant in tentationes: &, non iniquè ferre ſeueram ſuper ſe parentum cuſtodiam, qua egent, Eccleſ. 26. & non facilè credere pollicitationibus hominum etiam blandè ſe alloquentium. Cæterùm ſi hominibus, vt Dina filio Emor, tantum credimus, quàm firmiter & promptè credere debemus promiſsionibus Dei, qui mentiri neſcit?

2 Altera pars ſit de Emor & filio eius Sichem, amatore Dinæ: qui ipſam vidit, adamauit, rapuit, vi oppreſsit: patrem ſuum, vt illam ſibi daret in vxorem, rogauit: opes & corpus ſuum parui habuit, vt eam in vxorem habere poſſet: tandem ſua concupiſcentia & libidine patri & toti ciuitati perditionis author fuit. Vnde diſcamus, oculos eruere, quando nobis obſtaculo eſſe volunt (Matth. 5. Eccleſ. 9.) vt ferè ſolent, ſi metu Dei non cuſtodiantur: ſine parentum nutu matrimonium non contrahere, ne iudicemur à Sichē, qui ad patrem ſuum dixit, Accipe mihi puellam hanc coniugem: ſecundum carnem non ambulare, ne & nos & noſtri ſimul pereamus: Amorem potentem eſſe, vt mortem, eumque aquis (ſed & diuitiæ aquæ ſunt fluentes ab vno ad alium) extingui non poſſe. Cæterùm ſi tātum amor in homines poteſt, quantum valere debet, & quàm magnus eſſe debet erga Deum, ſummum & pulcherrimū bonum?

bonum? In Emor autem notandum, quòd patrem puellæ de ea appellat. Poteſtas enim parentum in liberos naturæ etiam lege in profanis gentibus confirmata eſt.

3 Tertia pars capitis huius eſt de Iacobo & eius filijs, qui non mercatores ad fraudem comparati, non ſanguinarij milites, non ocioſi & inertes homines, ſed paſtores dicuntur fuiſſe. Iacob autem ſine dubio filiam ſuam honeſtè educauerat. Si ergo illius filiæ hoc accidit, nullus parens nimis confidere debet ſuis filiabus: verùm ſi diligens fuerit in erudiendis & cuſtodiendis illis, & tale quid ei acciderit, cogitet hoc etiam ſancto patriarchæ accidiſſe: qui pro ſua manſuetudine nihil loquutus eſt, ſed patienter vim filiæ factam tulit, non ignorans illud Prophetæ: In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra. Filij autem non item, in quibus tamen eorum triſtitia ob peccatum commiſſum propoſita nobis eſt ad imitandum, ſed immodica eorũ ira non item. Nam maledictus furor eorũ, inquit Iacob Gen. 49. quia pertinax & indignatio eorum, quia dura. Interim hoc in loco videmus, quanto Deus odio ſtupra atque ſcortationes ſit perſequutus, vt propter illa totam ciuitatem euerterit. Quemadmodum enim propter paucorum iuſtitiam multis nonnunquam bene fit, Gen. 18. Actor. 27. ſic non rarò ob vnius peccatum plures puniuntur, Ioſ. 7. 2. Reg. 21. 2. Reg. 24. Luc. 15. Vnde Heſiodus:

πολλάκι ϗ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρος ἐπαυρεῖ,

Sicut enim accenſa pyra, & qui propè habitant, periculi ſunt participes, igne omnia depaſcente: eodem modo & hic adoleſcentis intemperantia, non ſolùm patrē, ſed & omnes ciues perdit. Ita vnius Paridis adulterium toti Troiæ exitio fuit. Non enim ij ſolùm digni ſunt morte, qui iniuſta faciunt: verùm etiā qui aſſentiūtur ijs, qui ea faciunt, Rom. 2. Adde quòd Sichemitæ (quorum paſsio iuſta fuit, etſi actio filiorum Iacob iniuſta erat) non ſolùm propter vitium, quo familiam ſanctam Iacobæam polluerunt, ſed etiam propter hypocriſim, perditi ſunt. Abuti enim auſi ſunt ſacris ſancti populi, ſuſcepta circūciſione, cùm interim neque Dei Iſraelitarū gloriam, neq; populi ſelecti commoditates, ſed ſuas ſpectarent. Ab eiuſmodi horrenda ſimulatione, nec non ab omni fornicatione cuſtodiat nos ſancta veritas, Chriſtus Ieſus.

A M E N.

CONCIO XV.

Geneſ. 39.

DImiſit autem (Potiphar) omnia ſua in manu Ioſeph, nec cognoſcebat cum eo quicquam niſi panem, quem ipſe comedebat: & erat Ioſeph eleganti forma atque pulchro aſpectu. Factumq́ eſt poſt

hac

hac verba, vt leuaret vxor domini ſui oculos ſuos in Ioſeph, diceretq́ꝫ: dormi mecum. Qui renuens ait ad vxorem domini ſui: En herus meus non cognouit mecum quicquam in domo, cunctaq́ꝫ quæ habet, tradidit in manum meam. Non eſt maior quiſpiam in hac domo quàm ego ſim, nec quicquam mihi prohibuit niſi te, eò quòd tu vxor illius ſis: quomodo igitur faciam malum iſtud tam magnū, & peccabo in Deum? Et factum eſt, cùm ipſa ſic loqueretur ad Ioſeph quotidie, vt ille non audiret eam, neque dormiret cū ea, aut eſſet cum ea. Accidit verò opportuna quadam die, vt veniret domum, faceretq́ꝫ opus ſuum, nec eſſet vir vllus ex familia in domo. Et illa apprehendit eum cum veſte eius, dicens: Concumbe mecum: qui deſerens veſtem ſuam in manu illius, fugit, atq́ꝫ egreſſus eſt foràs. Et factum eſt cùm illa vidiſſet, quòd reliquiſſet veſtem ſuam in manu eius, fugiſſetq́ꝫ foràs, vocauit viros domus ſuæ, dixitque ad eos: Ecce introduxit ad nos virum Hebræum, vt illuderet nobis. nam venit ad me, vt concumberet mecum, & ego cœpi clamare voce magna. Factumq́ꝫ

eſt cùm audiret, quòd ego eleuaſſem vocem meam & clamaſſem, dimiſit veſtem ſuam apud me, & fugiens egreſſus eſt foràs. Dimiſit itaque illa veſtem eius apud ſe, donec veniret dominus eius domum. Et locuta eſt ad eum his verbis, dicens: Venit ad me ſeruus ille Hebræus, quem adduxiſti ad nos, vt illuderet mihi. Factumq́ eſt cùm eleuaſſem vocem meam, & clamaſſem, dereliquit veſtem ſuam apud me, & fugit foràs. Audiens verò dominus eius verba vxoris ſuæ, quæ ad illum loquebatur, dicens: Secundum verba iſta fecit mihi ſeruus tuus, commotus eſt furor eius. Tollensq́ herus Ioſeph, poſuit eum in carcerem, in eum ſcilicet locum, vbi vincti regis concluſi tenebantur, fuitq́ ibi in domo carceris. Sed erat Deus cum Ioſeph, piè illi inclinatus, deditq́ illi gratiam in oculis principis carceris.

1 Duas graues tentationes Ioſephum ſuſtinuiſſe hîc legimus: vnam in re carni corruptæ accepta: alteram in re carni aduerſa & ingrata. Fuit enim ſolicitatus ab hera ſua ad concubitum (ſicuti Miles quidam Decij à muliere impudica in libidinem concitatus eſt: de quo Hieronymus in vita Pauli eremitæ,

tæ, & Cent. Eccleſ. 3. cap. 12.) & coniectus à domino ſuo in carcerem. Prioris tentationis grauitas cognoſcitur, ſi expenderimus illa, nempe adoleſcentiam Ioſephi, formam, dominæ authoritatem, procacitatem & inſtantiam, occaſionem, ſolitudinem, &c. Poſterioris, ſi Ioſephi fidem & innocentiam. Quidam enim impatienter ferunt iniurias ſibi illatas præter meritum, dicentes: Equidem libenter hanc pœnam ferrem, ſi commeruiſſem: ſed quid mali feci? &c.

2 Ecce autem malitiam & perfidiam mulieris, quę Ioſephum tentauit. Primùm enim oculos ſuos in Ioſephum coniecit: deinde illum ſæpe de concubitu alloquuta eſt: poſtea illum eſt aggreſſa, & veſtimentum illius apprehendit: tandem ſpe ſua fruſtrata laruam caſtitatis aſſumpſit, & ſe caſtam eſſe gloriata eſt falsò, & caſtiſsimum Ioſephum accuſauit, quaſi ipſe voluiſſet eam ſtuprare: poſtremò in cauſa fuit, vt dominus Ioſephi iratus coniecerit illum in carcerem, nimium credens peſsimæ fœminæ accuſanti, & ſigna (quæ ſæpiſsimè fallunt) oſtendenti: quemadmodum Fauſta Conſtantini Magni vxor perſuaſit marito ſuo, vt proprium filium Criſpum interficeret, vt habetur in Chronicis. Idem vxor Othonis 3. Imperatoris fecit, Maria de Aragonia, quæ accenſa amore Comitis circa Mutinam, ſolicitauit eum de adulterio: cũ verò honeſtiſsimus vir iſti beſtiæ nollet gratificari, accuſauit eum coram Imperatore,

quaſi comes voluerit ipſi vim inferre. qua delatione Imperator accenſus, non facta diligentiori inquiſitione, iuſsit eum decollari.

3 Videamus nunc caſtitatem & fortitudinem Ioſephi malentis mori, quàm ſeruire voluptatibus, quemadmodum D. Chryſoſtomus loquitur in Serm. de Continentia. Quomodo igitur is tentationem vicit? quibus armis peccato luxuriæ reſtitit? quomodo ab adulterio cuſtoditus eſt? Principiò credidit & cognouit, adulterium eſſe non ſimpliciter malum, ſed grande malum, & magnum ſcelus, Iob. 31. ferens ſecum incommoda animæ, corporis, famæ, & rerum; ſicuti teſtimonia & exempla literarum ſacrarum & prophanarum, & quotidiana experientia docent.

Secundò cogitauit, ſi hoc malum committeret, quòd iniquus, perfidus, & ingratus fieret in ſuum herum, qui fidei Ioſephi omnia commiſit, excepta vxore, quæ non Ioſephi, ſed Potipharis erat. Qui autem aufert vxorem alteri, quæ cum ſuo marito eſt vna caro, perinde eſt ac ſi ei ipſummet auferret: quoniam vxor eſt corpus mariti, & maritus caput vxoris. Ad hæc, qui furatur, qui occidit, qui dijs alienis ſeruit, peccat quidem & ipſe, verùm peccat ſolus, nec quenquam peccato ſuo neceſſariò inuoluit: ſed hoc genus peccati, nempe adulterium & ſcortatio, ſic comparatum eſt, vt duos ſimul homines cõplectatur, & in perditionem abijciat: atq; ita diabolus ſimul binos & binos lucretur, idq; viliſsimo

vilisſimo precio. Qui aliàs peccat, quoniam ſolus peccat, ſolus reſipiſcens reſtituitur, & in conſcientia ſua per gratiam Dei pacatur. Adulter verò vbi reſipiſcit, ſi verè reſipiſcit, non poterit non plurimũ in conſcientia ſua, eius quoque nomine turbari, cum qua peccauit, & cui peccandi fuit author, præſertim ſi videat eam in peccato pergere & perire. Ergo adulterium valde iniurioſum eſt proximo, quod etiam per hoc oſtendi poteſt, quòd aufert ei non ſua, ſed ſeipſum, Prouerb. 6. & quòd ille qui hoc vitio laborat, nulli fidem ſeruat. Dauid enim ſuum fidelem militem fecit occidi pro vxore eius, 2. Reg. 11. Hinc eſt quòd Abraham & Iſaac petierunt ab vxoribus ſuis, vt ſe ſorores eſſe illorum dicerent, ne propter ipſas occiderentur, Gen. 12. 20. 26.

Tertiò credidit & apud ſe cogitauit, ſi dormires cum vxore domini, peccares etiam in Deum, qui te tot beneficijs ornauit, & iuſtus vindex eſt ſcelerum, quem nemo ſua crimina celauerit, cuius oculi cuncta vident. Qui enim adulter eſt, varijs & multis modis in ipſum Dominum Deum ſuum peccat, Geneſ. 20. Contemnit enim verbum Dei, tranſgreditur legem Dei, Exod. 20. Deut. 5. facit nomen Dei blaſphemari ab inimicis eius, 2. Reg. 12. Amos 2. Rom. 2. prophanat templũ Dei, ex membro Chriſti Domini membrum ſcorti facit, in ius redemptoris ſui Chriſti peccat, 1. Cor. 6. ordinem non Benedicti, non Auguſtini, ſed Dei, id eſt, fontem & radicem

generis noſtri, matrimonium ſcilicet contaminat: pallium matris Domini inquinat, ſub quo occultat⁹ eſt cœleſtis partus: delectationem vilium & turpium membrorum, delitiis, quæ in Deo ſunt, præponit: angelos Dei triſtitia afficit: hoſtes Dei, id eſt, dæmones exhilarat, quia vident in adulterio hominis & animam, & corpus maculari.

Quartò Ioſeph non ebrietati, ſed ſobrietati ſtuduit. Nunquam enim ebrium putabò caſtum, inquit Hieronymus. Item alius:

Et Venus in vinis, ignis in igne furit.

Ioſeph igitur non cognouit cum domino ſuo quicquam niſi panem, quem ipſe comedebat, hoc eſt, ſicut Rabi Abraham Sepharadi exponit, Ioſeph nihil ex cibis domini ſui cognouit, præter panem ſiccum quo veſcebatur, & tamen habuit vultum elegantem: ſicut & Daniel abſtinens à regijs cibis, veſcebatur leguminibus, & interim erat corpulentior & pulchrior illis, qui regijs nutriebantur cibis. Vel, ſicut alius ex doctioribus Hebræorum explicat: omnia curabat præter cibum domini ſui, quòd alijs cibis vteretur Ioſeph, alijs dominus eius. panis enim pro omni ciborum genere, apud Hebræos frequenter capitur.

Quintò, non ſolùm verbis adulteræ obedire recuſauit, ſed etiam eius cõſuetudinem declinauit: tantum abfuit, vt oculos ſuos in ipſam conuerterit. In continentiæ enim præ
paratione

paratione aureum illud os, Ioannes Chryſo-ſtomus dicit, victoriam concedi, non ex virginum (aut mulierum) conſuetudine, ſed ſeceſſu. Cum alijs vitijs, inquit D. Ambroſius, poteſt expectari conflictus: ſcortationem autem fugite, ne approximetis, quia non poteſt aliter melius vinci.

Sexto, Ioſeph fugit ocium, & officium ac opus ſuũ diligenter fecit. Poeta enim inquit:

Ocia ſi tollas, periere Cupidinis arcus.

Item: *Quæritur Ægiſtus quare ſit factus adulter?*
In promptu cauſſa eſt, deſidioſus erat.

Poſtremò, Ioſeph abſque dubio ſeriò inuocauit Dominum pro dono continentiæ & caſtitatis, quod ipſe ſolus dat, Sapien. 8. Iacob. 1. Sirac. 23. & pro Spiritu ſancto, qui ipſi adfuit in his tentationibus, & conſolatus eſt eum etiam in carcere & in omni afflictione. Hic Deus conſolationis adſit nobis omnibus in vniuerſis noſtris tentationibus & tribulationibus, per Chriſtum Ieſum Dominũ noſtrum, Amen.

CONCIO XVI.
Exod. 2.

ET audiens Pharao ſermonem iſtum, quærebat occidere Moſen: & fugiens Moſes à facie Pharaonis, manſit in ter-

ra Midian, ſeditq́ iuxta puteum. Erant autem ſacerdoti Midian ſeptem filiæ, quæ venerunt & hauſerunt, impleueruntq́ canales, vt potarent oues patris ſui. Et venerunt paſtores atque repulerunt eas: & conſurgens Moſes, auxiliatus eſt eis, potauitq́ oues illarum. Quæ venientes ad Rebuel patrem ſuum, dixit ille: Quare hodie tam feſtinanter rediiſtis? Reſponderunt: Vir Aegyptius liberauit nos de manu paſtorum. nam hauriendo hauſit nobis, atque potum præbuit ouibus. Qui dixit ad filias ſuas, & vbi eſt ille? quare ſic dereliquiſtis virum illum? vocate eum, vt comedat panem. Et conſenſit Moſes habitare cum viro illo: deditquе ille Ziporam filiam ſuam Moſi. Quæ cùm pepeperiſſet filium, vocauit ille nomen eius Gerſon. dixit enim: peregrinus fui in terra aliena.

Trium perſonarum potiſsimè fit mentio in his verbis: nimirum Moſis, Rehuelis, Ziporæ: hoc eſt, generi, ſoceri, vxoris.

1 Fuga Moſis (quem Pharao quęrebat occidere, ex tyrannide, quæ ſibi metuens fortes viros nequaquam tolerat) non turpiter ſibi metuentis erat: ſed prudenter ſibi & gentis ſuæ ſaluti conſulentis, expectantis que occaſionem

ſionem confirmandi ad Iſraelitas liberãdos, muneris. Sic Iacob fugit Eſaum, Dauid Saulum, Paulus ex Damaſco aduerſarios ſuos, Chriſtus ipſe Iudæos. Non enim tentandus eſt Deus, ſed in tempore potentium tyrannorũ furor declinandus, iuxta illud Matt.10. Cùm perſecuti vos fuerint in ciuitate hac, fugite in aliam.

Neque hoc prætereundum eſt, quòd Moſes, qui populum liberaturus erat, fugere cogitur, vt in omnibus diuinam prouidentiam diſcamus agnoſcere. Nam quid magis alienum? quid magis impoſsibile humanæ rationi videri potuit, quàm hominem fugitiuum captiui populi liberatorem fore? At hunc ducem & imperatorem Deus populo ſuo facit, vt omnem humanam ſapientiam pudefaciat.

Moſes ſuam futuram coniugem inuenit apud puteum. Sic Rebecca, ſic Rahel inuentæ ſunt ad puteum: ita Chriſtus Samaritanã apud fontem reperit. Sanctorum enim nuptiæ, quæ ſunt coniunctio animæ cum verbo Dei, aliter fieri non poſſunt, niſi per inſtructionem diuinorum librorum, qui figuraliter putei appellantur: de quibus Ioan. 5. Scrutamini ſcripturas, &c. Sed & eccleſia Chriſto in lauacro aquæ coniungitur.

Moſes à puellis (infirmiores enim ſemper in mundo opprimuntur) violentiam (quam odio habuit) depellit, in quo eius magnanimitas & virtus notatur. Sic etiam ſuprà de-

pellendo oppreſsionem à fratribus, futuri malorum vindicis ſpecimen dedit.

Moſes conſenſit & cœpit habitare cum ſacerdote in Midian: cuius filiam non antè accepit, quàm pater dederit. Hæc peperit ei filium (in hunc enim præcipuè finem ineundum eſt matrimonium) & vocauit eum Gerſom. Deus enim ſuos nec in exilio deſerit. Sunt autem huiuſmodi apud Hebræos nomina ab euentu munerũ Dei impoſita, quibus pij ſeſe ad gratitudinem & laudem Dei excitare voluerint: vt quandocunque liberos aſpicerent aut nominarent, diuinorum beneficiorũ memoria refricaretur illis. Abſurdum ergo eſt (vt inquit Zuinglius) quod Chriſtiani liberis ſuis non ſolùm peregrina nomina, ſed gentilia etiam aſciſcunt, quorũ ſignificationes non intelligunt. Græci cum vetere interprete addunt de altero filio, quẽ Zipora peperit Moſi, & vocauit Eliezer, ab auxilio Dei. Aduenæ enim ſunt ſancti ſuper terrá: ſed Dei adiutorio nunquá carent.

2 Rehuel pater filiarum Iithro ſoceri Moſis vocatur, cùm auus earum fuerit, vt quidã putant: ſed fieri poteſt, vt ſocer Moſis ambobus nominibus appellatus fuerit, Exod. 18. Is fuit ſacerdos (iuxta alios, princeps) Madianitarum. Nam & apud gentes numinis religio fuit, cognitioque Dei, licet non tam clara. vocantur autem magiſtratus & principes כהנים ſacerdotes etiã in ſcripturis, eò quòd olim vtrunque officium, & ſacerdotale & politicum

liticum penes illos erat, etiam apud ethnicos: & quod magiſtratus inprimis cultum Dei,& quæ ad gloriam illius faciunt, promouere debet. Ob hoc enim maximè miniſter Dei vocatur,Rom. 13. Hic ſeptem habuit filias. Lex enim antiqua & gentibus & Hebræis eſt,ſacerdotibus licere vxores habere. Nam honorabile eſt inter omnes coniugiū, Heb.13. Etſi antichriſtus inſtinctu Satanæ diuerſum ſentit, 1. Timoth. 4.

Hic cauſam quæſiuit à filiabus, cur ſolito citius domum venirent: Ergo multò magis quærendum quando tardius veniunt.

Hic gratus fuit erga beneficum. Sacerdotes enim & ſuam familiam decet hoſpitalitas & beneficentia,& vt nullius operam gratis accipiant,ſed liberales ſint & benefici,etiam ignotis: maximè autem peregrinis, & his præcipuè, quos impigros ac ad labores honeſtos, alacres conſpicimus, non paſsim ocioſè circumuagantibus.

Hic denique pio & prudenti dedit filiam ſuam,iuxta conſilium Sapientis, Sirac.7.

3 Zipora fuit vna ex filiabus ſacerdotis in Midian regione verſus Arabiam ſpectante: quæ non degebant in otio. & ſæpe à paſtoribus depulſæ,non tamen ceſſarunt ab officio, adaquandi greges patris ſui. Cur ergo viri fœminis ignauiores ſumus? cur ceſſamus? putamus ne ſic iuſtitiam ac veritatem coli ac inſtaurari poſſe,vt nemo reclamet, nemo reſiſtat peſsimis conatibus?

Eædem filiæ interrogatæ à patre veritatẽ d xerunt: nec auſſuetæ erant domum duce-re(vt hodie nonnullę ſolent,inuitis & inſci-is parentibus) viros ignotos & alienos: neq; id eas decebat. Ipſæ denique non nupſerũt, priuſquam pater illas elocauit nuptum. Vt & nos patris noſtri cœleſtis voluntatem in omnibus faciamns, adiuuet nos Dominus noſter & ſaluator Ieſus Chriſtus, Amen.

CONCIO XVII.

Deuter. 22.

SI quiſpiam duxerit vxorem, acceſſeritq́; ad eam, & odio cæperit eam habere. Et impoſuerit ei data opera verba (mala) protuleritq́; contra eam nomen malum, vt ſi dicat: Cum duxiſſem mulierem illam, & ingreſſus eſſem ad eam, non inueni in ea ſigna virginitatis. Tollent pater puellæ atque mater eius, & proferent ſigna virginitatis puellæ ad ſeniores ciuitatis, qui ſunt in porta. Dicetq́; pater puellæ ad ſeniores: Hanc filiam meam dedi viro illi in vxorem, cæpitq́; eam odio habere. Et ecce ipſe imponit (ei) figmenta verborum, dicens: non inueni in filia tua virginitatem: hæc verò ſunt ſi-

gna virginitatis filiæ meæ: & expandent veſtimentum coram ſenioribus ciuitatis. Tollentq́ue ſeniores ciuitatis illius virum illum, & plagis caſtigabunt eum: condẽnabuntq́ue eum centum ſiclis, quos dabunt patri puellæ, eò quòd produxit nomen malum contra virginem Iſrael, habebitq́ue eam in vxorem, nec poterit dimittere eam cunctis diebus ſuis. Quòd ſi verum eſt verbum illud, Et non inuenta fuerint ſigna virginitatis in puella: ducent puellam ad oſtium domus patris ſui, obruentq́ue eam viri ciuitatis illius lapidibus, vt moriatur: quia fecit nefas in Iſrael, fornicando in domo patris ſui, remouebisq́ue malum de medio tui.

Hæc lex de vxore non inuenta virgine à marito, & ab ipſo vel verè, vel odio diffamata, depingit nobis malitiam quorundam virorum, & nonnullarum mulierum: oſtendit que quantum crimen ſit calumnia, & quanta ſtultitia & iniquitas fornicatio. Potiſsimè autem videtur hęc lex data aduerſus eos, qui poſt primum aut aliquot congreſſus cupiebant ab vxoribus diuertere, quòd ſuam libidinem expleſſent.

1 Malitia virorum in eo cernitur, quòd odio habent ſuam carnem, quod odium plerunque ex inſano amore, qui præceſsit, ori-

tur: vt in Ammon filio Dauidis cernere licet, 2. Reg. 13. porrò ex odio, id eſt, interno homicidio, quod cordis eſt, naſcitur calumnia, quæ fit ore: tandem niſi Dominus prohibeat, vt accidit in negotio Suſannæ, homicidium externum. Talis calumniator non fuit Ioſeph Mariæ maritus, Matth. 1.

Ex pœna calumniatoris intelligitur, quàm graue peccatum ſit calumnia. Hæc enim fuit tripartita. Vna, verberatio, conſtans 39. plagis, Deut. 25. altera pecuniaria: mulctabatur enim 100. ſiclis argenti, id eſt, 25. aureis, dandis patri puellæ: quia liberorum dedecus in parentes recidit, quibus liberi honeſti honori ſunt, inhoneſti dedecori. Tandem eam vxorem retinere cogebatur, quam exoſus fuerat & diffamauerat: quod erat valde acerbum. Sed iuſta pœna fuit: quia iſtiuſmodi diffamator & detractor peccat in præceptum, Falſum teſtimonium ne dicito. Vnde Salomon Prouerb. 19. Teſtis falſus non erit impunitus: & qui mendacia loquitur, non effugiet. Nam falſidicus teſtis præſentiam Dei contemnit: iudicem mentiendo fallit: innocentem falſo teſtimonio lædit: imò diaboli filium ſe eſſe oſtendit.

2 Prauitas mulierum ſeu puellarum quarundam in eo conſiſtit, quòd vel poſt, vel ante ſponſalia occultè & ſpontè fornicantur, & futuros maritos fallunt, domoſque parentum ſuorum dehoneſtant.

Supplicium meretricum ſatis declarat, quan-

quantum nefas ſit ſcortari, præſertim in populo Dei: in quo ne nominari quidem, nedum graſſari deberet tantum peccatum, Epheſ.5. Deut.23. Vxor enim non inuenta virgo, pro qua ſe marito venditauit, lapidibus obruitur. Ad fores autem paternæ domus ducendá eſſe meretricem lex iubet, & ibi necandam: vt tam graui ſupplico admoniti parentes liberos ſuos maiore cura, ne talem ferre cogantur confuſionem, ad honeſtatem educare ſtuderent, vt Sapiens monet Eccl. 7. 26.42. & hoc exemplo commotæ cæteræ puellæ pudicitiam ſuam diligentius tuerentur. Cæterùm de eiuſmodi caſu nuptiali Iuo Epiſt. 69. ad Rudol. Remenſem archiep. ſic ſcribit, quemadmodum refertur in Eccleſ. cent.11. cap.4. Quæſiuit à me veſtra prudentia, vtrum mulier, quæ poſt completa ſacramenta & officia nuptiarum, infra duos aut tres menſes peperiſſe cognoſcitur, debeat ꝑpter fœdera nuptiarum in coniugio manere, aut propter patratum ante nuptias flagitiũ matrimonij dignitatem amittere, cum lex Moyſi iubeat huiuſmodi lapidari. Super qua re non memini me inueniſse Canonicá ſententiam. Dico tamen ſine ꝑiudicio ſententiæ melioris: quia ſi ante celebrationem ſacramenti coniugalis cognita fuiſſet turpitudo mulieris, ſecundum ſeueritatem legũ, non eſſet honeſtanda matrimonio: ſed aſperis obiurgationibus, tanquá lapidum iactib. ſeuera eſſet adhibenda correctio. Verùm

poſtquam ſimpliciter præcedente conſenſu contracta ſunt fœdera nuptiarum, poſtquam matrimoniales tabulæ datæ ſunt, & cætera coniugij ſacramenta completa ſunt, vir & mulier vnum corpus per coniunctionem carnis facti ſunt; non intelligo poſſe diſſolui cõiugium, niſi diuortij cauſa intercurrat adulterium: quamuis ex adulterio, docente Euangelio, poſsit marito mulier reconciliari: quanto magis ſimplici fornicatione, quæ patrata eſt, quando nondum alligata eſt lege matrimoniali, &c. Huius ſententiæ videtur ſubſcribere Lombardus lib. 4. diſt. 30. vbi ait, Error fortunæ coniugij conſenſum non excludit: nec error qualitatis, vt ſi quis ducat vxorem meretricem vel corruptam, quam putat eſſe caſtam vel virginem, non poteſt eam dimittere.

3 Ex contrario iam intelligitur, quid probos viros deceat, & honeſtas puellas. Illi enim diligere debent ſuas vxores, & non repudiare: ſtudere veritati, & non mendacio. Hæ verò ſcortationem fugere, virginitatem ſuam vſque ad nuptias ſeruare: id quod & iuuenes facere debent: quemadmodum D. Auguſtinus monet, in Ser. 244. de Temp. Nam ſi ante legitimam coniunctionem per adulterium corrupti fuerint, ad nuptias corpore quidem viui veniunt, ſed in anima mortui comprobantur: quia ſcriptum eſt, Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Chryſoſtomus Hom. 9. in ep. ad Tim. 1. dicit: Idcirco quippe

quippe coronæ imponuntur capiti, vt victoriæ ſigna ſint, quòd ſcilicet antea libidini impenetrabiles, ita demùm cubiculum ingrediantur, quia ſcilicet à voluptate ſuperati nō ſunt. Quòd ſi libidine ſuperatus quiſpiam ſeipſum ſcortis addixerit: cuius iam rei gratia coronatus incedat, qui tam fœdæ libidini colla ſubdiderit?

Cæterùm de more explorandi virginalia, ſiue ſigna virginitatis, & ea probandi iudicibus, varia afferuntur à Lyrano, Luthero, Paulo Fagio, &c. Plerique per virginitates, ſiue ſigna virginitatis intelligunt lintea infecta ſanguine rupti hymenis, in quibus congreſſus primum fuerat maritus cum virgine, quę parentes ſeruare ſolebant. Allegoria huius loci ſic habet: Vir ille qui vxorem diffamat non eſſe virginem, Chriſtus eſt, qui ſynagogæ virginitatem operibus religioſam accuſat per Euangelium, non eſſe integram fide. Sed parentes ei fortiter reſiſtentes, ſignificāt pugnam illam, qua iuſtitia operum teſtibus ſcripturis & expanſo veſtimento defenditur (Expandere.n.veſtem, ſignum eſt euidentis probationis, ſicut excutere, comminationis: ſcindere, indignationis) Et Chriſtus caſtigatur plagis.i. blaſphemijs, & mulctatur, tandē eam retinere cogitur, quia oportet hypocritas in regno ſuo eſſe ſpecioſos, quos alat, & magiſtros eorum ſub nomine ſuo, qui vinci non volunt. Si autem conuincitur iſta non eſſe virgo fidei, occiditur, id eſt, verbo Dei

interficitur, vt viuat in ſpiritu, amiſſa gloria virginitatis legalis. Dominus adaugeat nobis fidem, quę ſit efficax per dilectionem, per quam cognoſcuntur diſcipuli Chriſti, Amē.

CONCIO XVIII.

Deut. 23.

Non erit ſcortum de filiabus Iſrael, nec erit ſcortator de filijs Iſrael.

1 Cùm Deus velit ſanctum habere populum, prohibet non ſolùm adulterium, ſed etiam ſcortationem, quæ contraria eſt ſanctificationi, 1. Theſſal. 4. & hominem inquinat, Marc. 7. Prohibet autem illam omni ſexui, mulieribus & viris, puellis & iuuenibus. Dicit enim, Non erit meretrix è filiabus Iſrael, neq; erit ſcortum maſculum, vel puer meritorius (vt quidam vertunt) è filijs Iſrael.

Errant igitur, qui in quæſtionem vocant, ſit'ne ſcelus fornicatio? Si enim ſcelus & malum non eſſet, Deus non ita grauiter vetuiſſet ac puniuiſſet, tum hîc, tum alibi, 1. Corinthiorum 6. Actor. 15. Epheſ. 5. Hebræ. 12. 13. Tob. 4. Sirac. 41.

2 Errant etiam qui quærunt, quare Dominus prohibuerit ſimplicem fornicationē: quę queſtio & diabolica & ſtulta dignaq; irriſione eſt: nam à diabolo primùm talis quæſtio propoſita eſt, Gen. 3. Cur præcepit vobis Deus, inquit ſerpens ad mulierem, vt non come-

comederetis ex omni ligno paradiſi? Deinde ſi quis veniret ad aliquem nobilem, & diceret ei, quare non permittis filias tuas proſtitui? cur vis eas maritari? Es ne fatuus, reſponderet vtique ille. Quantò magis ergo fatuus reputari debet iſte, qui de cœleſti rege hoc audet quærere, quare ipſe filias ſuas non permittat fornicari, quare velit eas, vel caſtas permanere, vel nuptijs tradi?

3 Iuſtè autem Deus prohibuit ſcortationem, ac meritò etiam illa quidem nobis eſt fugienda.

Primùm, quia placet diabolo autori omnis peccati, & dæmonibus infeſtiſsimis Dei & noſtris hoſtibus: nam Behemoth dormit in locis humentibus, id eſt, luxurioſis: Iob. 40. ac dæmones de omni quidem peccato gaudent, præcipuè tamen de fornicatione & idolatria, quia ibi corpus & anima maculatur.

Deinde quia diſplicet angelis bonis, & ſanctis hominibus, vt Simeoni, Leui, Phinees, &c. Si enim filia regis Franciæ, aut alterius cuiuſdam principis tradita eſſet alicui, vt cuſtodiret eam, non parum diſpliceret ei, ſi in eius cuſtodia fornicaretur: quantum ergo angelis diſplicere poteſt, ſi filiæ regis cæleſtis, quib. ipſi ad cuſtodiam deputati ſunt, fornicantur.

Tertiò, quia Deo eſt contumelioſa, quia templum eius polluit: membrum Chriſti tollit: nomen eius prophanat: 1. Cor. 6. Amos 2.

Quartò, quia proximo eſt iniurioſa, 2. Reg. 11. 12. Denique ipſi ſcortatori nociua. Auffert enim ei cor, ſicut & ebrietas, Hoſe. 4. priuat eum opibus, Prou. 29. Luc. 15. Eccleſ. 9. honore, Leuit. 21. 1. Cor. 5. vita, Num. 25. Deut. 22. 2. Reg. 13. regno Dei, Gal. 5. Apoc. 21.

Hæc cùm omnes, tum præcipuè iuuenes diligentur conſiderare debent, vt cogitatione magnitudinis peccati, & grauitatis ſupplicij aſſueſcant turpes motus cordis compeſcere. Deus pater noſter cœleſtis creet in nobis corda munda, & abluat, ſanctificet, iuſtificet nos per nomen Domini Ieſu, & per ſpiritum ſuum ſanctum, vt eum in corpore noſtro, & in ſpiritu noſtro glorificare poſsimus, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum,

A M E N.

CONCIO XIX.

Iudic. 3.

HAbitauerunt autem filij Iſrael inter Chananæum, Hitthæum, Aemoræum, Pherizæum, Hiuæum & Iebuſæum. Duxeruntq́ filias eorum ſibi in vxores, & filias ſuas dederunt filijs eorum, ſeruieruntq́ dijs eorum. Et fecerunt filij Iſrael malum in oculis Domini, oblitiq́ue ſunt Domini Dei ſui, colentes Bealim & Aſeroth.

Aſeroth. Iratus autem eſt Dominus contra Iſrael, & vendidit eos in manus Chuſan Riſeathaym regis Meſopotamiæ, ſeruieruntq́ filij Iſrael Chuſan Riſeathaÿm octo annis. Et cùm clamaſſent filij Iſrael ad Dominũ, ſuſcitauit Dominus ſaluatorem filijs Iſrael, atque liberauit eos, nẽpe Othniel filium Kenaz fratris Caleb, qui illo minor erat. Factusq́ eſt ſuper eum ſpiritus Domini, & iudicauit Iſraelem: & egreſſus in prælium tradidit Dominus in manu eius Chuſan Riſeathaÿm regem Syriæ, præualuitq́ manus eius contra Chuſan Riſeathaÿm. Et quieuit terra quadraginta annis, mortuusq́ eſt Othniel filius Kenaz.

1 Hiſtoria hæc probat veritatem verborum Dei, id eſt, omnium præceptorum, minarum & promiſsionum eius. Sicuti enim prædixit Deut. 7. ita factum eſt, vt hìc legimus. Nam vt multa bona naſcuntur ex coniugio rectè, & in nomine ac timore Dei inito: ſic plurima mala ex coniugio prauo & impio .i. contra mandatum Dei contracto, veluti ſunt, ſeruitus deorum alienorum, in quibus recenſentur non ſolùm Baalim & Aſeroth, ſed etiam Mammona, venter, &c. itẽ obliuio veri Dei: ira Dei, bellũ, ſeruitus, &c. Exod. 23. Ioſu. 23.

2 Igitur non temerè veteres quatuor obſeruanda eſſe ijs dixerunt, qui matrimoniũ contrahere volunt. Primò enim debent Deum, eiuſq; verbum ponere in conſpectu ſuo, & non excludere à mente ſua, Tob. 6. ſequi ipſius voluntatem, non ſuam, vt ſcilicet contrahant deſiderio generandi filios ſecũdum carnem, qui pòſt fiant filij Dei per adoptionem, Gen. 1. Tob. 8. Veriſsimũ eſt enim quod Hebræi dicunt: vt ſi ex vocibus איש & אשה abſtuleris ſacras literas vel י vel ה nihil manet niſi אשאש ignis temporalis & æternus: ita ſi auferas ex coniugio Deum, nil niſi maximus cruciatus remanet.

Deinde debent eligere ſimiles ſibi ac pares, præſertim quod religionem attinet, Geneſ. 34. vide Lombardum lib. 4. Diſt. 39. & Rodolphum Gualtherum Hom. 6. in Malachiam, vbi ſeptem grauiſsimis rationibus demonſtrat in coniugio religionis quoq; cauſam agi, & proinde huius præcipuam curam eſſe habendam. Quid enim communicabit cacabus ad ollam? Sirac. 13. aut quæ pars fideli cum infideli? 2. Corinth. 6. 1. Corinth. 7. Paritas iſta bene in annulo oſtenditur, qui ſi ſtrictior ſit, digito non congruit: ſi latior, decidit. Sic ſe habet inter coniuges, ſi ſint diſpares: quia vel ſimul manentes non ſunt concordes: vel vnus ab altero diſcedit. Peſsimum eſt, quando corporum cõiunctionem, animorum ad vitia coniunctio ſequitur, vt in Salomone & eius vxorib. accidit, 3. Reg. 11.

Domi-

Domicilla, neptis Domitiani Cæſaris ex ſorore, quum Aureliano Flauio Clementis Domitiani fratris filio nubere nollet, putans ſibi Chriſtianæ cum gentili viro non benè cõuenturum, in Pontiam inſulam pro confeſſione nominis Chriſtiani deportata, longum ibi martyrium (teſte Hieronymo, Tom. I. Pa. 8.) duxit: & tandem à Luxurio, fratre Aureliani, ſub Traiano, cum ſacrificare idolis nollet, vnà cum ſuis famulis, in vrbe Tarracina, in cubiculo cremata eſt.

Tertiò, debent contrahere cum iſtiuſmodi perſonis, quæ ſunt de progenie bona & honeſta, non Caina, Geneſ. 6. aut Chananęa, Geneſ. 24. 28. aut Achabæa, 4. Reg. 8. id eſt, impia & iniuſta, Exod. 34.

Quartò, eligere magis animæ pulchritudinem & morum integritatem, quàm opes, formam, &c. Eccleſ. 7.

3 Quid autem agendum ijs qui perperá contraxerunt matrimonium, & ob id iuſtè à Deo puniuntur? Iſraelitæ ingemuerunt ac inuocarunt Deum (quem hiſtoria illa nobis oſtendit non ſolùm veracem, iuſtum, iratum, ſed etiam bonum & miſericordem) Hic miſit illis ſaluatorem, nomine Athniel, qui præfigurauit Chriſtum Ieſum verum liberatorem, de quo Ioannes 8. Ac vide, vt Origenes monet, quàm larga ſit diuina clementia. Octo annis filij Iſrael ſeruierant pro multorum delictis. Quadraginta annis per vnius iuſtitiam in pace perdurant. Hunc igitur

Dominum Deum inuocet omnis in tribulatione conſtitutus. Quiſquis enim inuocauerit eum in veritate, ſaluus erit. Ipſi ergo debetur benedictio, honor, poteſtas in ſecula ſeculorum, Amen.

CONCIO XX.

Iudic. 14.

DEſcendens autem Simſon in Thimnath, vidit mulierem in Thimnath de filiabus Pheliſtæorum. Et aſcendens indicauit patri ſuo atq; matri ſuæ, dicens: Mulierem vidi in Thimnath de filiab. Pheliſtæorum: nunc itaq; accipite eam mihi in vxorem. Ad quem ait pater ſuus atque mater ſua: Nunquid non eſt in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo meo mulier, quòd tu vadis accipere vxorem de Pheliſtæis incircumciſis? reſpondit Simſon patri ſuo: Hanc mihi accipe, quoniam recta viſa eſt in oculis meis. Pater autem eius & mater eius neſciebant, quod à Domino hoc eſſet, quodq; occaſionem quæreret contra Pheliſtæos, cũ illo tempore Pheliſtæi dominarentur Iſraeli. Deſcendit itaq; Simſon & parentes

tius in Thimnath, veneruntq́ ad vineas Thimnath, & ecce catulus ex leonibus rugiebat in occurſum eius. Et irruens ſuper eum ſpiritus Domini, diſcerpſit ille eum, perinde quaſi diſcerpſiſſet hædum, nihil habens in manu ſua, nec indicauit patri ſuo aut matri hoc quod fecerat. Deſcendens autem loquutus eſt ad mulierem, rectaq́ ipſa viſa eſt in oculis Simſon. Et reuerſus poſt aliquot dies vt illam acciperet, declinauit vt videret cadauer leonis: & ecce examen apum erat in corpore leonis, & mel. Et accipiens in manus ſuas abijt, eundo & comedendo, peruenitq́ ad parentes ſuos, & dedit eis: qui & ipſi comederunt: non autem indicauit eis, quòd de corpore leonis accepiſſet mel illud. Deſcendit itaque pater eius ad mulierem: & Simſon parauit ibi conuiuium: ſic enim iuuenes facere ſolent. Factumq́ eſt cùm illi vidiſſent eũ, tulerunt triginta ſocios, qui eſſent ſecum. Et dixit ad eos Simſon: proponã nunc vobis ænigma: ſi indicando indicaueritis ipſum mihi ſeptem conuiuij diebus, & inueneritis (ſolutionem eius) dabo vobis triginta ſindones, atq; triginta mutatio-

rias veſtes. Sin autem non potueritis indicare mihi, dabitis vos mihi triginta ſindones, & triginta mutatorias veſtes: qui reſponderunt ei: Propone ænigma tuum, vt audiamus ipſum. Et ait ad eos: De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo: nec potuerunt indicare ænigma tribus diebus. Factumq́ue eſt in die ſeptimo, vt dicerent ad vxorem Simſon: Perſuade viro tuo, vt indicet nobis ænigma, ne fortè incendamus te & domum patris tui igne: nunquid vt pauperes faceretis nos, vocaſtis nos huc? &c.

1 Legimus in hoc capite Samſonem duxiſſe vxorem: Vbi conſiderandum primò quis quam duxerit, quare, quando, vbi, cuius conſilio: quomodo celebratę ſint nuptię: quæ nihil aliud ſunt quàm coniugum inauguratio & publica matrimonij profeſsio. Duxit aūt Samſon Nazaræus, filius Manoah, de gnatione Dan, in vxorem filiam de Philiſtijm, qui incircumciſi ſunt .i. non in fœdere Dei; ex voluntate Dei, quærentis occaſionē cōtra Palęſtinos, qua in Samſonem committentes punirentur: tempore quo Palæſtini dominabantur Iſraelitis, qui malum fecerāt in conſpectu Domini: cumq́ue iam creuiſſet Samſon & grandis factus eſſet, Iud. 13. in vrbe

be Thimnath, quæ à Ioſua Daniæ tribui aſcri bitur, ſed quæ nondum ab ea occupata tempore Samſonis eſſet: conſilio Dei, & conſenſu parentum: quibus non conſultis (ſunt.n. honorandi) fas non erat liberos matrimonia inire.

Sic parentum conſilio vxores duxerunt Iſaac, Gen. 24. Iſmael, Gen. 21. Iacob, Gen. 29. Siché, Gen. 28. Her, Gen. 38. Dauid, 1. Reg. 18. Tobias, idq; iuſſu angeli, Tob. 7. 8. & hoc loco Samſon, & alij pij homines. Et eam autoritatem, vt ex parentum iudicio & voluntate liberi vxores ducāt, Moſes parentibus quoq; tribuit, cùm Exod. 34. cap. inquit: Nec vxorē de filiab. eorum accipies filijs tuis. Et Paulus 1. Corin. 7. Qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit. Apparet quoq; ex Eccleſiaſticis ſcriptoribus hunc morem à patrib. receptū, ſemper in Eccleſia & populo Dei obſeruatum, ne liberi ſine parentum conſenſu connubia inirent. Sic enim Tertul. lib. 2. ad vxorem ſcribit: Nā nec in terris, filij ſine conſenſu patrum ritè & iure nubent. Et Ambroſius citans Euripidis verſus in Andromacha, cùm Oreſtes Hermionis connubium petit, oſtendit hanc rem non ad ſuum, ſed patris arbitrium pertinere. Ad legitimam ergo conjunctionē vnius maris & vnius fœminæ non ſolùm neceſſe eſt, ne earum perſonarum coniunctio fiat, quæ ſit nepharia & legibus prohibita (id quod & exemplum Corinthij monet 1. Cor. 5.) & vt contractus fiat vtriuſque

partis conſenſu (non quolibet, ſed per verba expreſſo: nec de futuro, ſed de præſenti) qui maximè de ſubſtantia matrimonij eſt: ſed requiritur etiam parentum, in quorum poteſtate ſunt liberi, conſenſus. Hortatur enim primum præceptum in ſecunda tabula Moſis liberos, vt & in nuptijs, re omnium maxima, parentes eo honore afficiant, ne ſine illorum conſenſu & conſilio connubia contrahant. Rurſus autem oportet parentes non tyrannos eſſe, ſed ſimiles parentibus Simſonis, qui diuinum conſilium vt cœpêre agnoſcere, ſecuti ſunt, cui primò ignorantes repugnabant, dicentes: Nunquid non eſt mulier in filiabus, &c. quæ quidem reprehenſio æqua erat, vt quàm probat lex illa, Deuter. 7. Neque ſociabis cum eis connubia. Atqui vt interpretatio legis ἀκριβοδικαίως fieri non debet, literarum anguſtijs obſeruatis, ſed ex ſententia legislatoris: ita etiam lex illa Moſaica ex ſententia diuini ſpiritus explicari debuit. Quo ſpiritu Samſon incitatus, eà quæ fecit, ex voluntate Dei fecit, non humana.

De nuptijs dicitur in textu: Deſcendit itaque pater eius ad mulierem: & Simſon parauit ibi conuiuium, lætitiæ ſymbolum. Etenim exordium matrimonij ſpem pollicetur prouehendi generis humani. Nam huius gratia ſtatus hic diuinitus inſtitutus eſt, & cœleſti benedictione donatus. Vetus ergo conſuetudo eſt, habere nuptialia conuiuia: vocare ad ea amicos & vicinos. Vt ſponſo

ac

ac ſponſæ congratulentur, ac omnia proſpera precentur, &c. Neque Chriſtus, iſtius modi externos ritus vſitatos & honeſtos in contrahendis matrimonijs, improbat. Nam Ioan. 2. commemoratur, quòd ipſemet vnà cum Maria matre, & diſcipulis, conuiuio nuptiali inter fuerit, quod procul dubio præceſſit quædam inuitatio, quædam ceremoniæ copulationis ſponſi ac ſponſæ, ne coniunctorum cohabitatio vlli ſit offenſaculo, ac malæ ſuſpicioni obnoxia: poſtea & conuiuium ſequutum eſt. Id quod etiam ex Apoc. 19. & parabola Matth. 22. apparet, vbi regnum cælorum comparatur nuptijs, in quib. per ſeruos, homines prius inuitantur, nec accedit quiſquam niſi vocatus. Teſtatur eadem parabola homines veſtib. etiam mundioribus in conuiuijs nuptialibus vſos eſſe. Ad quod & Paulus alludit Eph. 5. Idem & Chryſoſtomus teſtatur in cap. 4. ad Coloſſ. Debet autem nuptiarum conuiuium cum gratiarum actione & timore Domini exerceri, Tob. 9. In hoc conuiuio, de more gentis Syrorum, ænigma, ſeu obſcurum dictum propoſitum eſt: quod cùm triginta iuuenes arte ſoluere nequiuiſſent, eius ſoluendi rationem dolo & minis conſequuti ſunt. Ænigma tale fuit: De comedéte exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo, quod quid aliud ſignificat, teſte Auguſtino Ser. 107 de Tem: quàm Chriſtũ à mortuis reſurgentem? De edente vtique, id eſt, de morte, quæ cuncta deuorat atque

conſumit, exiuit cibus ille, qui dixit: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcēdi: quem humana exacerbauit iniquitas, eiq; aceti & fellis amaritudinem propinauit, atque ab eo plebs gentium vitæ dulcedinem conuerſa ſuſcepit: ac ſic de mortui leonis ore, id eſt, de Chriſti morte, qui accubás dormiuit vt leo, apum, id eſt, Chriſtianorum proceſsit examen. Chryſoſtomus Tom. 2. Hom. 41. Samſon, inquit, de ore leonis fauum mellis abſtraxit, Dominus de faucibus diaboli plebem ſuam, quæ ſibi per viam facta eſt dulcis, eripuit. Borrhaus ſcribit ſuper hunc locum: Subducto velo, vt in occiſo leone Satana & filio eius Antichriſto, à Samſone Meſsia inueniatur mel dulciſsimum partæ victorię de peccato, morte & inferno, notum pijs eſt: Qui ſentiunt Deum pro ſua bonitate in morte vitæ, in peccato gratiæ, in inferni tenebris cœleſtis lucis ſuaue & amabile mel ſuis parari. Qui cœleſtis Samſon etiam ipſe maledicti ſerpentis & leonis habitum induit peccatum & maledictum factus, vt nos à ſerpentis maledictione & leonis crudelitate vindicaret. de quo illud: Vicit leo de tribu Iuda: in cuius mortuo corpore dulciſsimum euangelij mel inuenitur, de quo vates: Iura Domini dulciora melle. Nam non prius Euangelij fauus ex hoc mellario exprimi depromique cœpit, quàm leo is mortuus eſſet. De cuius melleo ſpiritu apud Ioannem capite ſeptimo: Et ſpiritus nondum erat datus, quia

quia Chriſtus nondum erat glorificatus.

3 Plura hic latent adhuc myſteria. Sanſon enim Chriſtum ſignificabat, ſolem illum iuſtitiæ, de quo Malach. 4. Is ſponſam ex gentibus ſibi iunxit in matrimonium: rugientem leonem Satanam interfecit: victoriam de leone ſponſæ ſuæ patefecit, &c. Huic igitur ſit gloria in æternum, Amen.

CONCIO XXI.

Pſalm. 127.

Canticum graduum Salomonis: Si Dominus non ædificet domum, fruſtrà laborant qui ædificant eam: & ſi Dominus non cuſtodiat ciuitatem, fruſtrà vigilat cuſtos. Vanum eſt vobis vt maturetis manè ſurgendo, & moram faciatis ſedendo, comedentes panem dolorum: ſic dabit dilecto ſuo ſomnum. Ecce hæreditas Domini, filij ſunt: & merces fructus ventris. Sicut ſagittæ in manu fortis, ſic ſunt filij iuuentutis. Beatus vir ille, qui ex his adimpleuit pharetram ſuam: non pudefient, quando loquentur cum hoſtibus in porta.

1 Titulus huius Pſalmi eſt: Canticũ Maaloth. i. graduum, vel aſcenſionũ, Salomonis.

Is enim Pſalmum hunc vel ipſe fecit, vel alius propter ipſum. Reputabat enim ſe & totum populum ſuum non ſufficere ad ædificationem domus Domini, 2. Paral. 2.

Fuit autem Salomon figura Ieſu Chriſti verè pacifici, qui ædificat ciuitatem Dei: ad quam ſuſpirare & aſcendere debemus, amando Deum.

Sunt qui dicant in hoc Pſalmo primùm agi de domus Dei ædificatione corporali: inde de ſpirituali: ibi, Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum.

Alij dicunt duplicem hîc deſcribi populum: veterem (cuius vani ſunt omnes conatus & vires) & nouum, qui ſunt dilecti Dei, & filij renati, quos Deus ipſe poſsidet & regit ſuo ſpiritu, ſuntque hæreditas Chriſti, à patre ſibi tradita.

Alij hunc Pſalmum docere aiunt, œconomias & politias non poſſe gubernari & defendi, niſi benedicente Domino, probarique hoc exemplo: Sic enim & cætera omnia benedictionis eſſe, ſicut procreationem ſobolis. Ac videtur nonnullis hunc pſalmum eſſe ſpecialiter ad hoc deputatum, vt in dedicationib. ædium, quæ Iudæis in vſu fuerunt, caneretur, quo mentes ædificantium ac laborantium ad prouidentiæ Dei fidem dirigerentur.

2 Propoſitionem in primo & ſecundo verſu amplificat antitheſi. Benedictione Domini omnia fieri, non labore & conatu noſtro,

ſtro, Sirac. 11. 1. Cor. 3. Rom. 9. Proue. 10. Ergo laborandum quidem eſt, ſed fructus laboris à Deo ſperandus. Ergo nemo confidat in propria ſapientia & fortitudine: Ierem. 9. Sine Domino enim nihil poſſumus. Vt autem is nobis adſit, inuocandus erit, Pſal. 145. Vt nos cuſtodiat, Iſrael eſſe debemus, Pſal. 12. Vt nos benedicat, iuſtitię ſtudendum fuerit, Prou. 3. Vt domum & familiam noſtram inſtruat, ædificatio illius in nomine Chriſti incipienda, Matth. 18. non in nomine Veneris, aut Mammonæ, Tob. 6. 1. Tim. 6. Qui hæc faciunt, ſunt dilecti & amici Domini: quibus Dominus dat ſomnum, id eſt, iucundam ac tranquillam quietem, cor liberum à nimia cura: & omnia neceſſaria quaſi per ſomnum, ſine vlla præuia cura & ſolicitudine, ſine vllo anxio labore & negotio. Si autem Dominus dormientibus benedicit, multò magis verbum eius audientibus.

3 Porrò ſi dona Dei ſunt liberi, vt tertius verſus docet, vbi hæreditas & merces Domini vocantur: & rex Dauid coram populo ſuo confitetur, dicens: ſiquidem multos filios dedit mihi Dominus: 1. Paral. 28. malè agunt iſtæ mulieres, quæ impatienter ferũt, quando ſobole à Deo donantur. Peius hæ, quæ pharmacis arceſſunt ſterilitatem, ne parturiendi nutriendíue laborem ferant, aut ne quid ſenij formæ concilient. Peſsime illæ, quæ fœtum iam viuum in vtero necant, aut pharmacis eijciunt. Olim ignominiam &

maledictionem interpretabantur fœminæ, carere liberis, Geneſ. 30. 1. Reg. 1. Luc. 1. Ergo abundare prole, benedictionis eſt: vnde Moſes in benedictione filiorum Iſrael dicebat ad Aſer: Benedictus ob filios Aſer. Idemq; teſtatur in Geneſi, ſanctas mulieres, vt Liam, & Rachelem, pro ſingulis partubus Deo gratias egiſſe, nimirum intelligentes & ſterilitatem & fœcunditaté arbitrio numinis immitti. Huc etiam facit dictum Benſyræ: Cui nõ ſunt liberi, reputatur tanquã mortuus. Cui verò ſunt liberi, perinde eſt ac ſi adhuc viuat, & nomen eius non eſt deletũ. Debent auté operã dare qui liberos habent, vt illos timorem Domini doceant, Sirac. 30. & iuxta D. Baſilium in 1. Serm. exercitam: adducant ad Dominum eos, qui dati ſunt ab ipſo. Tunc videbunt eos prudenter omnia adminiſtrare & fortiter agere, tanquam robuſtos iuuenes. Deus enim fortiſsimus dat illis viuacẽ valetudinem & alia munera ſua, id quod ſimilitudine ſagittarum in manu potentis exiſtentium explicatur. Et beatus eſt vir ille, cui tales contingunt ſagittæ, id eſt filij qui ſint parentibus ad manum, ſicuti viro potenti ad manum ſunt ſagittæ: nam non pudefiunt, cùm in portis ad iudiciũ venerint, diſceptaturi cum hoſtibus ſuis. Sunt enim prudenter educati, ideò prudenter omnia adminiſtrabunt. Deo, qui dat liberis noſtris animas & corpora, & addit nobis & illis omnia neceſſaria, ſit honor & gloria in æternũ, Amen.

CON-

CONCIO XXII.

Pſal. 128.

Canticum graduum: Beatus quicunque timet Dominum, qui ambulat in vijs eius. Siquidem laborem manuũ tuarum comedes: beatus (eris) tu: & bene tibi erit. Vxor tua vt vitis frugifera erit in lateribus domus tuæ, & filij tui ſicut plantulæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ. Ecce ſic benedicetur vir, qui timuerit Dominum. Benedicat tibi Dominus ex Zion, & videas bonum Ieruſalem, cunctis diebus vitæ tuæ. Et videas filiorum tuorum filios: pax ſuper Iſrael.

1 Sicut prior Pſalmus docuit Dei benedictione omnia ſimpliciter fortunari, non noſtro labore aut cura: ita hic pſalmus docet, vbi ſit illa benedictio, nempe aupud pios, qui timent Dominum. Timentis autem Deum beatitudo in laboribus manuum, in vxore & liberis, in ſpirituali æternaq; apud Deum gratia, hîc deſcribitur. Neque verò hîc tantùm oſtenditur, quanta ſit beatitas timentiũ ac reuerentium Deum, iuxtaq; normam eius viuentium, ſeu ambulantium in vijs eius, hoc eſt, interiores & exteriores cultus in agnitione mediatoris præſtantium.

ſed etiam in permultis alijs Scripturæ locis: vt Tob. 4. ὑπάρχει σοὶ πολλὰ, ἐαν φοβῇ τὸν θεὸν, &c. Sirac. 1. τῷ φοβουμένῳ τὸν κύριον εὖ ἔσται ἐπ' ἐσχάτων. Pſal. 31. Quàm magna bonitas tua, quam abſcondiſti timentibus te, & exhibuiſti eis qui ſperant in te. Pſal. 33. Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, & ſuper eos qui ſperant in miſericordia eius. Pſal. 112. Beatus vir qui timet Dominum, qui mandatis eius delectatur valde, &c.

2 Quid eſt igitur timere Deum? ponere Deum in conſpectu ſuo: quod qui fecerit, diuertet à malo & faciet bonũ, inquiret pacem & perſequetur eam, Pſal. 34. Hinc illa, Sirac 2. οἱ φοβούμενοι κύριον, ἑτοιμάσουσι καρδίας αὐτῶν, καὶ ἐνώπιον αὐτοῦ ταπεινώσουσιν τὰς ψυχὰς αὐτῶν. & 15. ὁ φοβούμενος κύριον, ποιήσει ἀγαθόν. Prouerb. 8. Timor Domini odit malum. & 16. In timore Domini declinatur à malo. Iob. 28. Pſalm. 111. Initium Sapientiæ timor Domini. Exod. 20. Vt enim probaret vos, venit Deus, & vt terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis.

Vnde autem oriatur metus Domini, oſtẽdit illud Pſal. 119. Horruit à timore tui caro mea: à iudicijs enim tuis timui. Attamen obſeruandum eſt timorem Dei eſſe duplicem, vnum ſeruilem, qui timet pœnas, nec per fidem accipit conſolationem: alterum filialem, qui cum fide coniunctus eſt, de quo Rom. 8. Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum ad timorem, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater.

Quid

Quid eſt ambulare in vijs Domini? Eſt credere Deo & amare proximum. Vniuerſæ enim viæ Domini miſericordia & veritas, Pſalm.25. quem Dominum D. Apoſtolus lucem & charitatem vocat, 1.Ioan.1.4. Eſt ambulare in Chriſto, per quem ſolum itur ad patrē, Ioan.14. & ambulare ſic, vt ambulauit Chriſtus, id eſt, in dilectione, 1.Ioan.2. Eph.5. Eſt introire per arctam portam: hæc enim eſt quæ adducit in vitam, quæ Deus eſt & Chriſtus eius, Matth. 7. Deuter.30. Ioan. 11. Eſt verſari non in impiorum conſilio, non improborum inſiſtere viam, non in ſede ſcurrarum ſedere, ſed delectari lege Domini, Pſal.1. eundemq; cum Dauide orare, Pſal.25. Vias tuas (.i. totam rationem qua nos ad te deducis) Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. & Pſal. 86. Doce me Domine viam tuam, & ingrediar in veritate tua, vnias cor meum, vt timeat nomen tuum. & 119. Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniuſtitia. & 143. Notam fac mihi viam, in qua ambulem: Spiritus tuus bonus deducat me in viam rectā. Monet inſuper hic Pſalmus, in timore Dei coniugium eſſe ineundum: id quod & angelus Tobiā facere iuſsit, Tob. 6. quod & fecit, Tob. 8. nec ipſe ſolum, ſed etiā Sara: cuius verba hæc ſunt: Tu ſcis Domine, quia nunquam concupiui virum, & mundā ſeruaui animam meam ab omni concupiſcentia. Nunquam cum ludentibus miſcui me:

neque cum his qui in leuitate ambulant, participem me præbui. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea, conſenſi ſuſcipere, &c. Tob. 3.

3 Sed quid tandem boni eueniet timenti Dominum, iuxta hunc Pſalmum? Propheta hoc epithalamio ſeu carmine nuptiali & conſolatur coniuges, & eis omnia felicia precatur & promittit à Deo. Labores, inquit, manuum tuarum manducabis, beatus es, & bene tibi erit: id eſt, laboribus & actionibus tuis Deus benedicet: Deus te alet: ipſoque adijciente, manducabis ex labore manuum, dum alij vel fruſtra laborant, vel certè cùm magna animi moleſtia partis vtuntur. Manuum, inquam, tuarum, vt non de alieno, ſed de tuo, idque non malis artibus, ſed iuſtis laboribus acquiſito, viuas & tuos alas. Quod ſi cui datur, felicitatis loco cenſendum eſt. Cùm manducas (inquit Auguſtinus) labores fructuum tuorum, beatus (in præſenti) cùm perueneris ad fructum laborum tuorũ, bene tibi erit (in futuro.) Hìc etiam videmus verum eſſe illud Prouerb. 13. Subſtantia quæ (parta eſt) vanitate, minuetur: quod autem quis congregat per manum, id augeſcit. Hoc eſt, Bona acquiſita fraude & rapina, citò dilapidabuntur: quæ autem acquiruntur labore manuum, his Deus dat incrementum: cui etiam ſoli debetur gratia. Si enim hoc Pytho confeſſus eſt faciendũ eſſe, multò magis nos facere decet. Is enim Athenienſibus ob

ob res feliciter geſtas ipſum admirantibus ac prædicantibus quòd Coryn regem intereniſſet, Dijs, inquit, habenda eſt gratia, quib. autoribus hoc facinus præclarè geſtum eſt. Nam ipſe nihil aliud quàm manum & operã meam commodaui. Euentus ergo rei in manu Dei eſt, & huic debetur gratia, ſi quid feliciter ceſſerit. Sed interim vult noſtram operam accedere. Quoniam ſi quis non vult operari, nec mãducet, inquit Apoſt. 2. Theſ. 3.

Vxor tua ſicut vitis fructifera in lateribus domus tuæ, &c.) Licet debile & deſpectum lignum ſit vitis, quæ ſeipſam nequit ſuſtentare, dulcem tamen profert fructum: ſic vxor imbecille eſt organum, quæ abſque viri præſidio vix viuere poteſt, parit tamen dulces liberos, qui plantulis oliuarũ comparantur, quòd ſanctorum filij more oliuarum ſemper optima floreant fama. Admonetur autem vxor hoc ſimili à vite ſumpto ſui officij: ne videlicet ſit inſtar rhamni aut dumi ſpiniferi & acuti, ſed tanquam vitis fructifera & οἰκουρὸς materque familiâs.

Ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum.) Deus ei benedicet, ſi habuerit vxorem, ſi filios: ſi verò non habet, non tamen ſine benedictione aut prouidentia Dei erit, & quicquid habet, ꝓ diuitijs cõputat. Semper enim gratus eſt Deo, & contentus ſua ſorte.

Benedicat tibi Dominus ex Zion) id eſt, benedictione forti ac æterna. vel, multiplicet te in bonis & ſpiritus & corporis Domi-

nus, qui habitat in Zion, id eſt, in loco ſancto ſuo. Alludit enim ad id, quod tunc Deus in Zion colebatur, & præſens ſecundum promiſsionem credebatur, quæ nunc eſt Eccleſia ſanctorum, vt & tunc verè erat. vel, benedicat tibi Dominus ex Zion .i. faciat te Dominus participem earum benedictionum, quib. Zioni ciuitati ac populo ſuo benefacit.

Vt videas bona Ieruſalem omnibus dieb. vitæ tuæ) vt videas profectum ciuium Ieruſalem, id eſt, gratiam populi Dei ſemper, quæ augeſcit fide verbi Dei, & omnibus aduerſarijs ſuperior euadit. Et quia felicitas priuata non ſatis firma ſtat ſine publica, rectè rogat, vt Deus benefaciat toti ciuitati, vt in ea tutè viuere poſsint colentes Deum.

Et videas filios filiorum tuorum) qui ſunt corona & gaudium ſenum, Prouerb. 17. Eccleſ. 25. id eſt, vt ſis longæuus: & gaudeas auus de nepotibus æquè ac tu, timentibus Deum, nempe à te inſtitutis.

Pacem ſuper Iſrael) id eſt, gratiam & miſericordiam ſuper populum Dei, vnde pax cõſcientijs eſt æterna: quæ præ omnibus corporalibus beneficijs optanda eſt. Hanc etiam nobis largiatur Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Amen,

CON-

CONCIO XXIII.

Prouerb. 6.

CVſtodi fili mi præceptum patris tui, & ne deſeras legẽ matris tuæ. Liga ea ſuper cor tuum iugiter, & adnecte ea gutturi tuo. Cùm ambulaueris ducet te,& cùm dormieris cuſtodiet te, & cùm euigilauẽris ipſa loquetur tecum. Quia lucerna eſt præceptum,& lex eſt lumen: atq; via vitæ, correptio & caſtigatio. Vt cuſtodiat te à muliere mala, & à blanditijs linguæ extraneæ. Non concupiſcas pulchritudinem eius in corde tuo, ne capiat te palpebris ſuis. Quoniam propter mulierem meretricem (peruenit fornicator) vſque ad maſſam panis,& mulier venatur precioſam animam viri. Numquid fouebit aliquis ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta ſua non comburantur? Aut ſi gradietur quis ſupra carbones vt pedes eius non adurantur? Sic qui ingreditur ad vxorem proximi ſui, non innoxius erit,quiſquis acceſſerit ad eam. Non contemptui habent furem, quando furatur vt adimpleat animam ſuam, eſuriens enim facit. Et deprehenſus reddit ſeptu-

plum, & totam ſubſtantiam domus ſuæ rependit. Qui autem adulterium committit cum muliere, is deficit corde: et qui vult perdere animam ſuam, agit in hunc modum. Plagam & ignominiam inueniet, atq; opprobrium eius non delebitur. Zelus enim eſt furor viri: & non parcit in die vltionis. Non accipit faciem vllius placationis, nec acquieſcet, etiã ſi multiplicaueris munera.

1 Quoniam fidem coniugalem frangere & mœchari turpe eſt, & malum: ſicut contrà here matrimonium ac fidem ſeruare honeſtum & bonum (ſiquidem fit in Domino) quemadmodum Apoſtolus dicit, Heb. 13. Honorabile eſt inter omnes coniugium, & cubile impollutum: ſcortatores autem & adulteros iudicabit Deus: & quoniam nunc ſunt extrema tempora, quæ ſunt, vt Chriſtus prædixit, ſicut tempora Nohæ & Lothi: idcircò diligenter monendi ſumus, vt fugiamus omnem immunditiam, ſcortationem, & adulterium: ne cum mundo pereamus.

Vt autem cauere queamus à mala fœmina, obſeruemus primò, quod Salomon hîc dicit: Retine fili mi (alloquitur autem Deus in Salomone omnem hominem) patris tui præceptum (honorandi enim ſunt parentes) neue omitte aut deſeras legem matris

tuæ

tuæ (per quam etiam Eccleſia Chriſti intelligi poteſt, vt per patrem Deus loquens in Eccleſia. Non autem alia commendat mater filio ſeruanda, quàm quæ patri placuiſſe cognoſcit.) liga ea ſuper cor tuum, (firmiter retinendo, ne diffluant verba in corde tuo vt literæ in mala papyro) & annecte ea gutturi tuo (vel collo, vt ſolent res precioſæ, catenæ aureæ, &c.) cùm ambulaueris ducant te (& ſequere tu illa, non mundi illecebras) & cùm dormieris cuſtodiant te, & cùm euigilaueris (maximè enim foris ambulantibus, aut in lecto exiſtentibus tentationes ad libidinem incidere ſolent) loquere cum eis (& meditare illa, vel reſume meditationem de ipſis.) Quia lucerna eſt præceptum (vt & Pſalm. 119. dicitur:) & lex lux (oſtendit enim quid agere, quidúe omittere debeamus. Et nota epitheta verbi Dei, quòd gladius ſpiritus eſt, quo fugatur Malus cum ſuis ignitis telis.) & vitæ via correptio & diſciplina. Non enim ad mortem ducit, ſed ad vitam & ſalutem hominis confert caſtigatio diſciplinæ, etſi à principio amara videatur. Hebræor. 12. Neque ſolùm cuſtodit verbum Dei externum actum obſcœnum, ſed etiam cor, ne concupiſcat, & geſtus ne ſint immodeſti.

2 Secundò ſciamus, etiam occaſiones ſcortandi vitandas eſſe, veluti ocium, de quo in principo huius capitis: item ebrietatem, de qua Prouerb. 23. imò ipſos oculos, ſi

obſtaculo ſint, eruendos, Matth. 5. Eccleſ. 9. Prouerb. 5. & pedes amputandos, ne aduran tur igne gehennæ.

3 Præterea grauitas adulterij, & mala quæ inde oriuntur expendamus. Periculoſius e-nim & detrimentoſius atque peius eſt adulterare, quàm furari (quod hodie pauci credunt, id quod ex ſupplicijs furũ & adulterorum intelligitur) adhæc ſcortatio, mala animæ, corporis, famæ & fortunæ importat. vt ex Luc. 15. etiam cognoſcere licet, nec non ex Germanico illo prouerbio: Spiel / hů-rey / vnd ſauffen / macht daß ich muß hab vnd gůt verkauffen: oder / von hauß vnnd hoff lauffen.

Attenuatur autem hîc peccatum furti nõ ſimpliciter, pro quo grauis pœna infligitur ſecũdum legem, ſed temporalis & citra mortem, vt ſcilicet reddat ſeptuplum; id eſt, plura quàm abſtulit indeterminatè, boues quin que pro vno, oues quatuor pro vna; Exod. 22. vel totum quod habet: ſed comparatione adulterij longè grauioris, Is enim adulter remedium vxoris habet & matrimonij, vel ha bere debet, qua incontinentiæ medeatur. Fur verò neceſsitate compulſus, nempe famis iniuriam euadere cupiens, deprehenſus verò ſatisfacit, minori confuſioni obnoxius poſtea, quàm illi, qui neceſsitatem patienti non ſuccurrerunt, in ius traxerunt, ſpoliauerunt bonis pauperem, qui non vt diteſceret, ſed vt eſurientem ſtomachum placaret & im pleret,

pleret, ſuratus eſt. Adulter verò excæcatur carnali libidine, fit inſanus & ſtultus, vt non ſentiat pericula famæ, vitæ, & rerum, ſed vt ebrius & mente captus, perpetua ignominia ſeſe cõmaculat, & inexpiabili infamia aſpergitur, iuſtamque ſecundum Dei legam vitæ amiſsionem promeretur. Qui ſcorto ſe aſſociat, in tantam veniet egeſtatem, vt cogatur mendicare fruſtum panis: & ne dum exterioribus priuatur bonis, verùm & precioſam animam venalem diabolo exponit. Et et ſi ſcortum fœdum haberi poteſt fruſto panis: tamen talis mulier viri nobilem animá illaqueat. Quàm ſtultus autem & inſanus eſt, qui ob momentum voluptatis carnalis amittit vitam æternam, & ſeipſum præcipitat in iram & furorem Dei, qui fortis zelotes eſt, & iuſtus iudex omnis carnis. Huic ſit honor & poteſtas in ſecula ſeculorum, Amen.

CONCIO XXIIII.

Prouerb. 11.

Monile aureum in naribus porci eſt mulier formoſa, quæ deſtituitur iudicio rationis.

1 Quid dedeceat non ſolum vxores, ſed etiam virgines & viduas, Salomon hoc loci, veluti in ſpeculo oſtendit. Dicit enim, quẽadmodum alij hoc prouerbium interpretantur: Circulus aureus in naribus ſuis: mu-

lier pulchra & fatua: vel inſulſa, quæ caret prudentia, vel cõtumax ſermone, vel, die vnzüchtige gebärden hat. Ein ſchön Weib ohn zucht/iſt wie ein ſaw mit einẽ gülden harband. ὥσπερ ἐνώτιον χρυσοῦν ἐν ῥινὶ ὑὸς, οὕτως γυναικὶ κακόφρονι κάλλος. Vt enim ſus monile fœdat in luto, ita quoque ſtulta mulier abutitur pulchritudine ſua, vt verè plumbeus gladius ſit in aurea vagina, ſicut in prouerbio dicitur: vel in eburnea vagina, quemadmodum Diogenes loquitur. Audiens enim adoleſcentem honeſta ſpecie, verbis parum honeſtis vtentem, Non te pudet, inquit, qui ex eburnea vagina plumbeum educas gladium? Ebur enim olim in ſummo erat precio. Dedecet ergo mulierem ſtultitia, imprudentia, impudentia, immodeſtia, ſocordia. Neque refert illam quidem eſſe pulchram & formoſam, carere autem ſapientia, deſtitui iudicio rationis, abuti pulchritudine, nec reputare qua ratione, & ad quem vſum naturale hoc donum à Deo ſuſceperit. Fallax enim eſt gratia, & vana eſt pulchritudo: mulier timens Dominum, ipſa laudabitur, Prou. vlt. Forma bonum fragile eſt: & ob id non valde appetendum, neque in eo gloriandum. Qui pulchritudinem corporis diligit (D. Bernardo teſte Serm. 64. de modo bene viuendi ad ſororem) ſemetipſum decipit. Quare? quia pulchritudo corporis fallax eſt, vana eſt, terra & cinis eſt, deceptio eſt hominis. Antiſthenes Athenienſis, cuidam adoleſcenti, qui curarat

ſeſe

ſeſe ex ære ſculpendũ, & ad eam imaginem ſeſe conformabat, dixit, Si æs poſſet vocem ædere, qua de re potiſsimum gloriaretur? De pulchritudine, inquit adoleſcens. Non igitur, inquit, erubeſcis, qui cum inanimo gloriaris? ſignificans magis gloriandum de bonis animi quàm de forma, quam haberet tum ſtatua communem. Idem ſi quam uiſiſſet mulierem egregiè cultam, adibat ædes illius, iubebatque virum proferre arma & equum, quæ ſi placuiſſent, patiebatur mulierem indulgere delicijs, quòd eſſet qui defenderet: ſin minus, ſuadebat vt eum ornatum deponeret, ne præda fieret alijs. Ex quo intelligitur pulchritudinem, præſertim ſi acceſſerit ornatus, etiam periculoſam eſſe.

Notandum autem, ſtultos & impios homines ſæpe comparari in Scripturis beſtiis, veluti porcis, &c. vt hic mulier, quæ quidem pulchritudinem vultus habet, vel ornamenta inaurium, monilium & veſtimentorum: ſordidat autem pulchritudinem ſuam, & amittit decorem, coinquinando ſe cœno libidinis & adulterio. Item, quæ, inſtar porci, margaritas conculcat pedibus ſuis, id eſt, ſanctum verbum non ruminat, nec meditatur, nec in precio habet, ſed contemnit, Matth. 7. quæ aliorum peccata libentius ore tractat, quàm virtutes: quæ ore ſuo maledicit, turpia loquitur aut canit: quod quid aliud eſt, quàm comedere

ſiliquas, imò ſtercus cum porcis. Nam fornicatorij cantus (inquit D. Chryſoſtomus Hom. 38 in Matth.) multò magis quàm ſtercora ſunt abominabiles, Ac quemadmodũ ſordes & limus aures corporis obſtruere ſolent: ſic meretricij cantus, huius ſeculi fabulæ, aures mentis ſolent obſtruere atque immundas facere: quaſi enim ſtercus auribus immittunt huiuſmodi colloquia. Hieron Epicharmo comico poëtæ, quòd præſente ipſius vxore dixiſſet quiddam inhoneſtum, mulctam dixit. Epicharmus Siculus erat, iuxta regionis naturam plurimi ioci. At rex tantum iudicauit eſſe tribuendum reuerentiæ coniugio, vt crimen exiſtimaret, audiente vxore iocari laſciuius. Et Gnathæna meretrix reprehenſa à Stilpone Philoſopho, quòd adoleſcentes corrumperet, Tu, inquit, egoque Stilpon in eodem hæremus crimine, qui adoleſcentes tecum verſantes inutilia quædam & amatoria ſophiſmata doces, vt nihil referat cum Philoſopho verſentur an cum meretrice.

2 Ex contrario iam intelligitur, quid conueniat mulieri, eamque ornet, nempe non tam formoſitas corporis, quàm honeſtas mentis, ſapientia, timor Domini, diſciplina morum, obedientia, tractabilitas, pudicitia, interna pulchritudo, quæ animi eſt, & Deo Opt. Max. placet, 1. Pet. 3. & valet etiam externa abſente. Non enim ex forma, aut ex colore etiam cæteras res prædicamus, ſed ex mini-

miniſterio, atque ex officio proprio. Ita enim ſeruum vocamus pulchrum, qui nobis aptè miniſtrat, non qui ſpecioſus atque mollis eſt: & dentes optimos, non eos, qui pulchrè atque ad lineam compoſiti ſunt, ſed qui mandere & concidere cibum facilè poſſunt. Socrates iubebat (nec malè) homines ſæpe ſe in ſpeculo contemplari: vt ſi eſſent deformes, eam corporis deformitatem pulchritudine animi compenſarent: ſi formoſi, vt nihil indignum egregia forma committerent.

3 Quomodo ſpiritualiter intelligendum eſt hoc prouerbium? Quicunque ſacras literas intentè meditatur, & iugiter perſcrutatur diuina eloquia, accipit ornamenta ſcientiæ. Quòd ſi malè viuendo corrumpit, quod bene intelligit, circulum aureum habet in naribus, ſed more porci terram fodit, coinquinat, & luto immergit; quia ornamentum, quod per notitiam ſcripturarum immunda actione ſordidauit, talis anima mulier pulchra & fatua: pulchra, quæ per ſcientiam, ſed dedita carnalibus delectationibus, fatua eſt per actionem. Tales porci ſunt omnes, qui vngulas quidem diuidunt, ſcripturasque intelligunt, ac voluntatem Dei ex verbo eius nouerunt, ſed non ruminant, ſermones Domini non faciunt, voluntatem eius non exequuntur, habentes formam pietatis, ſed vim eius abnegantes, 2. Tim. 3. Deum profitentes ſe ſcire, cæterùm factis negantes, cùm ſint abominabiles, & dicto non audientes, & ad o-

mne opus bonum reprobi, Tit. 1. Virgines fatuæ, Matth. 25. apoſtatæ, 2. Pet. 2. Hinc Chryſoſtomus Hom. 17. in Matth. Porcos, inquit, intelligendos puto Chriſtianos carnalibus & immundis voluptatibus deditos, quoniam propter fidem quidem ſuam mundi ſunt, propter actus autem ſuos ſordidos habentur immundi. Dominus noſter Ieſus Chriſtus ita nobis adaugeat fidem, vt eam oſtendere poſsimus ex factis noſtris, propter nomen ſuum ſanctum & ſalutare, Amen.

CONCIO XXV.
Prouerb. 12.

MVlier ſedula corona eſt mariti ſui: ſed quaſi putredo in oſsibus eius eſt (mulier) confuſione digna.

1 Hoc vnum eſt ex dictis Salomonis, quæ parabolæ & prouerbia nuncupantur. Parabolæ quidem ſiue ſimilitudines, quia occulta ſunt, & ſecreta myſteria ſignificãt: Prouerbia autem, quia talia ſunt, quæ ſæpius in ore fidelium verſari, ac memoriæ commendari, ac retineri debent. Simus igitur & illius dicti memores, & ſciamus id non ſolùm iuxta literam eſſe intelligendum, ſed aliter quoque ac ſpiritualiter.

2 Quæ eſt ergo ſententia ſimplex huius loci? Mulierem magnum bonum, item magnum malum eſſe, quemadmodum etiam Chryſoſtomus teſtatur in epiſtola ad Hebr.

vbi

vbi mentionem facit vxoris Iobi. Bonum quidem eſt, ſi ſit ſedula, diligens, ſtrenua, ἀν-δρεία, virtutibus ornata, muliebri mollitie nõ diſſoluta: ſi diligat & honoret maritum ſuũ, qui hîc בעל vocatur, id eſt, magiſter, vel dominus: ſi amet liberos, ſi ſit ſobria, pura, caſta, domus cuſtos, bona, ſuo viro ſubdita & obediens, deniq; אשת חיל vt hic vocatur, & Prouer. vlt. deſcribitur. Eſt enim magnopere in vxore commendandum, vbi ea cum honeſtate rem auxerit: quanquam in nobilium domibus latè nunc regnat ocium & mollities. Nam quæ illuſtris haberi vult, ea præter ſuam generiſque dignitatem ſe feciſſe iudicet, ſi quid operis in mariti domo fecerit, à quo quidem omnino, ſemperq; ceſſare ocio, marcentis eſt fœminę, libidinemq; fouentis: contrà verò probæ & frugi (qualis fuit Hanna vxor Tobiæ, Tob. 2.) nullum pati tempus fruſtra elabi, quædamque in ipſo propatulo facere: quædam etſi minimè deceant ante oſtium, eadem tamen ſi intra cubiculum exerceantur, vel maximè deceant. Malum autem quid mulier eſt, ſi ſit pudenda, gerens res confuſione dignas, negligens & ignaua in exequendis domus miniſterijs, κακοποιὸς, ſocors, imperioſa, impia, maledica. Nam ſicut bona mulier eſt corona, gloria, honos, gaudium, & ornamentum viri ſui, de qua gloriari poteſt, & per quam domus honorificè ſubſiſtit: ita mala eſt quaſi quoddam pus in eius membris, & putredo in eius oſsibus,

quaſi vermis in ligno: Ein heimlichs leyden/ quod palàm conqueri non audet, vel poteſt, animo autem ſemper ſentit, & ferre cogitur, ſicuti nec calcei preſſura cernitur, quantumlibet elegantis & prementis.

Interim tamen vt membrum corporis, nō ideò abijcitur, quia pus habet, ſed potius ſanatur: ſic & vxor non repudianda propter quædam vitia, ſed potius modeſtè corrigenda, vel patienter ferenda.

3 Quomodo ſpiritualiter illud dictum eſt intelligendum? Si per mulierem eccleſiam, & per virum Chriſtum Dominum & magiſtrum & caput noſtrum intelligas, Eph. 5. Debet enim eccleſia operam dare, vt corde, ore, & corpore, hoc eſt, fide, confeſsione, & operibus bonis, caput ſuum ornet atque glorificet, Rom. 4. Pſal. 34. Matth. 5. eiusque nomen non blaſphemet, Rom. 2. Nam quicunque honorificauerit me (inquit Dominus 1. Reg. 2.) glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Ille idem Dominus ſuam largiatur nobis gratiam, vt in illis noſtris diebus ita credamus, loquamur & viuamus, vt in die Domini reſurgere poſsimus non ad ignominiam & opprobrium, ſed ad vitam & gloriam ſempiternam, Amen.

CON-

CONCIO XXVI.

Prouerb. 14.

Mulieres ſapientes inſtaurant domum ſuam, ſtulta autem manibus ſuis euertet eam.

Qui ambulat in rectitudine ſua, timet Dominum: qui autem ſe auertit à vijs eius, deſpicit eum.

In ore ſtulti eſt virga ſuperbiæ: labia autem ſapientum conſeruant eos.

Vbi boues non ſunt, ibi præſepe vacuum eſt: & vbi multæ ſunt fruges (hæ proueniunt) viribus bouis.

1 Quomodo pia & fœlix inſtituenda ſit οἰκονομία, docet hîc Salomon. Eſt autem eligenda vxor non inſipiens, etiamſi diues aut nobilis, aut pulchra ſit, ſed ſapiens, iuxta illud Siracidæ cap. 7. μὴ ἀστόχει γυναικὸς σοφῆς καὶ ἀγαθῆς. καὶ γὰρ χάρις αὐτῆς ὑπὲρ τὸ χρυσίον. Nam, vt idem inquit, cap. 36. qui bonam vxorem nactus eſt, principium habet facultatum, adiutorem ſibi accommodatum, & columnam in qua conquieſcat. Hoc non perpendunt, qui vel pecuniæ cupiditate, vel ambitione capti præcipitantur in nuptias: neſcientes nobilitatis & amplæ dotis duo peſſima mala ſocia eſſe, vxoris ſuperbiam, & viri ſeruitutem. Itaque non iniuria apud Plautum veretur ille magnatem, dotatamque matronam duce-

re, ne ſibi dicendum eſſet, Argentum accepi, dote imperium vendidi.

Rurſus mulier det operam, vt ſit, aut ſi nõ eſt, vt fiat ſapiens, & fugiat ſtultitiam, ſi modò domum ſuam ædificare, inſtruere, & inſtaurare velit, imò ſaluare & illuſtrare, ſicut Abigail domum ſuam ſaluauit refrenando iram Dauidis, 1. Reg. 25. & non manibus ſuis, id eſt, operibus malis, deſtruere, euertere, diſperdere, & omni bono familiam deſtituere, prole ſcilicet, honeſtate, fama, ſubſtantia, honore & gratia, ſicut Iezabel inducens virum ſuum Achab & prolem ſuam ad idolatriam, propter quod tota domus illa per Iehu fuit deſtructa, 4. Reg. 9.

Der mann muß verderben/der ein vnehe iſſlich weib hat / dicit Lutherus. Vulgò autem fertur: Witz kompt nicht vor jaren. Et ſcriptura teſtatur, in veteribus eſſe ſapientiam, Iob. 12. in corde aũt pueri ſtultitiam, Prou. 22. ergo iuxta conſilium & admonitionem D. Iacobi cap. 1. Cui deeſt ſapientia, poſtulet ab eo qui dat, nempe Deo.

2 Quod verò ſit initium ſapientiæ, docet alter verſiculus, nempe timor Domini, cuius ſiue ſignum, ſiue effectus eſt, ambulare in rectitudine ſua. i. rectè, vel recto itinere, in rectitudine mandatorum Dei, nec ad dextrã declinare, nec ad ſiniſtram per viam virtutis, rectamq; viam Dei, quæ eſt fidere Deo & amare proximum: conuerſari ſine offenſa Dei & proximi; probè ſe gerere & innocenter: vt contrà

contrà contemptus Dei eſt, ab inſtitutis eius recedere, à vijs eius ſe auertere, nihilque recte agere, id quod ſtulti faciunt atque impij, Pſal. 14. qui non ſapiunt, neque curant diuinas res & animæ ſalutares.

3 Cæterùm vbi timor Domini occupauit cor hominis, neceſſe eſt vt ibi quoq; ſint recti, non praui ſermones, & iuſta, non mala opera: id quod ſequentia duo prouerbia indicant. Dicit enim primum: In ore ſtulti eſt virga ſuperbiæ .i. lingua percutiens & ſaucians proximum. Dann Narren reden tyranniſch/ ſæuiunt contra proximũ: ſibi placent, omnes pręter ſe iudicant, reprehendunt, damnant. Hinc Sira. 3. Maledictio matris eradicat fundamenta domus. Et latro in cruce dicit ad alterum, Ne times quidem tu (blaſphemans) Deum. Vel, in ore ſtulti baculus eſt ſuperbiæ, hoc eſt, ſtultus ſuperbiloquentia efficit vt vapulet. Labia aũt ſapientum conſeruant eos. i. bene loquuntur proximo, tantũ abeſt, vt illi ſint nocumento: vel, ſapientes loquuntur ſancta, honeſta, & in tempore, ad vtilitatẽ: vel, ſapientes ſuis ſeruantur labijs, vel, cuſtodiunt os ſuũ. Nã Iacob inquit cap. 1. Si quis videtur religioſus eſſe inter vos, qui non frenat linguam ſuã, ſed aberrare ſinit cor ſuũ, huius vana eſt religio. Deinde dicit, Vbi nõ ſunt boues, præſepe mundum .i. vacuum eſt: & in boum viribus ſita eſt prouentus copia. Hoc exponitur dupliciter: vno modo de bobus ad literam, quibus ſolum antiquitus

vtebantur homines ad agriculturam, & adhuc in plurimis terris. Et ideo vbi erat defectus boum, ibi erat etiam defectus agricultu ræ & ſegetum: & per oppoſitum abundantia ſegetum, vbi erat abundantia boum. Qui ergo laborat, ille habet vnde manducet: & qui otium ſectatur, ille egeſtatem habet. Dann faule händ/verarmend.

Alio modo exponitur, vt per boues intelligantur homines idonei ad res gerendas. Vbi non ſunt boni doctores, perturbatur eccleſia, vt Salomon inquit Pro. 29. Cùm ceſſauerit prophetia, diſsipabitur populus. Item, Vbi non ſunt gubernatores idonei (vt ſcribit Melanchthon) pereunt Reſpub. iuxta illud Eccleſiaſtis cap. 10. Væ terræ cuius rex puer eſt. Poteſt quoque dici: Vbi non eſt labor ſtudij in lege, ibi non eſt cibus animæ: multus autem prouentus ſacræ eruditionis & ſalutis, vbi eſt aſsiduum ſtudium verbi Dei. Item, vbi eſt defectus doctorum, ibi eſt paucitas fidelium, qui per ſegetes deſignantur: & vbi eſt pluralitas fidelium, ibi apparet manifeſtè labor doctorum & prædicatorum. Vt ager noſtræ eccleſiæ fructificet, faxit ipſe Dominus caput ſuæ eccleſiæ, & det docentibus os & ſapientiam: audientibus verò aures ad audiendum, vt cum ſponſo ad nuptias, quemadmodum de prudentibus virginibus legitur, intrare poſsint,

Amen.

CON-

CONCIO XXVII.

Prouerb. 17.

Melior eſt bucella ſicca, vbi eſt tranquillitas, quàm domus plena victimis, vbi eſt contentio.

1 Viuentes in matrimonio, vt rectè beateque agant, neceſſe eſt, vt ante omnia dilectionem ad ſe inuicem habeant quemadmodum Apoſtolus præcipit illis, Epheſ.5. Tit.2. quæ dilectio excedat omnem dilectionem mundi, ſitque perpetua, & proficiſcatur ex corde: id quod nõnulli etiam annulo ſignificari dicunt, quem ſponſus ſponſæ tradit. Hic enim plerunque aureus eſt, & rotundus, & in quarto digito poſitus. Sic autem vir diligat vxorem ſuam, vt ſuum ipſius corpus: vt Chriſtus ſuam eccleſiam: vt non ſit amarus erga illam, vt cohabitet ſecundum ſcientiá: Epheſ.5. Coloſſ.3.1. Pet.3.

Vxor autem charitatem erga maritum ſuum oſtendat, in hoc, vt honoret illum, exemplo Mariæ, quæ prius nominauit Ioſeph, quàm ſeipſam, Lucæ 2. & non contemnat eum propter ſenectutem, infirmitatem, paupertatem, &c. item in hoc vt obediat illi in omnibus.

Deinde habere debent coniuges inter ſe pacem, ſiquidem voluerint Deum pacis habere ſecum, Sirac.25.2. Corinth.13. Matth.18. Qui enim iracundi ſunt & litigioſi, miſerri-

mam vitam ducunt, etiamſi domum plenam diuitijs habeant. κρέισσων, inquit, ψωμὸς μεθ' ἡδονῆς ἐν εἰρήνῃ, ἢ οἶκος πλήρης πολλῶν ἀγαθῶν, καὶ ἀδίκων θυμάτων μετὰ μάχης. & iterum Prouerbiorũ 15. κρέισσων ξενισμὸς λαχάνων πρὸς φιλίαν καὶ χάριν, ἢ παράθεσις μόσχων μετὰ ἔχθρας. Iucundius igitur & expetibilius eſt, hominẽ veſci ſicca buccella panis cum pace & gaudio, vel cibo parato ex oleribus, cum conſenſu & charitate conuiuarum, quàm potiri lautitijs menſarum, vel prandio lauto ex optimis carnibus (quales in ſacrificijs ſalutaribus haberi ſolebant) cum rixa & odio. Adde quòd ira, odium, contentio, rixa, manifeſta ſunt opera carnis, Galat. 5. à quibus Chriſtiani longiſsimè abeſſe debent.

Tertiò requiritur fides, ne frangant promiſſum committendo adulterium. Deus enim adulteros iudicabit. Heb. 13.

Quartò patientia in laboribus, vt ſe inuicem iuuent, & verè ſint ζύζυγοι.

Quintò temperantia in actu coniugali, vt is fiat non tempore illicito, aut ob finem nõ verum, Eccleſ. 3. 1. Cor. 7.

Sextò, diligentia in educatione liberorũ, vt eos ad virtutes inſtruant, &c.

Septimò, fidelitas in rebus temporalibus, ne vxor furetur marito: neque maritus profundat bona.

2 Porrò Iudæi à noſtris edocti dicunt: Melius eſt hominẽ pauca ſcire clarè, & diſtinctè, quàm multa ſuperficie tenus & obſcurè.

Aliter

Aliter dicunt: Melius eſt ſcire ſimplicia, communia ac vera, quàm ſubtilia & falſa, vel cum opinione. Item dicunt: Melius eſt modicũ didiciſſe de rebus diuinis, quàm multa de creaturis. Nos poſſumus & illud addere: Melius eſſe Chriſtum Dominum (qui eſt panis viuus qui de cœlo deſcendit) in eccleſia diſcere & guſtare, quàm omnes artes & diſciplinas, quæ in ſcholis & academijs docentur, ſcire, omnesque libros de philoſophia, humanis legibus, hiſtorijs gentium deuorare. In Chriſto enim ſunt omnes theſauri ſapientiæ (quæ pacifica eſt) ac ſcientiæ reconditi, Coloſ.2. Iacob.3. Qui ad hunc venit, nõ eſuriet: & qui credit in eum, non ſitiet vnquam, Ioan. 6. Ipſi ſit honor & gloria in æternum, Amen.

CONCIO XXVIII.

Prouerb. 21.

Melius eſt manere in terra deſerta, quàm cum muliere contentioſa & moroſa. Theſaurus deſiderabilis & oleum eſt in habitaculo ſapientis: ſtultus autem homo deuorat illum.

1 Adeò res mala eſt mulier rixoſa & irritabilis, vt ſatius ſit degere in terra deſerta, & vt Siracid. inquit cap.25. cum leone & dracone,

quàm cum illa: atque præſtet, vt Salomon & hoc cap. & 25. dicit, in angulo tecti (.i. ſolitariè: vbi poteſt homo bona facere & cogitare) verſari ac habitare, quàm contentioſam vel rixoſam (quæ impedit hominis bona) habere vxorem: & domum communem. Rixoſa enim vxor, ſtillicidium perfluens eſt, Prouerb. 19. 27. Neque ira ſuper iram mulieris: καὶ μικρὰ πᾶσα κακία πρὸς κακίαν γυναικός: Eccle. 25. Caueat ergo ſibi quiſque ab iſtiuſmodi muliere, hoc eſt, ſit timens Domini: oret illum, vt ſe cuſtodiat à tali: ſit circumſpectus, ac prius exploret, aut explorare ſinat, qualis quæque ſit. Mulier bona, inquit Siracid. cap. 26. ſors bona eſt, quæ Dominum metuentibus ſorte datur. Rurſum inquit Concionator, cap. 7. inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum eſt, & ſagena cor eius: vincula ſunt manus illius, qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator eſt, capietur ab illa.

Si ergo tantum malum eſt vxor contentioſa & iracunda: quantũ malum eſt ipſa contentio & ira? D. Paulus Gal. 5. recenſet hæc mala inter opera carnis. vide Matt. 5. Iacob. 1.

Caueant igitur & abſtineãt ab his vitijs & vxor & maritus. Quod enim vni dicitur, alteri quoque dicitur. Nam ſunt vna caro. Diſcant autem à Chriſto pacem & manſuetudinem exercere, Matt. 5. 11. Mulier enim typum gerit eccleſię, cuius eſt dominum ſuum ſequi. Cæterùm ſi cui moroſa ac litigioſa cõ-

tigerit

tigerit vxor, pro Deo ferẽda eſt, à quo datur, & in bono vincenda, exercitij cauſa ſuſtinenda, dum interim Dei prouidentia ſupportatur à malis grauioribus. Antonium Panormitam, cum ab eo quæreretur, quibus maximè opus eſſe iudicaret ad cõnubij tranquillitatem: reſpondentem audiui (inquit Iouianus Pont. lib. 3. de Obed. cap. 2.) Nullas nec quietas nec felices ſatis nuptias eſſe poſſe, præterquam ſi vir ſurdus eſſet, vxor verò cæca. Idem dixiſſe Alphonſum Aragonum regem, refert Eraſmus lib. 8. Apophtheg.

2 Sequens prouerbium, ſiue parabola oſtendit primò rem bonam ac vtilem eſſe ſapientiam. Nã in habitatione ſapientis (inquit) theſaurus deſiderabilis & oleũ, vel elegantes opes & vnguenta ſunt: id eſt, in domo ſapientis bonorũ abundantia eſt, & copia rerũ vtiliũ artificialium & naturaliũ. Dominus enim illi benedicit in omnibus: non eſt enim ocioſus, non ſeruit ventri, non profundit ſubſtantiam ſuã ad vitæ laſciuiã. Quis autem ſit ſapiens, intelligitur ex contrario. Cõtrarius eſt inſipiẽs, de cuius ingenio, vita & morib. Pſa. 14.

Spiritualiter intelligi poteſt etiam hic locus. Nam theſaurus ille cœleſtis, id eſt, Chriſtus: & oleum illud lætitię, id eſt, ſpiritus ſanctus, eſt in corde ſapientum, Matth. 25. Epheſ. 3. 1. Ioan. 2. in domo ſapientiæ, id eſt, in eccleſia Chriſti: in credentibus, diligentibus & timentibus Dominum. Denique in domo patris & ciuitate Dei ſunt ſummæ diui-

tiæ & delitiæ. 4. Eſd. 7. Vbi enim ſunt gaudia? (canit eccleſia) nirgend mehr dann da/ da die engel ſingen noua cantica: vnd die ſchellen klingen in regis curia: Eia wern wir da/ ꝛc.

Secundò oſtendit hoc prouerbium, rē detrimentoſam eſſe ſtultitiam. Nam veſanus homo, inquit, abligurit, ſeu deuorat illum. i. theſaurum à maioribus hæreditate relictū, hoc eſt, vt ſapiens diuitias parit, ſic ſtultus eas decoquit. Hinc ſupra Prouer. 14. Sapiens mulier domum ſuam inſtruit: ſtulta ſuis manibus euertit. Deus ſapientiæ liberet nos à ſtultitia, & det nobis ſpiritum ſapientiæ, vt poſsimus cum filio eius & ſponſo pulcherrimo intrare ad nuptias illas cœleſtes, Amen.

CONCIO XXIX.

Hoſeæ 4.

Fornicatio & vinum atq; muſtum auferunt cor. Populus meus lignum ſuum conſultat, & baculus eius nunciat ei. Quia ſpiritus fornicationum fecit (eum) errare, & ſcortati ſunt à Deo ſuo.

1 Duo ſunt mala potiſsimum, quæ clade afficiunt matrimonium, ſcortatio & ebrietas: quia vinculum matrimonij frangunt, & egeſtatem coniugibus inferunt, Matt. 5. Eccleſ. 19. Ideo toties ſcripturæ ſanctæ ab his

vitijs

vitijs nos dehortantur, ac ſimul indicant damna quæ oriuntur ex illis.

Auferunt autem Venus & vinum .i. abuſus vini, homini cor, hoc eſt, fortitudinem fidei, vel intellectum ſeu mentem, ac ipſam ſedem ſapientiæ, & præſtantiſsimam hominis partem, ex qua rationis vſus, vita & ſalus vniuerſa dependet, & qua ſola à brutis differimus. Qui enim occupatur & iugiter verſatur in fornicationibus & ebrietatibus, ille omnem amittit intellectum, vt ſine vllo timore Dei ambulet, & facilè ab eius cultu recedat: id quod Iſraelitis cõtigiſſe multi ſcribũt prophetæ: quippe qui carnalib. illis vitijs immerſi, gloriá Dei cõmutarunt in gloriam ligni .i. idoli. Fornicationem igitur carnis (propter quá vitandam ſuá quiſq; vxorem habeat, & ſuũ quæq; virũ, 1. Cor. 7.) ſequitur fornicatio mentis, Num. 25. 3. Reg. 11. & hanc perditio, Pſal. 73. Vnde Salom. Prou. 6. inquit: Qui adulterium committit cum muliere, is deficit corde: & qui vult perdere animam ſuá, agit in hunc modum. & Prou. 23. Si quidem fouea profunda eſt meretrix, & puteus auguſtus aliena (.i. vt ex profunda fouea nemo facile aſcendere poteſt, ita citra difficultatẽ nullus liberari poterit, quẽ ſcortorũ nexus ſemel ligauerint) Ipſa enim in modum raptoris inſidias ſtruit, & adijcit (ſibi) homines facinoroſos: vel, conficit homines perfides: vel, homines præuaricatores, vt quidam interpretantur. Vetus interpres vertit incautos.

Verum enimuero nemo eſt qui libenter fe-rat ſe criminari ſtultum: cur ergo Venerei & ebrioſi ſe ſtultos & amentes faciunt? Adde quod adhuc plura mala, teſtantibus literis ſacris, naſcuntur ex illis peccatis, ſcortatione & ebrietate, nempe damnum corporis & vitæ, Prou, 23. 2. Reg. 13. facultatum & opum, Luc.15 honoris & famæ, Eccl.8. item animę, atq; amiſsio æternæ vitæ. 1. Cor.6. Gal.5.

Solet de his mundus leuiter admodũ iudicare, & vix eos patitur, qui illa cauenda, aut etiam extirpanda eſſe ſentiunt. Sed longè aliter nos iudicare docet Deus hoc loco, quando iſta cor hominis auferre (inſtar peſſimorum furum) dicit. At quis non nocentiſsimam modisque omnibus fugiendam peſtem eſſe dicat, quæ cor aufert? At hoc auferri, adeò vt nullus ipſius nobis vſus ſit, ipſa experientia abundè docet. Nam ſi quos ſcortationis æſtrum exagitat, ij fœdiſsima ſuorum ſcortorum vitia non obſeruant: adhæc omni pudore poſito obſcœna quæq; dicunt & faciunt: opes ſuas totumq; patrimoniũ turpiter profundunt, vxoris legitimæ & dulciſsimorum liberorũ curam abijciunt, & breuiſsimę voluptatis cauſa corpus & vitã periculis grauiſsimis ſcientes & volentes exponunt, nec vllis minis, legibus aut exemplis ſeſe coerceri patiuntur. Taceo quòd corpus ſuum ſcorti membrum faciunt, quod vt ſpiritus ſancti tẽplum eſſet, ſuo ſanguine Chriſtus conſecrauit: id quod multò maioris inſaniæ ac ſtulti-

tiæ

tiæ ſignum eſt, quàm ſi quis ex pulcherrimo cubiculo vel cœnaculo faceret harã, vel ſtabulum equorũ. Quis ergo tales ſana mente vti dicat? Eadẽ eſt ebrietatis ratio. Vt primũ enim vinum immodicè hauſtũ fuerit, mox rationis lumine obſcurato, lingua ſibi ad conuitia, blaſphemias, obſcœna dicta & promiſſa incauta habenas laxat, oculi circa formas alienas vagantur, manus ad arma promptæ ſunt, & brutis animalibus vel impudẽtia, vel ferocitate, vel ſtultitia ſimilis redditur, qui illis præſtare & ad Dei exempla viuere debebat, Dan. 5. Attamen luſus iocosque hæc omnia dixeris, ſi eos ſpectes, quibus ebrietas inceſtuum, cædium & propriæ etiam necis cauſa fuit. Quo nomine veteres olim illam voluntariam inſaniam dixerêre: nec temerè Chriſtus Luc. 21. de nouiſsimorum temporũ periculis diſſerens monet ne corda noſtra ebrietate & crapula aggrauari patiamur. Nũ ergo vinum corda auferre negabimus? Certè noſtro ſeculo, proh dolor, ebrietatis vitio omnis loci & ordinis homines ita dementatos eſſe videmus, vt nec quotidiana damna agnoſcant, nec de illis vitandis & declinandis ſeriò cogitent. Cùm tamen non impoſſibile ſit ab iſtis vitijs abſtinere. Si enim Rechabitæ, ſi Saraceni poſſunt abſtinere prorſus à vino, cur Chriſtianus non poſſet ab ebrietate? Beatus qui pœnitentiam egerit, & in Chriſti Ieſu nomine peccatorum remiſsionem petierit, & ab his peccatis deſtiterit.

3 Ne autem quis ſe mundum à peccatis eſſe glorietur, & alios contemnat (vt Phariſæus fecit, Luc. 18.) cùm nec ſcortationi nec ebrietati ſit deditus, oſtendit propheta longè deteriorem eſſe idolatrarum & hypocritarum, qui ſe alijs ſanctiores eſſe arbitrantur, conditionē, nec habere quo glorientur. Quaſi dicat: Fateor ſanè magnas eſſe ſcortationis & ebrietatis vires, & pudendum eſt, hominē ad imaginē Dei conditum his ita immergi, vt amentis & inſani inſtar omnia abſq; pudore & ratione agat. At multò grauior eſt veſtra culpa, qui cùm meus populus dici & cenſeri velitis, non tamen me vno eſtis contenti: ſed ligna veſtra .i. imagines à vobis ex ligno factas, interrogatis, & à baculo veſtro rēſponſa petitis. Quid magis ſtultum expectari poteſt, quàm à mutis idolis cōſilium aut opem petere, & corā ijs proſterni, quæ vel tuis manibus, vel impenſis facta ſunt? Quid item magis abſurdum, quàm ab incerto auium volatu pendere eos, quos per verbum ſuū Deus pleniſsimè de omnibus inſtruxit, quæ ad noſtræ ſalutis cognitionem faciunt? Atqui hæc (inquit propheta) facit populus meus, quem fornicationis ſpiritus ſeduxit, vt ſciēs volens, relicto Deo ſuo ad muta idola & vaniſsimas vaticinandi artes deflexerit. Quis ergo non in ipſis quoq; ſcortationē & ebrietatem agnoſcat longè nocentiorem, quàm quæ corporaliter exercetur, cùm omnem rationis vſum ſimul & pudorem exuerint?

Deus

Deus omnipotens & miſericors cuſtodiat nos ab omnis generis ſcortatione per Chriſtum Ieſum, Amen.

CONCIO XXX.

Tobiæ I.

CVm verò factus fuiſſet vir, accepit vxorem Hannam, de tribu ſua, genuitq́ ex ea filium, nomen ſuum imponens ei, quem ab infantia timere Deum docuit, & abſtinere ab omni peccato. Igitur dum per captiuitatẽ deueniſſet cum vxore ſua & filio, in ciuitatem Niniuen cũ omni tribu ſua, & cùm omnes ederent ex cibis gentilium, iſte cuſtodiuit animam ſuam, & nunquam contaminatus eſt in eſcis eorum. Et quoniam memor fuit Domini in toto corde ſuo, dedit illi Deus gratiam in conſpectu Salmanaſar regis, & dedit illi poteſtatem quocunq; vellet ire, habens libertatem quæcunq; facere voluiſſet. Pergebat ergo per omnes qui erant in captiuitate, et monita ſalutis dabat eis.

1 Vt cæteræ ſcripturæ ſanctę in doctrinam & conſolationem noſtram præſcriptæ ſunt;

ſic etiam ille locus ſcripturæ: in quo coniugibus, & futuris coniugibus egregia imago proponitur, docens, quo pacto ſe in re coniugali gerere debeant, vt benedictionem Domini & gratiam conſequantur. Non enim debent contrahere matrimonium ante tempus & iuſtam ætatem. Tobias enim vt adoleuit, & factus eſt vir.i. potens generare, & ſciens regere domum ſuam, iam conſummata natura & integra ætate, vxorē duxit, exemplo patriarcharum veterum & ſanctorum, qui rarò ante trigeſimū annum vxores ducebant, ideo fortunatiores, & naturæ ſolidioris filios generabant. Rurſum Iudas patriarcha noluit filium ſuū dare Thamari, donec creuiſſet, Gen.38. Et Noemi ad nurus ſuas dicebat: Etiamſi poſſem hac nocte concipere, & parere filios, ſi eos expectare velitis donec creſcant, & annos pubertatis impleant, ante eritis vetulæ, quàm nubatis, Ruth.1. Quomodo enim quæſo pueros educabunt, qui ipſi pueri ſunt? Lycurgus is qui Lacedæmonijs leges condidit, quum certum tēpus præſcripſiſſet quo puellæ nubere, iuuenes ducere deberēt: interrogatus cur id ſtatuendū putarit, Vt, inquit, ſoboles ex adultis perfectæq; ætatis parentibus nata, valida ſit & vegeta. Ex coitu præpropero non ſolū læduntur corpora gignentium, verum etiam proles naſcitur imbecilla. Tum qui ante tempus dant operam liberis, carent apud illos autoritate, quam ætas conciliat: rurſus qui vergente iam ætate,
nec

nec fruuntur liberis ſuis, nec eos poſſunt ad perfectã inſtitutionem perducere, morte ſenioq; præuēti. Olympiodorus in 3.cap.Eccl. inquit: Opportuno quis tempore ſuæ commiſcetur vxori, cum appetit filios procreare: præter tempus verò, voluptatis & concupiſcentiæ cauſa hoc facit. Vt verò adoleſcentuli tempus honeſti matrimonij patientius expectare poſsint, non ſunt illi quidē ſine diſciplina caſtitatis ſinendi, ſed in primæua ætate inſtituendi ad vtiles diſciplinas artium, ad occupationes fructuoſas, vel terræ colendæ, vel mechanicis honeſtis artibus adaptãdi, ad negotiationes iuſtas, ad patriæ & familiæ decorem & vſum: liberalibus quoque diſciplinis inſtituendi, & ad frugalitatis amorem edocendi, cum temperantia rerum in omni victu & amictu, abſque ocio & libidinis ſtudio. Quod ſi fiat, facilius continere poterunt, & tardius Veneris importunas libidines ſentiēt, plurib. honeſtis ſtudijs occupati.

2 Quò autem reſpexit Tobias vxorem ducturus? proculdubiò non ad diuitias, aut voluptates, ſed ad Dei verbum & timorem: nec non ad debitum finem coniugij. Nam duxit vxorē de tribu ſua atq; cognatione, nempe Naphtali, quę vna erat ex populo Dei, hoc eſt, Iſraelitico, Annam nomine, gratioſam & amabilem, qualis & mater Samuelis fuerat, & vidua octoginta annorum Euangelica: & genuit ex ea filium (dixit enim Deus Gen.1. & 9. Creſcite & multiplicamini & replete

terram) nomen ſuum imponens ei (nam cũ piuit etiam illum eſſe virum bonum. Interpretatur enim טוביה bonus Deus, vel Domini bonitas, qua fit, vt ex pijs parentib. ſancto matrimonio ad id inſtituto naſcantur pij filij, Domini bonitatem agnoſcẽtes in omnibus, à quo omne bonum deſuper allabitur timentibus Deum. Hunc fructum matrimonij. i. hunc filium docuit (quemadmodum fieri debet, Deut. 6 Ephe. 6.) ab infantia (ἐκ νεότητος, vt Sirac. monet faciendum, cap. 7.) timere Deum (quo nihil melius, Ecc. 23.) & abſtinere ab omni peccato, Tob. 4. Non. n. ſufficit generare liberos, niſi eoſdem etiam inſtruamus in timore Domini, vt non ſolum noſtri, ſed & Dei filij ſint. Cæterùm quòd Tobias vxorẽ duxit de ſua tribu & cognatione, hoc non ſolus fecit. Idem enim Iſaacum, Iacobũ, patrem Moſis, &c. feciſſe legimus, Gen. 24. 28. Exod. 2. idque ſecundum præceptum Domini, Num. 36. Deuter. 7. vt hæreditas iuxta Dei legem in familijs permaneret, & ſortes non confunderentur.

3 Docuit autem Tobias ſuum filium nõ verbis tantùm, verùm etiam factis ac ſuo exemplo. Fuit enim vir iuſtus & pius, & conſtans in veritate: memor Dei & eius verbi omni tempore, etiam in captiuitate. Non enim contaminauit ſe eſcis gentilium, in legẽ prohibitis, Leuit. 11. ſed animam ſuam cuſtodiuit. i. ſibijpſi temperauit, appetitui imperauit, ne quod alioqui delectat, libeat deguſtaſſe. pre-

ſe. precioſior in cõſcientia ſua erat ſacra Dei lex & ſanctio, quàm vt pauperie vel gentilium fauore induceretur ad illicita obeunda: ſicut & Daniel cum ſocijs in Babylone, Ioſeph in Ægypto, Iudith in caſtris Holofernis, Gen. 43. Iudith 12. Omnia quidem munda ſunt mundis. Verùm legis Moſaicæ ritus vſque ad Chriſtum Iudæis omnibus obſeruandus erat, & idolatriæ occaſio ſumma diligentia euitanda. Polluebantur igitur Iſraelitæ ferè omnes .i. plurimi contra legem agendo, quam Tobias ſummopere ſemper obſeruare ſatagebat, ne peccaret in Deum, & contra conſcientiam illicita ſumeret, cum licita per Dei gratiam non deeſſent. Atque huius ſanctitatis præmium Tobias etiam in hoc mundo accepit. Donatus eſt enim à rege Salmanaſar libertate, vt illi licuerit pergere & operari, vt voluit. Sed ipſe hac ſua libertate, ex gratia Dei (cuius opera & feræ, & tyranni manſuefieri, velint nolint, coguntur) accepta, non abuſus eſt: ſed itiтans ad omnes captiuos, eos ſalutariter monuit atque conſolatus eſt. Porrò quæ ſalutis monita fuerint, quæ illis dedit Tobias, videris in cõmentarijs Pellicani. Exhortatus enim eſt concaptiuos ad tolerantiam exilij, ad obedientiam regi prçſtandam, etiamſi immodeſtior & diſcolus iam eis contigiſſet, quãdo id Domino placuiſſe viderent ex facto, pœnam eſſe cõdignam criminibus non poſſent ignorare; forti animo omne ſolum patriam

eſſe, gloriam Dei hoc pacto ſpargendam in gentes multas, pro qua prædicanda idoneos ſe poſſent prædicatores præſtare, experti bonitatem Dei in beneficijs & præmonitionibus prophetarum, nunc verò iuſtitiam in contemptores legum ſuarum, &c. Talem charitatem tum erga Deum, tum erga proximum, largiatur nobis omnibus & ſingulis Dominus noſter & ſeruator Ieſus Chriſtus. AMEN.

CONCIO XXXI.

Tob. 10.

AT verò Raguel dicebat ad generum ſuum: Mane hîc, & ego mittam nuncium ſalutis de te ad Tobiam patrem tuũ. Cui Tobias ait: Ego noui, quia pater meus & mater mea modò dies computant, et cruciatur ſpiritus eorum in ipſis. Cumque verbis multis rogaret Raguel Tobiam, & ille eum nulla ratione vellet audire, tradidit ei Saram, & dimidiam partẽ omnis ſubſtantiæ ſuæ, in pueris, in puellis, in pecudibus, in camelis, & in vaccis, & pecunia multa, & ſaluum atq; gaudentem dimiſit eum à ſe, dicens: Angelus Domini ſanctus ſit in itinere veſtro, perducatq;

ducatq́; vos incolumes, & inueniatis omnia recte circa parentes veſtros, & videant oculi mei filios veſtros priuſquam moriar. Et apprehendentes parentes filiam ſuam, oſculati ſunt eam, & dimiſerunt ire, monentes eam honorare ſoceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & ſeipſam irreprehenſibilem exhibere.

1 In hac narratione eſt primùm quod facere & imitari debent ſoceri, deinde liberi, tertiò coniuges.

Socer enim Tobiæ Raguel generum ſuum ita dilexit, vt hoſpitalitatem erga eum exercuerit quatuordecim dies, & id facere viterius voluerit. Audito autem quod parentes generi ob moram filij ſoliciti eſſent, tradidit ei filiam, & dimidiam partem omnis ſubſtantiæ ſuæ: & cum fauſto omine dimiſit eos, precatusq́; eſt illis, non cacodæmonem aut mille diabolos, ſed comitantem angelum Dei bonum: non morbos corporis, vt peſtem, Gallicum morbum, &c. ſed incolumitatem: non vt omnia perdita, ſed ſalua inueniant apud parentes: non ſterilitatem, ſed quod in primis in matrimonio eſt intendendum, prolis vbertatem & felicitatem, quando nihil in hoc mundo parentibus poteſt ſuauius contingere, quàm filij & nepotes, in quibus etiá in hoc mundo ſeſe norunt poſt mortem ſu-

pereſſe & viuere, & bis eſſe felices, ſi tamen in timore Dei nutrierint quos genuerunt filios & nepotes. Sic loquuntur honeſti homines, vtilia nempe & grauia ad rem pertinentia, non ludicra vel obſcœna, non rixas vel odia, nó peierationes vel maledictiones. Diſcenda eſſet hoc loco vel loquendi formula inter pios: ſolent enim ſeculo & prauis moribus initiati homines, ſiue ſeſe inueniát vel dimittant, ſiue edant, ſiue bibant, ſedentes vel commigrantes, non niſi prophana, ocioſa, turpia, pernitioſa vel imprudentia loqui, friuolos ac inutiles prorſus miſcere ſermones, leuitatibus delectari & riſibus, ſi non etiam mendacijs ad minus ocioſis: & ſi quis ſenſatior ſenſatiora loquatur, ludibrio habetur, & inhumanior, ſi non etiam ſtultior. Hoc in libello, ex quo hic noſter textus prælectus eſt ſumptus, vbique rationabilia, pia, honeſta, grauia, vtilia, ſancta & gratioſa dicuntur, vt legis per totum, vt diſcas ſanctimoniam veterum, & ſimul noſtri ſeculi vanitatem inſpicias inſignem, & vix tolerabilem pijs, quin & impijs non fructuoſam.

2 Filius autem Tobæi Tobias parentes ſuos, etiam ducta vxore, ita honorauit, vt propter conuiuia moram facere noluerit apud ſocerum, ne patrem & matrem ſuam triſtitia afficeret: quorum φιλοστοργία Tobiæ per experientiam ſatis perſpecta erat. Non ſunt igitur negligendi affectus pij parentum, non ſunt extra extremam neceſsitatem aliquatenus

nus perturbandi à filijs probis, ſed colendi proximè poſt cultum Dei: ſic enim Dominus & natura præcipiunt.

3 Raguel denique cum vxore ſua vtiliſſima præcepta dedit filiæ ſuæ, quo pacto nimirum debeat ſe gerere erga ſoceros, maritũ, familiam, & ſeipſam. Aiunt enim primum: Tuum ſocerum & ſocrum, qui nunc tui parentes ſunt, magno in honore habeto (vt Ruth ſocrum ſuam Noemi) Nam vir & vxor ſunt quaſi vna perſona: & ideò ſicut vir tenetur honorare parentes proprios, ita & eius vxor, vt ſeſe filium ſyncerè amare oſtendat. Liquidò enim proditur fictus & inſuauis amor conſortis, ſi eiuſdem parentes amare nõ poteſt, vel reuerentia non dignatur.

Secundò, maritum diligito, tanquam vnã perſonam. Oportet enim vxores eſſe φιλάνδρους, Tit. 2. Cùm enim ſine amore alicuius rei ſubſiſtere non poſsit iuuencula, conſtat, neglecto ſponſi amore, aliud quippiam vel alium impensè amare: cum Dominus conciliauerit ſic naturas, vt inhumanum omnino ſit, inter ſponſum & ſponſam deſiderari amorem, ſine quo fides neceſſararia non inuenitur, quæ grata eſſe poſsit.

Tertiò, familiam regito: idque ex inſtituto ordinationeque mariti: alioqui patrisfamiliâs eſt, totam gubernare domum: vxoris autem eſt commonefacere, ne quid negligatur, quod præcepit maritus, cuius adiutorium eſt & eſſe debet.

Quartò, domum gubernato, id eſt, legitimè diſpenſato, quæ maritus importat & ſua acquirit induſtria, vt nihil perdatur, diſsipetur, pereat, nec nimis, nec minus fiat, quàm ratio rei familiaris admonet & exigit, vt proſpiciatur neceſſarijs domus in tempore, ne quid intempeſtiue procuretur. Sed & Paulus vult mulieres eſſe οἰκουρούς, Tit. 2. Nam in domo aliqua ſunt agenda, quę magis decent fieri per mulieres, quàm per viros. Adde quòd viri circa exteriores occupationes ſunt magis intenti, vt circa mercaturas, agriculturas & huiuſmodi. Denique vxorem iuuare debere œconomiæ adminiſtrationem, monent etiam illa dicta: Mulier ſedula corona eſt viri, at illaudata mulier tabefaciet oſſa, Prouerb. 12. Mulier ſapiens ædificat domum ſuam, ſtulta verò euertit eam, Prouerb. 14. Probam mulierem quis inueniet? Ea præſtat gemmis, confidit ea cor mariti, & res familiaris non deficiet, reddat ei bonum & nō malum perpetuò. Tractat lanam & linum, & voluptati ei eſt officium ſuum facere. Perinde eſt atque nauis mercatoris, ex longinquo afferens panem ſuum. Noctu ſurgit, &c. Prouerb. 31. Qui habet diligentem matrem familiâs, conſtabilit rem familiarem, & ſociam habet fidam, & columnam qua conſolari poſsit. vbi non eſt ſepes, vaſtatur prædium: & vbi non eſt materfamiliâs, ibi maritus miſer eſt, quaſi errabundus vagetur, Eccleſiaſtici trigeſimo ſeptimo.

Quin-

Quinto, te ipſam inculpatam præſtato. Hoc fit, quando mulier in fide manet, ac dilectione, & ſanctificatione cum caſtitate, 1. Timoth. 2. quando ſobria eſt, pura, bona, ornata virtutibus, ne ſermo Dei malè audiat, Tit. 2. quando denique verbis, factis, inceſſu, ornatu, veſtibus, domi & foris, honeſtatis ſemper habet & ſeruat rationem diligentiſsimè, vt ab omni inhoneſto verbo abhorreat, ſenſus corporis ad verecundiam regat, ſpeculũ ſe præbeat in moribus & verbis, ancillis & ſeruulis, filijs & filiabus, &c.

Hæc erat ſalutaris admonitio, quam parentes Saræ filiæ ſuæ iam abeunti cum marito ſuo inſinuabant, vt verba quæ recedens ab eis audiret, in corde ipſius arctius impreſſa remanerent.

4 Ex iſta autem doctrina & admonitione facilè colligere poteſt etiam vir, quid ipſum facere deceat, nempe multò magis hęc omnia facere, id eſt, honorare maiores, diligere propriam vxorem, patrem familiâs agere, ſua non diſsipare, irreprehenſibilem ſeipſum exhibere. Sic enim Raguel etiam Tobiam allocutus eſt, quemadmodum in quibuſdam exemplaribus extat: Fili mi, Dominus Deus cœlorum conducat te in pace, vt faciat me videre ex te & ex Sara filia mea filios bonos ante Dominum, antequam moriar. Et ecce Sara filia mea in manu tua eſt, tu ne affligas eam cunctis diebus tuis, ſed ite in pace; benedicensque & oſculans eos, di-

miſit eos. Chriſtus Ieſus doceat tum maritos, tum vxores omnes facere quod iuſtum eſt coram Deo, Amen.

CONCIO XXXIII.
Eccleſ. 4.

NE te domi tuæ geras in modum leonis, nec in domeſticos tuos inſanè ſæuias (aut opprimas tibi ſubiectos.) Ne manum habeas porrectam ad accipiendum, ad reddendum autem contractam.

1 Hæc admonitio non ſolùm pertinet ad reges, principes, gubernatores ciuitatum, & epiſcopos eccleſiarum, ſed etiam ad patres & matres familiâs. Omnes enim illi manſueti & prudentes eſſe debent, non crudeles in ſubditos, vel inexorabiles, aut faſtuoſi, omnia perturbantes ex ira vel impatientia, domeſticos præcipuè, quos præſtat piè tractare, & ædificare, non opprimere vel vaſtare. Crudele & ſuperbum animal leo eſt, atque tyrannicum, qualem non decet Prælatum eſſe, ſed manſuetum & modeſtum, ad benefaciendum propenſiorem, quàm ad nocendum, ducere potius volentem in ſuam ſententiam, quàm trahere violenter. Suſcipite infirmos, Paulus dicit Theſſalonicenſibus, patientes eſtote ad omnes. Ieſaias quoque:

Væ

Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitias, vt opprimant in iudicio pauperes, & cætera ibidem in hanc ſententiam multa. Non mirandum eſt autem, quòd Sapiens dicit homini, Ne ſis quaſi quidam leo in domo tua. Eſt enim nonnunquam homo deterior leone, alijsq́; beſtijs, quemadmodũ ſapientes apud gentes & Iudæos teſtantur. Sic enim Ariſtot. lib. 7. Ethic. cap 7. ſcribit: μυριαπλάσια γὰρ ἂν κακὰ ποιήσειεν ἄνθρωπος κακὸς θηρίου. hoc eſt: Homo enim ſi prauus ſit, plura infinitis partibus detrimenta & incommoda, quàm fera inferre poteſt. Et Bias: Pernities homini (inquit) quæ maxima? ſolus homo alter. Idem interrogatus (vt Eraſmus refert lib. 7 Apoph) quod eſſet animal omnium maximè noxium? Si de feris, inquit, percontaris, tyrannus: ſi de mitibus, adulator. Sed & Diogenes interrogatus, quæ beſtia morſum haberet nocentiſsimum? Si de feris, inquit, interrogas, obtrectator: ſi de cicuribus, adulator. Nam obtrectator præ ſe fert odium, adulator ſub amici perſona multò etiam lædit grauius. Et Salomon Prouerbiorum 17. Præſtat occurrere virum vrſo orbato, quàm fatuo (obſtinato) in ſtultitia ſua. & 21. Melius eſt habitare in terra deſerta (vbi feræ verſari ſolent, Marci primo) quàm cum muliere rixoſa & iracunda. Et Ioſua filius Syrachi cap 25. Συνοικῆσαι λέοντι καὶ δράκοντι εὐδοκήσω, ἢ ἐνοικῆσαι μετὰ γυναικὸς πονηρᾶς: id eſt, Cum leone malim & dracone

degere, quàm cum mala muliere habitare. Vnde etiam illud prouerbium: ἄνθρωπος ἀνθρώπου λύκος, id eſt, Homo homini lupus. Iudæi idem conqueruntur de Herode, quod plura mala paſsi ſint ab eo, quàm ab vlla beſtia fieri poſſet, ſicut Ioſeph. ſcribit lib. Antiquit. 17. cap. 17. Sed & Dauid Goliathum Pheliſtæum illum incircumciſum, qui contumelijs affecit acies Dei viuentis, non meliorem reputauit, quàm vel leonem, vel vrſum, vt eſt 1. Reg. 17. Demoſthenes inter infauſtiſsimas beſtias quibus Pallas delectetur, populum recenſet, qui peſsimam gratiā referre ſolet optimè de ſe meritis.

Cùm autem alibi leonum ſimiles laudentur, vt iuſtus, Prouerb. 28. Iudas Machabæus, 1. Mac. 3. vt Chriſtus rex Iudæorum, Apoc. 5. & populus eius, Mich. 5. & omnis qui memor eſt accepti beneficij, quemadmodū de leone quodam narratur (ex Apione Grā. vt Eraſmus refert lib. 7. Eccleſ.) qui paſtori pepercit, qui ante aliquot tempus ei ſpinam è pede extraxerat: quæritur cur hîc Eccleſiaſticus moneat, dicens: Noli eſſe ſicut leo? Reſpondemus: quemadmodum in ſerpentibus alijsque beſtijs quædam inſunt, quæ Dominus nos imitari iubet, Matth. 10. ſic in leonibus cæteriſque animantibus quædam inſunt, quæ nos vitare ac fugere decet. In quibus leoni homo ſimilis eſſe non debeat, Sapiens ipſe videtur oſtendere, quum addit: Neue cerebroſus domeſticos contunde, aut

ſubditos

ſubditos opprime. Biß nicht ein wüterich/oder ein wütender polderer (φαντασιοκοπῶν) in vil gegen deinem haußgeſind. id eſt, ne familiæ offeras ſpeciem terroris, inquirendo omnia terribiliter, & ſæuiendo in ipſos. Vnde etiam Eccleſ 33. εἰ ἔστι σοὶ οἰκέτης, ἄγε αὐτὸν ὡς σεαυτόν. Et Agapetus cap.23. Talem te præſta tuos erga famulos, qualem optas erga te Dominum eſſe. Item Paulus Coloſ.3. Viri diligite vxores, & ne ſitis amarulenti aduerſus illas. Et Petrus 1. Pet. 3. Viri ſimiliter cohabitent ſecundum ſcientiam, velut infirmiori vaſi muliebri impartientes honorem, &c.

Non ſolùm autem leonum ſimiles eſſe nō debemus, quò ad crudelitatem & ſæuitiam, verùm etiam quò ad cupiditatem & auaritiam, ſeu rapacitatem, quæ leonibus quoque in Scripturis attribuitur: Naum 2. Pſal.104. Dicit enim Sapiens: Ne manum habeto ad accipiendum porrectam, ad reddendum contractam: qualem habere ſolent auari & ſordidi heri, qui ſuæ familiæ multum quidem laboris & oneris imponũt, parum verò mercedis & cibi apponunt: ſponte accipiunt, & grauatim largiuntur. Ne igitur rapiamus aliena, ſed potius largiamur noſtra. Beatius enim eſt dare, quàm accipere: Actor.20.

Præterea leonum eſt rugire, & vorare, Amos 3. Pſal.22. Ezech. 19. 1. Pet. 5. Inſtar leonum rugiunt, qui vociferantur, clamant, maledicunt, blaſphemant, murmurant. Rectè igitur Paulus 1.Tim.3. vxores ſint μὴ διάβολοι,

& Eph. 4. Omnis amarulentia, & tumor, & ira, & vociferatio, & maledicentia tollatur à vobis cum omni malitia, &c. Inſtar leonum vorãt, qui corda ſua crapula & ebrietate grauant, Luc. 21. ebrioſi operarij, Eccleſ. 19.

3 Cæterùm quid faciendum eſt illi, qui vel leoninam naturam habet, vel coniugem, aut principem leoni ſimilem, cuiuſmodi fuit Nabal, Herodes, Cambyſes, Nero, &c. Orandus Dominus (qui Dauidem, Danielem, Paulum de manu & ore leonum eripuit, 1. Reg. 17. Dan. 6. 2. Tim. 4.) pro ſpiritu (quo Samſon leonẽ vicit & dilacerauit, Iudic. 14.) idque fide (qua occludi poſſunt ora leonũ, Hebr. 11.) & humili animo. Dann des grauſamen Löwen zorn vnd vbermut / vberwindt das hündlin mit demůt. Pater noſter cœleſtis liberet nos à peſsimo iſto leone, qui diabolus eſt, per Chriſtum Ieſum, Amen.

CONCIO XXXIIII.

Eccleſ. 7.

Vxore ſapiente bonaq́ caue ne excidas (ſi quam ſecundum religionẽ Domini nactus es:) nam venuſtas eius præſtantior auro eſt. Ne malè tractes famulum operantem fideliter, nec mercenarium ſe tibi totum impendentẽ. Famulum cordatum

> *tum charum habeas animo, nec defraudes eum libertate. Pecudes ſi tibi fuerint, fac cures eas: & ſi tibi ſunt vtiles, apud te permaneant. Si liberi tibi fuerint, erudias eos, & ceruicem eorum domes à iuuentute. Si filiæ tibi ſint, aſſerues corpus earum, nec vultum tuum oſtendas iſis hilarem. Eloca filiam, & magnum opus peregeris. Cæterùm fac eam viro cordato colloces. Vxorem ex ſententia nactus ne repudies, nec te permittas odioſæ.*

1 Diſcimus ex verbis illis, qualem vxorem ſibi quiſque eligere & accipere, & verò etiam retinere debeat, nempe ſapientem & bonam. Inquit enim, μὴ ἀστόχει γυναικὸς σοφῆς καὶ ἀγαθῆς. So wirſtu es wol treffen/vnd nit fälen. diceriſque εὔστοχος. Sapiens eſt, quæ timet Dominum (vnde Latinus interpres addit, quam ſortitus es in timore Domini .i. quam Domini metuentem nactus es) & ſapientiam .i. Chriſtum, eiusque ſpiritum in ſe habet manentem per fidem. Hæc verò ſapientia inuenitur in Scripturis ſanctis, ac diſcitur ex Dei verbo, & comparatur precibus fidei à Deo, 2. Tim. 3. Pſalm. 119. Iacob 1. Bona vel proba mulier eſt, quæ à Deo bona reddita, ex bono theſauro cordis ſui depromit bona, virtuoſa, honeſta, ἀγαθὴ καὶ ἀγαθοποιοῦσα, edens fructum ſpiritus, ἀγαθωσύνην,

non rixoſa, iracunda, mala. Quæ talis eſt & eiuſmodi virtutibus ornata, nobilior exiſtit, & gratior eſt viro omni auro: quod nullo modo ſic eſt expetendum, vt ſpiritus ſapientiæ, vt ſpiritus placidus & quietus. Duo ergo commendat in vxore, prudentiam & bonitatem: quæ efficiunt vt ea & ſciat, & velit cum marito, liberis totaque familia rectè viuere. Bonitas vel probitas ad volũtatem ac fidem pertinet: ſapientia verò ad ingenium & induſtriam.

2 Diſcimus etiam qualiter paterfamiliâs ſe gerere debeat erga ſuam domum .i. ea quæ habet in domo, ſeu familia ſua. Si enim habet ſeruum bonum, in veritate operantẽ, aut mercenarium fidelem, dantem animam ſuam (propter quos ſeruos Dominus ſæpe benedicit patresfamiliâs, vt propter Iacob, Ioſeph, &c.) æquitatem illi exhibeat, Col. 4. non malè tractet illum, neque affligat conuitijs, verberibus, mercedis fraudatione aut dilatione: neque illum in ſuo obſequio inuitum detineat vltra tempus à lege præfixum, Exod. 21. Deut. 15. ſed libertate donet, nec ſine munere dimittat.

Si habet pecora, curet & inſpiciat ea, Prouerb. 12. & 27. Exod. 20. Deut. 25. non maledicat illis, vt nunc vulgò fit: & attendat illis, quid ipſi facto opus ſit de illis, vendenda ne ſint, an ſeruanda. Et ſi ſenſerit ea ſibi vtilia eſſe carne, pelle, fimo, lacte & prole, apud ipſum perſeuerent. Talis enim olim patriar-

charum prouentus erat, atque iuſta ſubſtantia, & vtilis vehementer ad familiæ ſuſtentationem ampliſsimæ. Intelligi quidem moraliter poteſt de prælatis & paſtoribus eccleſiaſticis commodè: ſed hæc literalis inſtructio minimè eſt aſpernanda. Non.n. honeſtior eſt victus, quàm ex animalibus & agricultura, quibus ſe maiores honeſtè & felicius nutrierũt & quietius. vult autem dominum pecuarium eam curam ac diligentiam adhibere, vt pecus ſuum ſæpe inſpiciat. Nam oculus domini equum impinguat.

Si habet natos, Dei beneficio acceptos, erudiat illos in literatura ac moribus, idque vel per ſeipſum, vel per alios: iuxta Apoſtolum, Epheſ. 6. Patres educate filios veſtros in diſciplina & timore Domini. Obligantur enim parentes proli alimentum, doctrinam, & diſciplinam, ſiue caſtigationem: de qua ſequitur: Curua ſeu flecte collum eorum, id eſt, reprime illorum affectus & paſſiones à pueritia illorum, cùm adhuc ſunt ductiles, teneri, & dociles: ſicut ramus tener facilè curuatur, non autem poſtquam induratur & fortificatur. Vnde Salomon: Noli ſubtrahere à puero diſciplinam, tu virga percutis eum, & animá eius de inferno liberabis. & alibi: Stulitia colligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ fugabit eam.

Si vxorem ex animi ſententia vel ſecundum animam .i. voluntatem habet, non eijciat, non expellat, non repudiet illam (lo-

quitur veteri & Iudaico more: nam ex lege Hebræis duriſsimæ ceruicis hominibus permittebatur libellus repudij, Deut. 24. Matt. 19.) nec facilè credat de illa malè loquentibus, ne animo ſuo auertatur ab ea, vel proijciat eam: ſed potius diligat, iuxta Apoſtolū dicentem, Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus eccleſiam, &c. vel, Odibili non credas, tradas, aut committas te in toto corde. h. e. Mulieri inſtabili, peruerſæ, aſtutæ, & blandæ, quam aliquando perfidam ſenſiſti, non vnquam ſic confidas, vt ei reueles occulta tua, quòd ægrè communiter ſecreta ſeruēt pro loquacitate ſua, ne tibi quod Samſoni contingat ex Dalila. item Fuluio ex Martia, cuius Eraſmus meminit in lib. de Lingua. Et Michæas inquit: Ab ea quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui. Sed & ſapiens Prouerb. 31. dicit, Quæſo te fili vteri mei, fili exoptatiſsime, ne da mulieribus opes tuas, & vias tuas: perdunt enim reges. Cato ſenior tria per omnem vitam accidiſſe dixit, quorum pœnituiſſet: primum, ſi quid arcani fœminæ credidiſſet: ſecundum, ſi quopiam nauigio vectus eſſet, quò pedeſtri itinere peruenire licuiſſet: tertium, ſi quis dies ipſi per negligentiam abſque fructu effluxiſſet.

5 Cæterùm de filiabus ſingulare dat præceptum: quoniam ille ſexus eſt leuior atque laſciuior. Inquit igitur: Si tibi filiæ ſunt, obſeruato earum corpus, nec eis hilarem vultum præbeto, de quo plura Sapiens cap. 26. 30. 42.

36.42. Non enim eſt permittenda filiab. euagationis licentia, ne ex pudicitia periclitentur, ad exemplum Dinę, quam Dei prouidentia idcircò fœdari permiſit, vt cunctis fidelnũ filiabus duraret in exemplum. Seruandum ſumma diligentia corpus filiæ eſt, ne publicis permittatur ſpectaculis, multò diligentius ne priuatis cõuenticulis illi illudatur. Lubrica eſt enim fama pudoris. Maturitate, ſeueritatẽ ac grauitate aũt opus eſt parentũ in filias, maximè verò patris. Ideo dicitur: Non oſtendas faciem hilarem ad illas, ne fiduciam peccandi, vel audaciam corripiant, ne aſſueſcant ad viros aſſici, ne ſine parentum ſcitu digrediantur domo, ſemper ſint in timore & ſolicitudine, omnia etiam tuta vereantur, timeant ſemper patrem, & diffamiæ omnis notas abhorreant ſemper: ſunt tamen moderato rigore tractandæ, nec non ſuo tempore elocandæ. Ait enim: ἔκδȣ, gib auß. Trade filiam (nõ enim decet filiam nubere præter parentum voluntatem) & grande opus feceris (& bonum, 1. Cor. 7. vnde ſpes ſit procreandæ prolis religioſæ & honeſtæ: eſt ergo hoc opus non leuiter & ſine deliberatione agendum) & homini (non cuilibet, ſed) ſenſato, ſeu viro prudenti, Συνετῷ, da illam: (δώρησαι ἀυτὴν .i. muneri dato eam. eſt enim puella optimis prædita moribus præſtantiſsimum donum, quod viro alicui offerri poſſit) prudenti inquam, qui nimirum prudenter & ſtrenuè rei familiari incũbere nouerit.

etiamſi diuitiæ abſint, iuxta illud Themiſtoclis, de quo Cicero. 2. Off. Malo filiæ meæ virum, abſq; pecunia, vel qui egeat pecunia, quàm pecuniam quæ egeat viro. Ad mores & prudentiam in his reſpiciendum eſt magis quàm ad opes, vel genus, vt Marcus Antonius Imperator, non qui longam generis ſeriem præferrent, aut qui opes nimias oſtentarent: ſed qui morum probitate atque modeſtia, vitæque innocentia præcellerent, eos ſibi generos deligendos putauit. vnde & Salamon Prouerb. 11. ait: Mulier gratæ (conuerſationis) retinet gloriam: improbi autem apprehendunt diuitias. Hoc eſt, mulier quæ gratia prædita eſt, vel propter probitatem vitæ omnibus grata eſt, relinquit poſt ſe nomẽ glorioſum: & qui in ducenda vxore magis ſpectant ad diuitias, quàm ad probitatem vitę, nebulones ſunt. Id enim ſignificat עריצים Et Prouer. 16. Poſsidere ſapientiam, melius eſt, quàm habere aurum: & poſsidere intelligentiam, magis eſt eligendum, quàm (habere) argentum. Quanquam expediat connubia fieri inter perſonas non multum diſpares, iuxta illud Pitaci Mitylenæi: Aequalem ducito. Quantis ebuccinarent verbis, qui cœlibatum tantopere euehunt, ſi de turpi eorum munditia tale præceptum haberẽt ex Scripturis, quale hìc de matrimonio legunt, iteratum poſt verbum Dei, à conſtituto mundo prolatum. Noſtrum autem eſt, qui ſcimus ſtatum matrimonij à Deo inſtitutum,

tutum,qui & corporum & animarum noſtrã rum eſt conditor, vt eundem in Deo & ſecũdum Deum teneamus,& in eo collocati,piè, iuſtè & ſobriè viuamus, vt Dominus Deus hîc & in futuro ſeculo benedictionem ſuam nobis largiatur per Chriſtum Ieſum: cui ſit honor & gloria in ſempiternum, Amen.

CONCIO XXXIIII.
Eccleſ. 9.

Vxorem quam complecteris, ne proſequaris zelotypia, nec eã malam in te artẽ doceas. Nec permittas animum tuum mulieri adeò, vt peſſundet poteſtatem tuam, (tuq; dedecus incurras) Mulieri meretrici ne te des obuiam, ne fortè in laqueos eius incidas. Cantatricem mulierem ne frequentes (nec audias) ne fortè conatibus eius capiaris. Ne contempleris virginem, vt ne noxam ex precioſo ipſius cultu contrahas. Ne appellas animum tuum ad meretrices, ne perdas (te ſimul &) tuam poſſeſsionem. In vicis vrbis ne circumſpectes, nec in ſecretis eius locis oberres. A muliere formoſa auertas oculos, nec contempleris pulchritudinem alie-

nam. Nam multi forma mulierum ſeducti ſunt, & amor ex ea in modum ignis exardeſcit. Apud mulierem maritatam ne ſedeas omnino, nec inter vlnas eius recumbas, néue committas cum ea compotandi gratia ſymbolum, vt ne fortè ad eam inclinet animus tuus, & affectu tuo prolabaris in pernitiem.

1 Docet Ieſus Syracides his ſententijs primùm, quomodo vir ſe gerere debeat erga ſuam vxorem: dein quomodo erga alias mulieres, ſiue ſint meretrices, ſiue virgines, ſiue maritatæ. Eſtque hæc doctrina noſtris temporibus valde vtilis & neceſſaria. Prædixit enim Chriſtus, Luc. 17. quòd ſic erit in diebus filij hominis (.i. poſtremis, qui nunc ſunt) ſicut accidit in diebus Noe: nam edebant, bibebant, vxores ducebant, &c. Item videntes filij Dei (vt Moſes teſtatur Geneſis 6.) filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus quas elegerant.

2 Dicit autem Sapiens: Ne zeles mulierem ſinus tui) i. amor vxoris non ſit nimius: in ſinu tuo quieſcentem non ames amore zelotypo, vt iugiter timeas ab ipſa te minus amari, amari autem & ab alijs, propter quod & eam arctius quàm par ſit, ſolicitè cuſtodias: non ſis nimium ſuſpicioſus de caſtitate vxoris propriæ. Ratio: ne oſtendat ſuper te ma-

te malitiam doctrinæ nequam:) vel vt Lutherus vertit: **Dann ſolch hart auffſehen bringt nichts guts.** h.e. ne malis artibus tibi inſidiari incipiat, & nouiſsima illius experiaris amara quaſi abſynthium: ne exerceat contra te artificium muliebre nequam, edocta ab improbis. Etenim ſi proba eſt, nimium arceri non debet: ſi improba, cuſtodiri non poterit, proficiet potius de malo in peius, dicente Hieronymo: Quid prodeſt diligens cuſtodia, quum vxor ſeruari impudica non poſsit, pudica non debeat? Infida enim cuſtos caſtitatis eſt neceſsitas: & illa verè pudica dicenda eſt, cui licuit peccare, ſed noluit. Huc & illud Germanorum pertinet: **Oder es hilfft nicht/ oder es darff ſich nicht.** Adde quòd zelus, ſicut iracundia & triſtitia minuunt dies, & ante tempus ſenectam adducit cura, Eccleſ. 30. Vulgus quoque non impropriè hunc affectum geloſiam vocat, quod animum aſsiduò metu territet adeò, vt continua ſuſpicionum recurſatione gelu quodam ſanguis ipſe conſcreſcat (teſte Iouiano lib. 3. de Obed. 6.) quæ ſolicitudo quanquam multarum in ſe habeat diſcordiarum ſemina, raroque gratia in illa eſſe domo poteſt, in qua radices altiores egerit: origo tamen eius ab amore eſt, qui metu ac ſuſpicione victus, diffidensque ac pauitans, & nunc dolore, nunc ira percitus, mentem adeò perturbat, & animum concutit, vt eius ferri vix poſsit impotentia. Quocirca fugiendus eſt is animi morbus, & ſolicitudi-

nis plena perturbatio: quæ vbi vehementior eſt, quàm proximè accedit ad inſaniã, &c.

Fertur Nicolaitarum hæreſis, à quodã Nicolao Antiocheno proſelyto, qui fuit vnus ex ſeptem diaconis, quorum Acto. 6. mentio fit, initium ſumpſiſſe, idque praua quadam æmulatione. Qua de re Clemens Stratoni. lib. 3. ſic ſcribit: Cum formoſam haberet vxorem, & poſt Seruatoris aſſumptionem ei fuiſſet ab Apoſtolis exprobrata zelotypia, in medium adducta muliere, permiſit cui vellet nubere. Aiunt .n. hanc actionem illi voci conſentaneam: quæ dicit, quòd carne vti oporteat: eiusque factum & dictum abſolutè & inconſideratè ſequentes, qui eius hęreſim perſequuntur, impudenter effuſeque fornicantur, &c. Quãta mala ex zelotypia oriãtur, duo iſta exempla probant quoque, quæ Hieronymus Vuellerus recenſet in libello de officio Eccleſiaſtico, polit. & œcon. vbi agit de officio coniugis.

Vt autem vxor propria non eſt nimis artanda, ita nec nimis laxanda, ideo ſubditur: Non des mulieri poteſtatem animæ tuæ) .i. non ſinas mulierem in te dominari, vel autoritatem vſurpare, vt Paulus loquitur, 1. Timot. 2. Vir enim caput eſt mulieris. Sub viri, Dominus inquit Gen. 3. poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.

Ne ingrediatur in virtute tua) vel, ne ipſa ſupra vires aſcendat tuas, id eſt, ne virtutem tuam blanditijs ſuis emolliat, ne virtutem in te ſuam

te ſuam vſurpet, ne tecum conuerſetur vt domina, vſurpans ſibi quod eſt mariti. Præcipit hæc ſententia moderationem ac temperantiam in amanda coniuge: nam ſi amor viri in vxorem eſt vehementior, ita inuertit ordinem naturæ, vt mulier quæ ὑπανδρος, hoc eſt ſubiecta viro, eſſe debebat, eum ſibi ſubijciat, atq; inde exiſtat γυναικοκρατεία imperium muliebre contra ordinationem Dei occupatum. Quare beneuolentia debita quam præcipit Paulus 1. Cor. 7. vxori tribuenda eſt, nō ea amoris vehementia atq; impotentia, qua vir in poteſtatem eius redigatur.

Vnde & confundaris) vt effœminatus, exemplo Samſonis: de quo Ambroſius, Samſon validus & fortis leonem ſuffocauit, ſed amorem ſuum ſuffocare non potuit: vincula rupit hoſtium, ſed ſuarum non ſoluit nexus cupiditatum: meſſes incendit alienas, ſed vnius ipſe mulieris accenſus igniculo meſſem ſuæ virtutis amiſit.

Cæterùm ex his etiam vxor intelligere poteſt, quomodo ſe erga maritum gerere debeat, nempe etiam abſtinere à zelo ſeu obtrectatione: item ſubdita eſſe, & non ἀυθεντεῖν ἀνδρός.

3 Sequentes ſententiæ monent vitandas eſſe occaſiones libidinum, & fugiendam eſſe ſcortationem. Non enim ideo licet impunè ſcortari, quia non licet zelare. Inquit igitur,

Ne reſpicias mulierem multiuolam) quæ nunc hunc cupit, nunc aliũ: vel, ne occurrito mulieri meretricanti, qualem deſcribit Sapiens Prou. 7.

Ne fortè incidas in laqueos illius) id eſt, fraudibus & concupiſcentijs capiaris, per ſigna laſciuiæ tibi oſtenſa. Inuenit enim Eccleſiaſtes mulierem amariorem morte, & quod laqueus eſt venatoris, & ſagena cor eius, & vincula ſunt manus eius. vnde & Diogenes, animaduertens Olympionicem quendam oculos defigere in ſcortum, adeò vt præteritum capite reflexo intueretur: Ecce vt, inquit, aries Martius à puella publica, obtorto collo vinctus abducitur. Ridiculum exiſtimabat, certare cum electis viris, & à vili puella veluti captiuum trahi ſine funibus. Rectius igitur Alexander Magnus, quum inuitaretur vt Darij filias quas habebat captiuas inuiſeret: prædicabantur .n. puellæ admirabili eſſe forma, noluit ire, dicens, ſibi non committendum, vt quum viros viciſſet, à mulieribus vinceretur.

Cum ſaltatrice ne aſsiduus ſis: nec audias illam, ne fortè pereas in efficacia illius) vel, vt Græcus habet: μὲν ψαλλούσης μὴ ἐνδελέχιζε, μή ποτε ἁλῷς ἐν τοῖς ἐπιχειρήμασιν αὐτῆς. Saltatricem vocat (inquit Pellicanus) cum laſciuia & petulanter ſtudioseque choreis aſſuetam, huiuſmodi vitandam ac fugiendam docet: geſtu enim, aſpectu & tactu, alloquio & cantu prouocat ad libidinem. Tali Herodiadis filia captus eſt improbus alioqui rex Herodes, vt Baptiſtam Ioannem decollari præceperit. Sara autem Tobiæ iunioris vxor: Tu, inquit, ſcis Domine, quòd nunquam concupui vi-

ui virum, & mundam ſeruaui animam ab omni concupiſcentia: nunquam cum ludentibus miſcui me, nec cum his qui in leuitate ambulant, participem me præbui.

Nec audias illam, procaciter & inuerecundè cantillantem, vel inhoneſtè alloquẽtem, vocis modulatione efficaci ludentem ad perdendum animas. Aſpectu enim & apparatu blando alliciunt, & inſipientium corda fœdis concupiſcentijs vulnerant ac ſubuertũt. Significat omnes voluptatum illecebras (etiam aurium) quibus homines ad aliquod flagitium deduci poſſunt, fugiendas eſſe.

Virginem ne conſpicias, ne fortè ſcandalizeris in decore illius).i. non ſolùm meretricem fugere debes, ſed nec adoleſcentulam incautè ac moroſe aſpicere ad concupiſcendum eam, ne ex formæ pulchritudine illicito accendaris amore, exemplo Dauidis: ſed magis ſancti Iobi pudicitiam æmulare, dicentis cap. 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de virgine. Etiamſi matrimonium ambiat ſacrum vir quiſpiam, nõ ex decore metietur virginem deligendam, ſed ex pudicitia & verecundia. Vide ſuprà Concionem III.

Ne des fornicarijs animam tuam in vllo, ne perdas te & hæreditatem tuam) .i. Non conſentias aliquatenus libidinoſis fœminis alteris, vel meretricibus in amore Venereo. Nam vt in Prou. eſt cap. 5. Mulier huius modi precioſam viri animam rapit: Ne ſimul

multa incidas incommoda. primùm peccando in corpus: ſecundò animam necando: tertiò, opes annihilando. Qui.n. nutrit ſcortum, perdet ſubſtantiam, exemplo prodigi filij. Luc. 15. qui diſsipauit ſubſtátiam ſuam cum meretricibus viuendo luxurioſè.

Noli circumſpicere in vicis ciuitatis, ne oberraueris in plateis illius) vel ne per eius infrequentia loca vagare. Effugere peccata non poteſt, qui peccandi occaſionem non fugit, quas oculus incautior abundè ſuppeditat, ſecundum Auguſtinum: Impudicus oculus impudici cordis eſt nuncius. Plateas vrbium peruagare qui diligit, facilè per inordinatos appetitus aberrabit. Si Dina manſiſſet domi, non fuiſſet vitiata à Sichem, Geneſ. 34. Præſtat diſciplinam & verecundiam ſeruare in viſu. Sunt enim ſecundum Senecam oculi irritamenta vitiorum, duces ſcelerum: huic miniſtrant oculi adulterium, huic domum, quam concupiſcat. Nam ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίνεται τὸ ἐρᾶν. Vnde & vetus ille Hebræus: Aſpectus (inquit) oculi, initium eſt præuaricationis. Oculus enim videt, & cor concupiſcit: atque inſtrumenta operis (intellige corporis membra) perficiunt. Hinc Democritus ſibi ipſi oculos eruiſſe ſcribitur. Hinc ipſe quoque Homerus humanioris literaturæ parens, cæcus eſt. Itaque auerte potius oculos, ne videant vanitatem: quemadmodum ſequitur:

Auerte faciem tuam à muliere compta, &

ne

ne circumſpicias ſpeciem alienam) .i. curioſè ornatam fœminam non inſpicias, ne affectu inhoneſto alliciaris: limoſi.n. ſunt oculi, citò adhæret eis ſpecies mulieris. A minimis peccatis prudenter abſtinere iubet, ne paulatim incidamus in maiora, Eccleſ. 19. Pſal.127. Ideo etiam Chriſtus monet Matt.5. (vbi prȩceptum de adulterio exponit) & dicit: Quòd ſi oculus tuus dexter obſtaculo tibi fuerit, erue illum, &c. At quod de ſcortatione & adulterio dicitur, in alijs quoq; peccatis locum habet: neque alius ſenſus eſt ad mouendos affectus efficacior, quàm viſus, ſi ei vel modicum indulgeas. vt enim lupus viſa oue in rabiem accenditur, ſic auarum pecuniæ & opum conſpectus, inuidum alienæ felicitatis ſplendor, iracundum hoſtis viſus commouet, vt abrupto rationis fræno in ſcelus ruant. Et Plato hanc vim oculorum ad amandum ſignificauit, quum ſapientiam dixit, ſi oculis cerneretur, mirabiles ſui amores excitaturam.

Propter ſpeciem mulieris multi perierũt, & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit) Sola naturali pulchritudine, & humani corporis corrupta libidine ſatis prouocat mulier viri appetitum, vt Sara, Geneſ.12. Suſanna, Dan.13. Bethſaba, 2. Reg. 11. ideo decori ingenito ſuperaddere fucum, veſtiumque ornatum, prorſus iniquum & inſolens eſt. Ideo Petrus præcipit 1. Pet.3. Quarum ornatus ſit non externus, qui ſitus eſt in plicatura

capillorum,& additione auri,aut in palliorũ amictu. Perijt ob mulieris ſpeciem Amnon, Salomon,Dauid,Sichem,Olofernes.Ex hoc ergo mulieris malo concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit. Vt enim ignis lignorũ ſtrue excreſcit,ſubtractioneque decreſcit:ſic luxuria per compturas & ſenſuum inordinatos motus: quib. ſubtractis, paulatim decreſcit. De hoc igne dicitur Iob 31.Ignis eſt vſque ad conſumptionem deuorans. Et Tractat.2.Cypriani de habitu virginum: Omnia licẽt, ſed non omnia expediunt,non omnia ędificant. Cæterùm ſi tu te ſumptuoſiùs comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuuentutis illicias,ſuſpiria adoleſcẽtum poſt te trahas, concupiſcendi libidinem nutrias, peccandi fomenta ſuccendas:vt etſi ipſa non pereas,alios tamen perdas, & velut gladium & venenum videntib. præbeas,excuſari non potes,quaſi mente caſta ſis & pudica. Redarguit te cultus improbus & impudicus ornatus, nec computari iam potes inter puellas & virgines Chriſti, quæ ſic viuis,vt poſsis adamari. Pambus (vt refert lib.7. Eccleſ. Hiſtor. Tripar.cap.1.) Athanaſio epiſcopo precante, ab eremo deſcendit in Alexandriam. Cumque vidiſſet ibi mulierem Theatralem, fleuit:& à præſentibus rogatus quare ploraret? Duæ,inquit,me res mouerunt,vna quæ eſt illius perditio:altera verò, quòd ego non tantum ſtudeo placere Deo, quantum hæc vt turpibus placere poſsit hominibus.

Cum

Cum aliena muliere non ſedeas omnino, nec accumbas cum ea ſuper cubitum, & non alterceris cum illa in vino, ne fortè declinet cor tuum in illam, & ſanguine tuo labaris in perditionem) Præſentius remedium (vt Pellicanus ait) contra libidines, ſtupra & impurum cœlibatum excogitari & præſtari non potuit, quàm quod naturæ humanæ creator & inſtaurator præcepit & inſtituit, matrimonij ſacramentum, quo ſolo carnis incentiua reformantur, ordinantur & ſanctificantur, 1. Corinth. 7. vt cum aliena muliere ſedere nec liceat, nec libeat, hoc eſt, cupiditatum occaſiones perquirere vel ſectari. Sic vt apud ethnicos probatiores, non licuerit viros pariter cum mulieribus cœnam ſumere. Quod intelligi videtur per id quod hic ſubiungitur: Nec accumbas cum ea ſuper cubitum, id eſt, non comedas pariter maiorum more diſcumbens. Non præſumas ad æquales potus vinum bibere cum muliere, vel amicitiæ hilaritatiſque gratia vnà bibere vinum.

Patriarcharum vxores ſeorſim cum ancillis & filijs in proprijs habitabant tabernaculis, vt patet in Geneſi. Ne fortè duplici fomento libidinis tentatus, vino & familiaritate, cum vicinitate loci cor tuum præter decorum in illam declinet, ne vel conſenſu turpi animus maculetur, quem opportunitas protrudat in actum, vnde prodeat effuſio ſanguinis, vitæ pernicies & occaſus.

Legitur de Zenone Cittieo, quòd ipſe ſimul & Cleanthes aſſedederint Chæremonidæ. At ille quum ſentiret affectum amoris, ſurrexit. Hoc admirante Cleanthe, etiam à bonis, inquit, medicis audio, aduerſus inflationes optimum eſſe remedium quietem. Subduxit ſe vir integerrimus imminenti periculo. Filius caſtiſsimæ virginis, autorque vitæ ac optimus medicus Ieſus Chriſtus ſanctificet corda noſtra, & auertat oculos noſtros, ne videant vanitatem, & illuminet mentes noſtras, vt cernant veritatem, quæ nos verè liberos reddat, & in nobis regem, vinum, & mulieres vincat, Amen.

CONCIO XXXV.

Eccleſ. 19.

OPerarius ebrioſus non diteſcet, & paulatim ſublabetur, qui ſpernit exigua. Vinum & mulieres etiã cordatos auferunt (ſugillantq́ ſapientes:) & qui conſueſcit meretricibus, euadit confidentior. Caries & vermes occupabunt eum, & anima confidens auferetur (grauiq́ ſupplicio contabeſcet.)

1 Duo grauiſsimi morbi iam paſsim graſſantur, quos ſanare vult Sapiens his verbis. Alter vocatur Ebrietas, alter Fornicatio.

Quando

Quando enim recenſet mala & calamitates, quæ oriuntur ex his vitijs, animique morbis, quid aliud facit, quàm quòd ab ijs nos deterrere cupit? Eſſe autem hos morbos ſanabiles, plurimorum exemplis probari poteſt, quorum memorabile eſt illud Iſæi ſophiſtæ Aſſyrij. Is etenim quum primam ætatem dicaſſet voluptatibus, ſimul vt ad virilem peruenit, velut alius ſubitò factus miram induit morum ſeueritatem. Itaque percontanti cuidam, num illa, fœminam oſtendens, videretur formoſa? πέπαυμαι, inquit, ὀφθαλμιῶν id eſt, deſij laborare ab oculis. Ab altero quopiam interrogatus, quis piſcis, aut quæ auis eſſet ad veſcendum ſuauiſsima? πέπαυμαι, inquit, ταῦτα σπουδάζων, id eſt, iſta curare deſij. Et adiecit, συνῆκα γὰρ τοὺς Ταντάλου κήπους τρυγῶν, id eſt, ſenſi enim me à Tantali hortis fructus colligere. ſubindicans omnes eiuſmodi voluptates, quibus iuuentus capitur, nihil aliud eſſe quàm vmbras ac ſomnia, qualia de Tantalo fabulantur Poëtæ.

2 Ab ebrietate igitur cur abſtinendum? Quia, inquit, operarius ebrioſus non locupletabitur. i. ebrietas non ſolùm nocet corpori, famæ, animæ, idque hìc & in futuro ſeculo: ſed etiam bonis fortunæ, etiamſi hoc vitio deditus iuxta multum laboret ac operetur. Etenim per ebrietatem lucrum conſumit: & verò etiam dum ebrietati indulget, ab opere & labore impeditur neceſſariò. Multò autem grauius periclitatur, qui non eſt o-

perarius,ſed ocioſus & vino indulget. Sic & Salomon Prouerb.21. Qui inquit,diligit epulas,in egeſtate erit: qui amat vinum & pinguia,non ditabitur. & Prouerb.23. Noli eſſe in conuiuijs potatorum, nec in commeſſationibus eorum qui carnes ad veſcendum conferunt:quia vacantes potibus, & commeſſatores conſumentur: & veſtietur pannis dormitatio. Exemplo eſt acolaſtus, Lucæ capite decimoquinto. Idem tamen ad frugem bonam euaſit.

Deinde addit: Qui ſpernit modica,paulatim cadit. Et hoc dupliciter intelligi poteſt: primum ſic, vt ſit dictum contra prodigos, qui modica non æquè diligenter curant & colligunt, atque magna,quique non tollunt fragmenta iuxta illud Chriſti,Ioann.6. *Συναγάγετε τὰ περισσεύσαντα κλάσματα, ἵνα μή τι ἀπόληται.* Dein vt ſit dictum aduerſus contemptores exiguorum ſeu leuium peccatorum, quæ ſi nollemus propter ſe ipſa fugere,tamen fugere deberemus propter ea,quę ex his naſcuntur, vt ex ebrietate naſcitur *ἀσωτία*, Epheſ. 5. luſus, 1.Corinth. 10. inceſtus, Geneſ.19. cædes,&c. Gregorius dicit: Si curare parua negligimus inſenſibiliter ſeducti, audacter maiora perpetramus. Qui autem ſoluerit, ait Chriſtus Dominus Matth. 5. vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. Rectè igitur Locrenſis Zancleus (vt & Pittacus Mitylenæus) ebrios, ſi ob delicta & malefi-

cia

cia in ius vocabantur, & ebrietatem excuſabant, excuſationem non recipiebat: ſed duplici pœna eos dignos iudicabat, tùm quòd ebrietatem intemperãtia ſibi contraxiſſent, tum quòd per ebrietatem deliquiſſent. Hæc ſententia in Olynthiacis à Demoſthene eſt illuſtrata ſimilitudine rerum domeſticarum & humanorum corporum, in quibus parua incommoda initio accepta & neglecta, maximam poſtea calamitatem afferunt. In ædificijs parua domus vitia neglecta magnam ſæpe ruinam trahunt, in corporibus exiguæ morborum offenſiones aut occultæ aut neglectæ, maxima vi tandem erumpunt, ipſumque hominem opprimunt. Idem accidit in re familiari, in qua parua damna detrimentaq; in principio neglecta diſsipationem patrimonij attulerunt.

Tertiò ab immoderato vſu vini abſtinendum, quia vinum apoſtatare facit, ſiue deprauat ſapientes, Er verzuckt/verſetzt/oder bethört ſy/ & arguit, id eſt, arguendos facit ſenſatos. Aufert enim cor, vt Hoſeas 4. ait cap. & grauat cor (quod ſedes ſapientiæ dicitur) quemadmodum Chriſtus Ieſus teſtatur, Luc. 21. Proinde gentiles, vt turpitudinem ebrietatis quodammodò demonſtrarent, Bacchum, ab incondita ebriorum voce iſto nomine denotarunt. Fingunt enim nudum, propter impudentiam: nam ebrioſos deſerit pudor: vel propter paupertatẽ, quòd ebrietatis ſtudioſi ad inopiam redigantur.

Affingunt illi cornua, propter ferociam & inſaniam ebriorum. Comites eius recenſent Satyros, Silenos, Salios, Priapos, Senidas, Phallos, &c. Pythagoras quoque, ſicut & Anacharſis, interrogatus, quomodo quis fugere ac euitare poſſet ebrietatem? reſpondit: Si frequenter tecum in animo volueris & reuolueris, quæ ebrius facis, vel inſpexeris ea, quæ alij ebrij faciunt. Plato temulentiæ deditis ſuadebat, vt poti ad ſpeculum ſeſe contemplarentur, ita fore, vt ab eo vitio recederent, conſpecta fœditate. Perpendat quis etiam illa verba, quæ manus adpinxit parieti in conuiuio Balthaſaris, Dan. 5. & congnoſcet, ebrietatem nos priuare omnibus virtutibus: quas ſi Deus velit numerare, nullas reperiet in ebrio. Wenn wein eingeht / ſo geht witz auß. Si velit ebrium probare impoſitum libræ, nullam inueniet grauitatem, quæ vel minimum faciat momentum Chriſtiano dignum, ſonder wirt als ein Böſſwicht erfunden. Regnum cœleſte ab illo ſeiungitur, & ſobrietatis candidatis attribuitur. Deniq; magnæ ſunt vires vini, vt eſt 3. Eſd. 3. imò ignea vis vini, teſte Baſilio, quamprimum corpore humano fuerit immoderatius recepta, incendit ignita diaboli iacula. Nam vinum rationem & mentem demergit: at cupiditates & voluptates non ſecus ac oleum flammam, inflammat. Vnde non rarò in ſcripturis hæc duo peccata coniunguntur, videl. ebrietas & ſcortatio: vt Hoſe. 4. Prouerb. 23. Rom. 13. Gal. 5.

Gal.5.& hoc loco. Dicit enim Siracides: Vinum & mulieres deprauant prudentes, confutantque cordatos. Indicauit & Anacharſis vinū adimere homini rectum iudicium. Quidam enim (vt refert Athenæus lib. 9.) in conuiuio videns vxorem illius, vxorem, inquit, deformem duxiſti Anacharſi. Hic Anacharſis, Prorſus ita mihi videtur, inquit, ſed heus puer infunde mihi meracius, vt eam reddam formoſam.

3 Primum ergo eadem de cauſa cauendum à ſcortatione & ſeruitute mulierum, qua ab ipſa ebrietate. Quemadmodum enim vini, ſic etiam mulierum immoderatus vſus & amor, ipſos quoque qui fuerant ſapientes, decipit, & à Deo auertit. Scimus quid per mulieres acciderit Adamo, Lotho, Samſoni, Dauidi, Iobo, Petro, &c. De Salomone legitur 3. Reg. 11. Et auerterunt mulieres cor eius. Cumque eſſet ſenex, deprauatum eſt cor eius per mulieres, vt ſequeretur deos alienos. Si hoc Salomoni accidit, regi tanta ſapientia à Deo (qui ſecundò ei apparuit) ornato, vt vniuerſa terra deſiderarit vultum eius, vt audiret ſapiētiam eius: quid putamus alijs hominibus non tam ſapientibus, tum accidiſſe, tum accidere poſſe? Non enim temerè dixit Zorobabel, 3. Eſdr. 4. Multi propter mulieres mente alienati ſunt, multi ſerui facti, multi perierunt, multi propter fœminas lapſi peccauerunt. Crates Thebanus dicebat, mœchos tragicos præmia referre exi-

lia ac cædes: comicos ſcortatores ex luxu & temulentia lucrifacere inſaniam.

Secundo igitur loco Sapiens dicit: Qui meretricibus hæret, ſeu fornicarijs ſe iungit, erit nequam: vel, eſt nequior. Nam per fornicationem trahitur ad alia nequiora: ſicut Salomon fuit tractus per mulieres ad ſequenda idola.i. tandem peruenit ad ſpiritualem ſcortationem: quemadmodum & Iſraelitæ, Num. 25. Ita Dauid de adulterio deſcendit ad homicidium. Alij pro πονηρότερος legunt τολμηρότερος ἔςι): temerarior erit: Germani vertunt: wirdt fräuel vnd wild. Diſcet laſciuiam, procacitatem, & omnem inhoneſtatem ab illis, ſcil. πόρναις, qui ſe illis ſociat (Hæc perpendant, qui lupanaria defendunt) Ideo Paulus monet: Non commiſceamini fornicarijs: & nolite iugum ducere cum infidelibus. 1. Corinth. 5. 2. Corin. 6.

Tertiò addit, Putredo & vermes hæreditabunt, vel obtinebunt illum.i. loco mercedis accipiet atq; ſibi acquiret morbum Gallicum, pediculos & cæteros morbos mendicorum, vt Luther. exponit. Atque ſic abbreuiabit ſuam vitam: variè .n. periclitabitur ebrietate & ſodalitio criminoſorum, vt ante tempus & præmatura morte intercipiendus & infeliciter occidendus; futurus proximè putredo & vermis: ſed & gehennæ fœtores, & conſcientiæ perpetuum vermem, qui nunquam moritur, experietur (niſi reſipuerit) qui nunc dum viuit fœtore & corruptione

luxuriæ delectatur. Non .n. fruſtrà ſcriptum eſt Pro.10. Anni impiorum breuiabuntur. & Eccleſ.7. Humilia valde animam tuam, memento iram non tardaturam: quoniam vindicta impij, ignis & vermis. Et Heb.13. Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Item hoc loco: Homo temerarius tolletur, grauique ſupplicio contabeſcet: idque alijs in exemplum, ad terrendum non ſolùm minores, ſed etiam maiores. Sic.n. vetus interpres legit: Et extolletur in exemplum maius, & tolletur de numero anima eius. Extolletur) .i. extra conſortium bonorum tolletur. Græcus habet, ἐξαρθήσεται. Quo verbo etiam Apoſtolus vſus eſt 1. Cor.5. inquiens: καὶ ἐξαρεῖτε τὸν πονηρὸν, ἐξ ὑμῶν αὐτῶν. Et tolletur de numero) ſcil. electorum. Anima eius) rapta à dæmonibus. Sic Lyranus explicat. Porrò maius exemplum nominat (inquit Pellican,) publicum ſupplicium à magiſtratu indictum. Publicè .n. talis ad aliorum terrorem punietur, vt tollatur de medio vita fidelium præuaricatoris, vt peſtilente flagellato ſtultus aliquando ſapientior fiat. Deus faxit, vt vel videntes, vel audientes iudicia eius, quæ in peccatores exercet, vitam noſtram emendemus, ac ità nos geramus, quemadmodum Chriſtus filius Dei, Luc. 13. & Apoſtolus eius, 1. Corin, 10. nos monent, ne in eadem iudicia & ſupplicia incidamus,

Amen.

CONCIO XXXVI.

Eccleſ. 25.

TRia me exhilarant, & coram Domino ſimul & hominibus condecorant. Nempe concordia fratrum, amicitia propinquorum, & vir ac vxor inter ſe bene conſentientes.

1 Æquum atque adeò iuſtiſsimum eſt, vt diligentiſsimè ſtudeamus placere Deo & illius ſapientiæ i filio eius Chriſto Ieſu domino noſtro, in omnibus, & quibuſcunque rebus poſſumus: quoniam non ſolùm creauit nos, cum nondum eſſemus, ſed etiam liberauit nos & ſaluos fecit, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum miſericordiam & gratiam ſuam, per Ieſum Chriſtum filium ſuum dilectum, cui non pepercit: ſed pro nobis omnibus tradidit illum, cùm adhuc inimici & peccatores eſſemus.

Quia verò non illud Deo placitum eſt & acceptum, quod nobis rectum videtur, qui corrupto iudicio ſumus, & quorum viæ ac cogitationes longiſsimè à cogitationibus & vijs Dei diſtant, Ieſa. 55. ideo ex verbo Dei, in quo ſuam mentem & voluntatem expreſsit Deus, diſcendum fuerit, quid velit & à nobis exigat.

Audiamus igitur ſpiritũ veritatis loquentem per Sirachi filium, qui oſtendit nobis

quæ

quæ non ſolum Deo, verumetiam hominibus probantur ac placent, ſeu quibus Sapientia ſe exornari, & apud Dominum & apud homines venuſtam effici dicit, nempe illa tria, concordia fratrum, amicitia propinquorum ſeu vicinorum, & vnitas viri & vxoris. Cùm enim Deus ſit charitas, quid melius illi placere poteſt, quàm cùm homines ſe mutuo charitatis officijs proſequantur? Siquidem vbi charitas eſt, ibi omne odium & rixa, & contentio, & cætera mala longiſsimè abſunt. Vnde & Paulus inquit Rom. 14. Si propter cibum frater tuus contriſtatur, non iam ſecundum charitatem ambulas. Ne cibo tuo illum perdas, pro quo Chriſtus mortuus eſt. Ne veſtrum igitur bonum, hominum maledicentiæ ſit obnoxium. Non eſt enim regnum Dei cibus ac potus, ſed iuſtitia & pax & gaudium in ſpiritu ſancto. Etenim qui per hæc ſeruit Chriſto, acceptus eſt, & probatus hominibus. Itaque quæ pacis ſunt ſectemur, & quæ ædificationis, alius erga alium.

2 Si autem vnquam opus fuit exhortari homines ad amplexandam colendamq; pacem, charitatem & concordiam: certè hodierno die quam maximè opus eſt. Quandoquidem reuera nūc illud tempus exiſtit, de quo Chriſtus Matth. 24. Conſurget gens contra gentem, & regnum contra regnum. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Item Apoſtolus Paul. 2. Timot. 3. Erunt enim homines φίλαυτοι, ἄστοργοι,

ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένοι Nónne enim omnes Chriſtiani dici volunt? Quotuſquiſque autem eſt, in quo appareat ſignum Chriſtiani hominis ac fratris, de quo Chriſtus Ioan. 13. In hoc cognoſcent omnes, quòd diſcipuli mei ſitis, ſi charitatẽ habueritis inter vos mutuam? Cæterum nos, qui verè Chriſtiani non ſolum dici, ſed & eſſe volumus, debemus, vt ſemper & in omnibus placere Deo & doctrinam ſeruatoris noſtri ornare, iuxta Apoſtoli admonitionem, 2. Cor. 5. Tit. 2. ſic etiam in illis tribus rebus, de quibus hoc loco Sapiens: qui ternarium format, cùm plura componere poſſet. Quod genus antiquæ doctrinæ eſt, & hanc commoditatem habet, vt quæ ſic traduntur & numeris comprehenduntur, memoria facilius comprehendi poſsint.

3 In tribus, inquit, placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus (ita legit vulgatus interpres) primum eſt, ὁμόνοια ἀδελφῶν .i. concordia fratrum, vel amicorum eiuſdem parentelæ, vel conſanguineorum, qui etiam dicuntur fratres in ſcriptura. Sic.n. dicit Abraham ad Loth, nepotẽ ſuum: Ne quæſo ſit iurgium inter me & te, & inter paſtores meos & paſtores tuos. Fratres.n. ſumus. De hac φιλαδελφίᾳ habemus etiam Gen. 37. Pſal. 133. 1. Cor. 1. 2. Pet. 1. 1. Ioa. 3. Sic.n. Iudas fratribus ſuis dixit de Ioſepho: Quid nobis prodeſt, ſi occiderimus fratrem noſtrum, & celauerimus ſanguinem ipſius? melius

melius eſt vt vendatur Hiſmaelitis,& manus noſtræ non polluantur: frater.n. & caro noſtra eſt. Ita Dauid, Ecce quàm bonũ & quàm iucundũ, habitare fratres in vnũ Sicut oleũ precioſum ſuper caput, quod deſcẽdit in barbam Aaron, quod deſcendit in orá veſtimenti eius. Sicut ros Hermon qui deſcendit in montem Sion: Quoniam illic promiſit Dominus benedictioné, & vitam vſq; in ſeculũ. Ita Paulus, Obſecro vos fratres, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idẽ loquamini omnes, & non ſint inter vos diſsidia, ſed ſitis integrum corpus, eadẽ mente & eadem ſententia. Sic Petrus: In pietate aũt ſubminiſtrate fraternam charitatem. Et Ioannes, Nos ſcimus quòd tranſlati ſumus de morte ad vitá, quia diligimus fratres. Qui nó diligit fratrẽ, manet in morte. Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et ſcitis quòd omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem. Per hoc cognouimus charitatem, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Hæc etſi de omnibus Chriſtianis & ſpiritualibus fratribus dicta ſunt: tamen etiam ad naturales fratres referri poſſunt ac debent. Eſt autem fratrũ inter ſe concordia (vt Antiſthenes dixit) quouis muro firmi9 munimentũ.

Secundum, quod pulchrum eſt, & Deo ac hominibus placet, eſt φιλία πλησίων .i. amor proximorum, dum ciues & vicini mutuum ſe diligunt: erunt enim ciuitas firma. Ac

melior eſt vicinus iuxta, quàm frater procul, Prou. 27. Non aurum ſplendidum (vt Plato ex veteri poemate citat) neque adamas ita fulgurat in oculis, ſicut bonorum virorum mentes conſentientes. Ideo mandauit dominus Leuit. 19. ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς ἑαυτόν. Eccleſ. 6. οἱ εἰρηνεύοντές σοι ἔστωσαν πολλοί. Ieremiæ 29. Quærite pacem ciuitatis ad quam tranſmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis. Et Romanor. 12. Si fieri poteſt, quantum in vobis eſt, cum omnibus hominibus in pace viuentes.

Tertium eſt, γυνὴ καὶ ἀνὴρ ἑαυτοῖς συμπεριφερόμενοι .i. vxor atque vir inter ſe conſentientes, ſiue concorditer coniunctéq; viuentes: ſcil. in bona domus diſpenſatione, & verò etiam in cæteris rebus, ne diſcordiæ interſerantur, neque preces interrumpantur, 1. Pet. 3. Amicus enim (inquit Eccleſ. 40.) & ſocius commodè conueniunt, ſed vtrunque antecellit vxor iuncta viro .i. ein weib / das mit jhrem mann eins iſt. Sed contrà βοοζύγιον σαλευόμενον γυνὴ πονηρά. ὁ κρατῶν αὐτῆς ὡς ὁ δρασσόμενος σκορπίου. Eccleſ. 26. Si ergo vxorem habes ex animi tui ſententia, ne eam repudiaueris, Eccleſ. 7. Relinquet enim homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt in carnem vnam, Gen. 2. Quod ergo Deus copulauit, homo ne ſeparet, Matth. 19. Vt verò poſſit bene conuenire inter coniuges, nihil conſultius fuerit, quàm vt ſinguli ſuum officium dili-

diligenter conſiderent & faciant. Vxor ſubdita ſit viro proprio, veluti domino, in omnibus, tum paruis, tum magnis rebus, ijsq; honeſtis & iuſtis. Vir diligat vxorem ſuam, ſicut & Chriſtus dilexit eccleſiam. Vxor reuereatur virum. Et vir non ſit amarulentus aduerſus vxorem, Epheſ. 5. Col. 3. Præcipuum (vt ſcribit Chryſoſtomus in cap. 2. ep. ad Titum) illud eſt domeſticæ pacis, ac bonorum omnium fundamentum, ſi vxor viro per omnia conſentiens ſit. Nam vbi hoc fit, nihil triſte contingere poterit. Quo pacto enim, cùm caput corpori connexum, coniunctumque ſit, vlla ibi ſeditio, vlla diſſenſio poſsit exoriri? Neceſſariò profectò reliqua omnia in pace ſunt. Principibus namque pacatis, quis iam pacem diuidere poſsit, atque diſcindere? &c.

4 Porrò hæc tria ſicuti ſunt probata coram Deo & hominibus: ſic contraria ſunt reprobata. Ac fieri non poteſt, vt vitam miſerabilem non ducant fratres, vicini, & coniuges, inter quos diſcordia, odium & diſſenſio exiſtit. Deus, qui eſt author non confuſionis, ſed pacis, ſit cum omnibus nobis in Chriſto Ieſu, Amen.

CONCIO XXXVII.

Eccleſ. 26.

BEatus eſt vir probæ mulieris: nam numerus dierum ipſius conduplicabitur. Mulier ſtrenua virum ſuum exhilarat, facitq; vt annos vitæ ſuæ exigat per trãquillitatem. Vxor bona, portio eſt bona, pro præmio obtinget Dominum reuerentibus. Tam diuitis cor quàm pauperis lætificat, vt omni tempore vultu ſint hilari.

1 Hæc verba non ſolùm oſtendunt, qui in fauſto matrimonio ſint conſtituti: ſed etiam ſimul docent, quid in mulieribus ſpectare, & quales ipſimet eſſe debeant, qui fauſtè ac bene in coniugio viuere cupiunt. Dicit enim Sapiens: Bonæ fæminæ vir beatus eſt, & duplicem viuit ætatem. Nam & hæc vita ſuam beatitudinem, etſi imperfectam habet. Mulier bona vnde cognoſci queat, ex verbis Chriſti loquentis de homine bono, à Deo ſcilicet hoc habente, vt ſit bonus, liquet, Matt. 12. Si enim ſpiritum habet placidum & quietum, 1. Pet. 3. ſi linguæ eius ineſt pietas, comitas, & ſanitas, non eſt vir eius humanæ conditionis .i. ita felix eſt, vt Deus eſſe videatur. Eccleſ. 36. Vnde Salomon Pro-

uerb.

uerb. 18. Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum, & hauriet iucunditatem à Domino: & vt hîc leigmus, Numerus dierum illius duplex eſt. Eorum enim vita pro iucunditate & fide diutius perſeuerat. Animus enim, gaudens floridam facit ætatem. Zelus autem & iracundia minuent dies, & ante tempus ſenectam cogitatus moleſtus adducet, Eccleſ. 30. Melior quoque mors quàm vita amara: quin & melius eſt modico tempore viuere cum iucunditate, quàm diutius cum cordis amaritudine. Ideo pergit Sapiens & dicit, (præcedentem verſum clarius exponens) Mulier fortis oblectat virum ſuum, & annos vitæ illius in pace implebit. Fortis mulier intelligitur fidelis, ſolida, virtuoſa & conſtans in bono, ἀνδρεία, etiamſi corpore fragilior ſit & mollior, quæ ſcilicet ſtrenuè inſtat familiæ & domui gubernandæ, iſt heußlich/mannlich/fœmineum ingenium maſculo animo excitans, 2. Mach. 7. omnia agens virili animo, אשת חיל Prou. 31. & 12. minimè ocioſa, diſſoluta aut vana. Huiuſmodi oblectat virum ſuũ, in conuerſatione iucunda, pacifica, honeſta, cũ qua diutius viuit, quia tranquillè vſq; ad finem vitæ: non enim ſenem exhorreſcet, ſed in primo amore perſeuerabit ſemper: non enim tantùm carnalis eſt amor vt tabeſcat cum tempore, ſed virtuoſus, qui cũ virtute & canicie ſemper matureſcit. Poſſe aũt & mulierem fortem & dici & eſſe teſtatur etiá Socrates, qui dicebat

muliebrem ſexum non minus eſſe docilem & ad diſciplinas, & ad omnem virtutem, etiam fortitudinem, quæ tanquam viris propria, Græcis à viro dicitur ἀνδρεία, ſi diligenter inſtituatur. Id collegit ex puella ſaltatricula, quæ inducta in conuiuium mira arte trochos duodecim in altum proiectos excipiebat, ita temperato altitudinis ſpacio, numeriſque pedum, vt nunquam falleret: eadem inter acutiſsimos gladios, non ſine horrore ſpectantium, impauida ſaltaret. Præterea inquit, Mulier bona pars vel ſors bona eſt. i. præcipuum Dei donum. Item: Tam diuites quàm pauperes, ſi bonæ mentis ſunt, ij ſemper in Domino vultum habentes hilarem exultant. vel, vt Lutheri verſio habet: **Er ſey reich oder arm / ſo iſts im ein troſt / vnnd macht jhn allzeit frölich.** Hinc Theocritus, Κυρν' ἀγαθῆς γλυκώτερον ἀνδρὶ οὐδὲν γυναικός. Hoc eſt, nihil Cyrne, dulcius viro bona coniuge. Et alius Poeta inquit, Ἀνδρὶ γὰρ ἀχαλοῶντι παρήγορός ἐστιν ἄκοιτις. Id eſt, viro triſti ſolatio eſt vxor.

2 Hæc cùm ita ſint, non ſolùm mulieres operam dare debent atque ſtudere, vt ſint bonæ & fortes, **nicht rauch vnd faul** (ſiquidem non vituperari, ſed laudari velint, Pro. vlt.) ſed etiam viri in contrahendo matrimonio ſpectare debent, non diuitias mundanas, gloriam terrenam, formam corporis, ſed potius bonitatem & fortitudinem: ſi modò felix habere coniugium deſiderent. Ante omnia autem tam viri quàm mulieres Dominum timeant.

meant. Quemadmodum enim Salomon in fine Prouerbiorum dicit de muliere: Mulier quæ timet Dominum, illa laude eſt digna: Date ei de fructu manuum eius, & laudent eam in portis opera eius: ſic ſcribit de viro hoc loco Siracid. ἐν μερίδι φοβουμένων κύριον δοθήσεται.i. Dominum metuentibus ſorte datur. vel vt vulgatꝰ interpres habet: in parte bona timentium Deum (id eſt, pro bona parte mulier bona eſt inter timentes Deum) dabitur viro (ſcilicet à Deo. Domus enim & diuitiæ dantur à parentibus: à Domino autem propriè vxor prudens, Prouerb. 19.) pro factis bonis (ſeu ob rectè facta: vnde dicitur communiter, vxorem bonam eſſe ſpeciale Dei donum: item: **Ein from weib iſt des mans oder hertzens heil/ man findt ſie aber ſelten feil.**) Huc facit etiam Pſalmus Dauidis 128. qui ſic incipit: Beatus quicunq; timet Dominum, qui ambulat in vijs eius, &c.

3 Porrò ſi beatus eſt vir, qui habet vxorem bonam & ſtrenuam, quàm beati ſunt & vir & mulier, quorum ſponſus & maritus eſt optimus ille & maximus, clementiſsimus & potentiſsimus rex, idem & ſpecioſiſsimus inter filios hominum Ieſus Chriſtus, Dei & Mariæ filius: de quo Paulus 2. Corinth. 11. Adiunxi vos vni viro, &c. qui & agnus Dei, & leo de tribu Iuda rectè dicitur, propter ſuam manſuetudinem & fortitudinem, Ioan. 1. Apoc. 5. Hic eſt illa ſapientia, de qua Sap. 8 Hanc amaui & exquiſiui à iuuentute mea, &

quæſiui ſponſam ducere mihi, & amator factus ſum pulchritudinis illius, &c.

4 Poſtremò ſi felix eſt vir mulieris bonæ & ſtrenuæ, vtique miſer eſt ille, qui malam, ſeu iracundam, atq; moroſam, & ſocordem, ſiue pigrã habet. Vnde Ariſtoteles in Rhet. Quibus coniugium infelix contingit, hi ferè plus quàm dimidia parte beatitudinis ſuæ priuati ſunt. Et Euripides: δεινὸν δὲ πενία, δεινὰ δὲ ἄλλα μυρία, πλὴν οὐδὲν οὕτω δεινὸν ὡς γυνὴ κακά. Hoc eſt, Inopia acerba, acerba alia quàm plurima, Sed nil ita acerbum & noxium, vt mulier mala. Et Eccleſiaſticus cap. 25. inquit: Nullum caput ſerpentis capite nocentius eſt: nulla ira, mulieris iram ſuperat. Cum leone malim & dracone degere, quàm cum mala muliere habitare. Mulieris nequitia eius aſpectum immutat, & vultum tanquam ſaccũ infuſcat. Ea efficit, vt vir eius cogatur inter alios ſedere, & acerbè gemere. Parua eſt quæuis prauitas præ mulieris prauitate, in quam precor improbi ſorte cadant. Quod ſcrupuloſus aſcenſus eſt pedibus ſenis, id eſt linguax mulier quieto viro. In fœminæ pulchritudinem ne offendito, nêue mulierem voluptatis cauſa concupiſcito. Ingens pœna, & impudentia, & turpitudo eſt mulier, ſi ſuo viro imperat. Afflicta mens, & mœſta facies, & animi vulnus eſt, & remiſſæ manus, reſolutaque genua, vbi mulier mala eſt, quæ virum ſuum nequaquam beat. Et Salomon Prouerb. 12. Strenua mulier (ait) mariti ſui

orna-

ornamentum eſt:at pudenda,eſt quaſi quod dam pus in eius membris. Et Prouerb.21. & 25. Præſtat in angulo tecti degere, quàm vxorem habere rixoſam, & domum commu nem. vel, quam cum muliere rixoſa in domo ampla .i. Melius eſt habitare incommodiſsimè ſine rixis , quàm commodiſsimè cum rixoſa coniuge. Et cap.30 Si moroſa nupſerit, perturbat terram. Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti,à quo deſcendit omnis donatio bona, & omne donum perfectum, det omni petenti bonam & fortem vxorem, & omni habenti vxorem malam & diſſolutam, Iobi ſapientiam & patientiam, Amen.

CONCIO XXXVIII.

Eccleſ. 26.

COMITAS vxoris delectat virum ſuum, & oſſa ipſius pinguefacit eiuſdem peritia. vxor taciturna & cordata donum Dei eſt, nec eſt quo precio permutes eruditam animam. Gratia alia ſuper aliam eſt vxor pudens & fidelis, nec tanti ponaus eſt vllum,vt eo rependas animi ipſius modeſtiam. Quod eſt in ſupremis Domini Sol oriens, hoc in ornatu domus ſuæ pulchritudo bona mulieris.

Lucerna ſplendens in ſancto candelabro, venuſtas faciei in ætate conſtanti eſt. Inſtar columnarum aurearum ſuper baſi argentea ſunt crura formoſa cum pectore ſtabili.

1 Quinque potiſsimùm margaritas atque virtutes oſtendit Sapiens in his verbis, quas mulieres habere debent, ijsque ornare ſeſe. Prima eſt gratia, ſiue comitas, ſiue manſuetudo, ſiue amor, cuius contrarium eſt ira, inhumanitas, inuidia, odium. Dicit enim, Gratia mulieris (Latinus addit, ſedulæ .i. dili gentis erga domum, & deuotæ circa Deum, Germanus vertit, ein freundlich weib .i. ein rechte gnadfraw: Prouerb. 11. אשת חן) delectabit virũ eius: virique impinguabit artus, eius ſcientia .i. cor mariti reficitur, ſi ſapien ter tractetur ab vxore, qua ſapientia erudita mulier comiter verſatur cum viro, ſicuti Rebecca cum Iſaaco, cui cibos parabat, ſicut eum velle nouerat, Gen. 27. Coniungit hîc Sapiens comitatem ſuauitatemque morum in muliere cum prudentia atque intelligentia: quarum altera iucunda eſt, altera etiam vtilis, & ad gubernandam rem familiarem opportuna. Cæterùm ſi mulier ſit nequam & iracunda, triſtitia afficitur vir eius, iuxta illud Eccleſ. 25. Cor humile, & facies triſtis, & plaga mortis, mulier nequam. Sicut autem hilaris mens corpus totum refrigerat, bonáque valetudinẽ facit: ſic ſpiritus triſtis exic-

cat oſſa, Prouerb 17. 12. Altera virtus eſt taciturnitas, ſeu ἡσυχία, quam & Apoſtoli requirunt in muliere, 1. Corinth. 14. 1. Tim. 2. 1. Pet. 3. Ait enim: Domini donum eſt mulier ſenſata (ſcilicet animo, vel cordata:) & tacita (ſcilicet ore, ὁ μὴ διάβολος 1. Tim. 3. Tit. 2.) neque quicquam eſt quod doctum animum æquiparet. Nam ſecundum animum eſt & lingua. ſiquidem ex abundantia cordis os loquitur, Matth. 12. Rectè coniunxit Siracides hæc duo, taciturna & cordata coniunx Qui enim moderatur ſermones ſuos, doctus & prudens eſt, & precioſi ſpiritus. Stultus quoque ſi tacuerit, ſapiens reputabitur: & ſi compreſſerit labia ſua, intelligens, Prou. 17. Iob 13. Cæterùm linguax mulier & garrula, moleſta eſt ſibi ipſi, vt ſæpe verbis excedens mendacij arguatur: grauior autem eſt alijs, quos traducit, & qui eam optarent correctam: ſed grauiſsima eſt homini amanti quietem. Sicut. n. aſcenſus arenoſus in pedibus veterani: ſic mulier liguata homini quieto, Ec. 25. Impedit. n. illum in honeſtis & neceſſarijs ſtudiis ſuis: triſtitia afficit eius cor, &c. Ita nimium loquax fuit Eua, cùm haberet colloquium cum ſerpente, Geneſ. 3. nimium loquax Potipharis vxor, accuſans Ioſephum coram marito ſuo, Geneſ. 39. Nimium loquax Rachel dicens Iacobo, Da mihi liberos, alioquin moriar, Geneſ. 30. Nimium Maria, loquens contra Moſen, propter vxorem eius Æthiopiſſam, Num. 12. Nimium vxor Samſonis, ni-

mium Dalila, Iud.14. 16. Nimium Anna vxor Tobiæ, Tob.2. Nimium vxor Iobi, Iob.2. Nimium Michol filia Saul, 2.Reg.6. Nimium Iezabel vxor Achabi, 3.Reg.21. Nimium vxor imperatoris Valentis, quæ ſua blandiloquentia maritum ad Arianas partes traxit, vt habetur lib.7.Eccleſ.hiſt.cap.12.

Aliter autem ſe geſſerunt, & multò laudabilius Anna vxor Elcanæ, 1.Reg.1. Abigail vxor Nabalis, 1.Reg.25. Maria mater Domini, Matth.1. Luc.2. Ioan. 2.

Tertia virtus, quæ ornat mulierem magis quàm ſmaragdus aut purpura, teſte etiam Cratete Thebano, eſt pudicitia, ſeu verecundia, qua ornata fuit Suſanna, Dan.13. Nam multiplex gratia, vel, gratia ſuper gratiam, inquit noſter Sapiens, eſt mulier pudica & fidelis .i. quum ſummus mulieris pudor (quo cauet omnem in dictis & factis turpitudinē, ex eaque hominum, in primisque mariti offenſionem) cum fidelitate (quę in rebus commiſsis creditisq; verſatur) coniungitur, nec vlla re dignè poteſt rependi eius animi continentia: qua nimirum ſe continet non tantùm à Venere, ſed etiam à vino & multiloquio, diſcurſu, auaritia. Continentia enim genus eſt ad quamplurimas ſuas ſpecies. Vt autem pudicitia, quæ ex continenti animo proficiſcitur, decet mulierem: ſic mores, ſermones & geſtus obſcœni atq; turpes illam dedecent.

Quarta eſt, honeſtas ſeu bonitas. Dicit enim:

nim: Quod eſt in ſublimi ſol oriens Domini, hoc eſt bonę fœminę pulchritudo in eius domus ornamento. Sicut enim ſol in meridie dũ ab exortu iam peruenit ad altiſsima, hoc eſt, ad lineam meridianam, vel circulum, per polos & cenith capitis tranſeuntem, mundũ illuminat: ſic virtuoſa mulier illuminat domum ſuam: & eius honeſtiſsima ſpecies, habitudo & præſentia, domum & domeſticos ſuos perornat, clarificat & gubernat. Sicut turpis & improba confundit totam ſuam ꝓgeniem. Quæ verò ſit honeſta & bona mulier, videntur Apoſtoli exponere, 1. Tim. 2. 1. Pet. 3. nempe quæ in amictu modeſto cum verecundia & caſtitate ornat ſemetipſam, nõ tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veſtitu ſumptuoſo, ſed quod decet mulierẽ profitentem pietatem per bona opera. Quæ enim bona eſt, benefacit, bonumq́ue operatur, tum erga omnes, tum verò maximè erga familiares, & domeſticos fidei, Galat. 6. 1. Timot. 5. ſicuti decet filias Saræ.

Quinta eſt conſtantia & perſeuerantia in bonitate & virtutibus prædictis: vt non terreatur mulier vllo timore, ſed occultus, qui eſt in corde homo, careat omni corruptela, quemadmodum Petrus docet. Sic enim hîc legimus: Lucerna ſplendens in ſacro candelabro, eſt formæ venuſtas in ætate conſtanti. i. formoſa mulier quæ proba manet. Aureæ columnæ in baſibus argenteis, ſunt formoſi pedes cũ pectore ſtabili. i. mulier con-

ſtanti, & in verbo Dei bene fundato animò prædita. Contrà inquit Salomon Prou. 11. Circulus aureus in narib. porci, mulier pulchra & fatua .i. quæ pulchra eſt, ſed non pulchrè facit: quæque de Sodoma ègreditur, ſed egreſſa poſt ſe reſpicit, vt vxor Loth. Gen. 19. Porrò hęc omnia dicuntur in hunc finem, vt mulieres ſtudio harum virtutum incendantur: viri vxores ducturi, eiuſmodi virtutibus ornatas quærant: tales nacti, Deo gratias agant: non habentes iſtiuſmodi mulieres, Deum precentur, vt eas ita formet: denique vt ijdem quoque his virtutibus ſtudeant. Quandoquidem de illis etiam ſcriptum eſt, ne ſint inſtar leonum, neque amarulenti aduerſus vxores, ſed vt illas diligant, Eccleſ. 4. Col. 3. neque multum loquantur, ſed tardi ſint ad loquendum, Iac. 1. neque erubeſcant de reb. honeſtis, ſed turpibus, Eccle. 41 neque malè, ſed benefaciant, vt glorificetur per illos Deus, Matth. 5. 1. Cor. 10. vtque ſtent in fide, viriliter agant, ſint fortes, 1. Corinth. 16.

3 Quin hæc omnia pertinent ad vniuerſos, & vnumquemq; eorum, qui volunt Chriſti eſſe ſponſa atq; coniunx, eumq; delectare & honorare. Dicit. n. Matt. 11. Diſcite à me, quòd mitis ſim & humilis corde, & 12. Dico vobis, quòd de quocunque verbo ocioſo, quod loquuti fuerint homines, reddituri ſint rationem in die iudicij. Ezec. 36. Confundimini & erubeſcite ſuper vijs veſtris domus Iſrael. 1. Corin. 8. procurantes honeſta, non tantum

tantum coram Domino, ſed etiam coram hominibus. Luc. 9. Matth. 10. Nemo qui manu ſua admota aratro reſpexerit à tergo, aptus eſt regno Dei: verùm qui ſuſtinuerit vſq; ad finem, hic ſaluus fiet. Vt hanc ſalutem & hoc regnum omnes conſequamur, impleat oleo lætitiæ lampades noſtras Chriſtus Ieſus rex noſter, & pontifex: cui ſit honor, laus, benedictio & gloria in ſempiternam, Amen.

CONCIO XXXIX.

Eccleſ. 40.

VT amicus commodè congruat cum amico, vir tamen & vxor concordes vtrique præferendi ſunt.

1 Varijs verbis hæc ſententia ab interpretibus redditur. Græci habent: φιλος ϗ ἑταῖρος εἰς καιρὸν ἀπαντῶντες, ϗ ὑπὲρ ἀμφότερα γυνὴ μετ᾽ ἀνδρός. Latini vertunt ſic: Amicus & ſodalis ad tempus occurrentes (vel in tempore conuenientes) & ſuper vtraque (vel vtroſque) mulier cum viro. i. Amicus & ſocius commodè conueniunt, ſed vtrumque antecellit vxor iuncta viro. Germani ſic: Ein freund vnd ein gſell die einanderen füglich begägnend: vber die beide iſt ein weib/das mit jrem mann eins iſt. Item: Ein freund kompt zum anderen in der not/aber man vnd weib viel mehr. Sed hę interpretationes omnes incidunt ferè in vnum & eundem ſenſum, qui eiuſmodi eſt:

Tametſi laudabilis & iucunda inter omnes ſit amicitia, pax, charitas, mutuumque officium, Pſ. 133. tamen maximè inter coniuges: neq; vlla eſt amicitia aut ſodalitas quæ cum coniugio honeſto, fideli, concordique ſit cõparanda. Vt enim rerum malarum gradus & diſcrimina ſunt, & aliud malum alio maius eſt, atque adeò minus malum potius, quàm maius eligendum, ſicut Ariſtoteles dicit lib. 5. Eth. cap. 3. & Dauid fecit, 2. Reg. 24. ſic etiam in rebus bonis & iucundis alia præſtat alteri. Probata ſunt coram Deo & hominibus concordia fratrum, amicitia propinquorum: omnium maximè verò vir & vxor inter ſe bene conuenientes, Eccleſ. 25. Et quemadmodum frater, qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma: melior tamen eſt vicinus iuxta, quàm frater procul, teſte Salomone, Prouerb. 18. & 27. ita tempore neceſsitatis vxor viro plus beneficij & auxilij exhibere ſolet ac poteſt (ſiquidem ſit non contra virum, ſed cum viro & pro viro, vt Michol pro Dauide, quem demittebat per feneſtrá, cùm Saul illum quæreret interfectum, 1. Reg. 19.) quàm vel ſocius vel frater. Nihil in hoc mundo dulcius homini, quàm grata & iucunda ſodalitas, quam etiam bruta ſectantur & diligunt. Applaudit enim ſimile ſimili. Homo autem præ cunctis ſociale animal, multò minus ſolitariè viuere poteſt, ob multas neceſſitates naturæ, ob quas vnus neceſſariò indiget auxilio aliorum, ex ipſa natiuitatis origine,

rigine,vt non ſit imbecellius animal in orbe, quatenus tantò amabilior coaleſceret charitas & amicitia hominum ex mutuis beneficijs. Iucunda eſt ergo amici cum ſodali ſuo conuentio in tempore,dum ſibi pulchrè con cordat, & afficiuntur ex animo. Sed ſuper omnia eſt amicitia mariti & vxoris,dum con cordant votis & pacificè conuiuantur. Sunt enim à Domino ordinati, vt ſint vna caro, & ſibi ſe mutuum communicent, animam, vires,officia,& ſolicitudines,ad prolé legitimè educandam. Hierocles in lib. de Nuptijs ait: ὁ μὴ πεῖραν ἐσχηκὼς γαμετῆς γυναικὸς καὶ τῶν τέκνων, ἀγεύστός ἐστι τῆς ἀληθινωτάτης καὶ γνησίου εὐνοίας. Item: ἀνθρώποις πᾶσιν δεῖ πρὸς μετρίαν τοῦ βίου διεξαγωγὴν δυοῖν συγγενικῆς ἐπικουρίας, καὶ συμπαθοῦς εὐνοίας, οὔτε συμπαθέστερον γυναικὸς εὕροι μὲν ἄν, οὔτε τέκνων συγγενέστερον, παρέχει δ' ἑκάτερον ὁ γάμος. De excellentia & vi amoris coniugalis videtur etiam illud dictũ Eccleſ.36. Pulchritudo mulieris vultum exhilarat,omnemque humanam iucunditatem excellit. Si linguæ eius ineſt comitas, lenitas & ſalubritas,maritus eius non eſt filijs hominum comparandus. Item illud Dauidis, 2.Reg.1. Mœror eſt mihi propter te frater mi Ionathan: gratiſsimus enim mihi fuiſti: mirabilis (id eſt, præſtans & ſingularis) factus eſt mihi tui amor ſuper amorem mulierum. Eſt autem, inquit Rabi Leui, mulieris amor tam fortis, vt ſi maritus eam iam percuſſerit, & illi maledixerit, non poſsit vel in modico minui amor eius, imò plerunque arctius diligit. Cæterùm amor mulierum hoc loco nõ

ſimiliter ab omnibus intelligitur. Alij enim accipiunt de amore, quo viri impotentius mulieres amant, qui quantus ſit, declarat Zorobabel 3. Eſd. 4. Hanc ſententiam ſequitur Paraphraſtes, qui de amore, quo Dauid duas ſuas vxores amplexus eſt, interpretatur. Alij de amore intelligunt, quo mulieres in viros exardeſcunt, qui quantus ſit, declarat illud Latini vatis:

Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?

vel de amore, quo ſuos liberos proſequuntur: cuius vim apud vatem Ieſaiam cap. 49. diuinus Spiritus his verbis explicat: Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filij vteri ſui?

Sed tamen excipitur (inquit Pellicanus) amor fidelium animarum cum creatore ſuo, Chriſti & eccleſię, qui non tantùm per omnẽ vitam durare poteſt mortalem, vt amor coniugalis: ſed ſic in præſenti vita coaleſcere debet & roborari, vt perſeueret in ſeculo animarum ſine fine. De magnitudine & vi illius amoris & adhæſionis, ſiue cõiunctionis ſunt illa, Luc. 14. Si quis venit ad me, nec odit patrem ſuum ac matrem, & vxorem, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Ergo nullum locum habebit excuſatio illa, vxorem duxi, & ideo non poſſum venire. Epheſ. 5. Chriſtus dilexit eccleſiam ſuam, & ſemetipſum expoſuit pro ea, vt illam ſanctificaret, &c. Rom. 8. Quis nos ſeparabit à dilectione Dei? num

afflictio?

affliƈtio? num anguſtia? num perſecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius? &c. Ioan. 6. Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. 1. Cor. 6. Qui adglutinatur Domino, vnꝰ ſpiritus eſt. Pſal. 73. Quem in cœlo & in terra præter te deſiderarem? &c.

2 Quanquam nihilominus coniuges tenentur ſe inuicem quoque diligere. Sunt enim multæ cauſæ, propter quas excellens eſſe debet inter illos dileƈtio, pax, & concordia, idq; in Domino, non contra Dominum eiusúe gloriam.

Ac primùm quidem hoc fieri decet atque debet, propter præceptum coniugibus ſingulariter datum, Eph. 5. Col. 3. Tob. 10. Tit. 2. Diſertè enim iubet Spiritus ſanƈtus per Apoſtolum viros diligere vxores: & rurſum vxores eſſe φιλάνδρους.

Deinde propter exemplum Chriſti & eius eccleſiæ. Hæc enim diligit illum, quoniam ipſe prior dilexit eam, Eph. 5. 1. Ioan. 4.

Tertiò, propter promiſsionem in pace agentibus faƈtam. Scriptum eſt enim 2. Corinth. 13. Vnanimes ſitis, in pace agite, & Deus charitatis ac pacis erit vobiſcum.

Quartò, propter bene placitum Domini. Amor enim & concordia mariti & vxoris tū Deo (qui pacis Deus eſt, & nos in pace vocauit, 1. Cor 14. 7.) tum hominibus multum placet, Eccleſ. 25.

Quintò, propter ſummam & ſingularem

communitatem & coniunctionē viri & mulieris inter ſeſe. Corpus enim mulieris eſt ipſius viri, & contrà, 1. Cor. 7. Ac vir eſt caput mulieris,& hæc illius corpus. Eph.5. Vir denique qui adglutinatur vxori, vnum corpus eſt. Redigentur enim,inquit,duo in carnem vnam. Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro, Math.19.& velut vna arbor,quę profert fructus precioſiſsimos,id eſt, filios hominum, qui per adoptionem fiunt filij Dei altiſsimi, quorum vnus prævalet omnibus fructibus terræ. Sicut enim planta & ramus, qui plantæ inſeritur, vnam arborem efficiunt, & neuter illorum ſufficiens eſt ad ferendos fructus: ſic nec vir abſque muliere, neq; mulier ſine viro ſufficiens eſt ad generādam prolem, 1. Cor. 11. Iam verò cùm ametur arbor proprer bonos & copioſos fructus,quos profert: cur non ametur coniunx propter egregios fructus ventris? Vnde & Socrates Alcibiadi,demiranti,quòd Xantippen ſupra modum rixoſam domi perpeteretur, dixit, At tu nónne domi tuæ toleras gallinarū glottientiū ſtrepitū? Tolero, inquit Alcibiades, ſed gallinæ mihi pariunt oua pulloſq;. Et mihi, ait Socrates,mea Xantippe parit liberos.

Sextò propter formam creationis mulieris, quæ nō procul à corde viri deſumpta,ſed de viri coſta formata eſt. Vnde Apoſtolus, Eph.5. Sic debent viri diligere ſuas vxores vt ſua ipſorū corpora. Qui diligit ſuam vxorē, ſeipſum diligit. Nullus enim vnquā ſuā ipſius car-

us carnem odio habuit, imò enutrit ac fouet eam, ſicut & Dominus eccleſiam. Quoniam membra ſumus corporis eiuſdẽ, ex carne eius & ex oſsibus eius. Interim tamen obſeruatione dignũ, quòd mulier non dè pede viri ſumpta eſt, ne à viro contẽneretur, 1. Pet. 3. neq; de capite, ne viro dominaretur, 1. Tim. 2. Si enim maritus vincatur, & vxor dominetur, (dicit Auguſtinus in Pſal. 143.) pax peruerſa eſt. Si autem vxor marito dominanti ſubijciatur, pax recta. Io. Iouianus ſcribit cap. 3. de Obed. lib. 3. Quænam pax in illa eſſe domo poteſt, in qua mulieris dominetur appetitus? Neq; .n. aut induere omnes Scratẽ poſſunt, aut ducendæ vxoris finis is eſt viro, vt patiẽtia aſſueſcat, tolerãdisq; clamorib.

Septimò propter vnam & eandem ſpem vocationis, qua & vir & mulier, abſq; perſonarum acceptione vocati ſunt ad hæreditatem gratiæ vitæ. Epheſ. 4. 1. Pet. 3. Si ergo ſperant coniuges ſe ſimul victuros in ſumma pace & tranquillitate poſt hanc vitam in regno Dei; cur non etiam hîc ad momẽtum ſaltem ſtudent pacificè viuere? At patientia illis eſt opus, vt vbi voluntatem Dei peregerint, reportent promiſsionem, Hebr. 10. Neque enim ſeruari vnquam concordia, niſi per ſolam patientiam valet, ſicut Gregorius teſtatu lib. Moral. 5. Crebrò namque in humana actione naſcitur, vnde mentes hominum viciſsim à ſuauitate & dilectione ſeparentur. Et niſi ad aduerſa toleranda in animo

ſe præparent, cùm aduerſitatis aliquid acci-derit, quod animus ferre non valet, fraternā concordiam relinquent. Sed qui alienam im perfectionem ferre non valens deſerit: ipſe ſibi teſtis eſt, quòd perfectè necdum profi-cit. Vnde iterum Iouianus ait: Recte fami-liaris meus compater Neapolitanus, cum ab amicis grauiter accuſaretur, quòd iam gran-dis natu, & diuitijs ſatis bonis tam ab re ab-horreret vxoria, deeſſe ſibi patientiā (quam quidam robur Socraticum vocat) cauſatus eſt, qua vna vel maximè opus eſſe duceret, vxorem enim cum dote ſimul clamores ac ſupercilium in domum illaturam, at ſibi pa-tientiam nullam eſſe.

Octauò, quia mulier adiutorium & ſolati um eſt viri à Deo datum, Geneſ. 2. 24. Ec-cleſ. 4. 9. & 26. atque adeò omnium prima ſocietas humana, eſt coniunctio mariti & fœ minæ: quam deinde ſecutæ ſunt reliquæ ſo-cietates & amicitiæ, vt fratrum, vicinorum, ſociorum, amicorum, &c.

Nonò, quia etiam conſanguinei coniugū propter coniugium eorum ſe mutuò amant. Si ergo alij propter ipſos ſe inuicem diligūt, cur ipſi ſe ſe non mutuò diligerent?

Decimò, quia vterque coniugum propri-os parentes relinquit, vt ſibi inuicem adhæ-reant, Geneſ. 2.

Taceo oſculum, quod olim ſibi in nonnul lis eccleſijs coniuges mutuò dabant, in ſignū pacis. Prætereo anulum capientem vnum

digi-

digitum,& eum plerunque, in quo eſt vena, quæ vſque ad cor protenditur: quia coniuges,vt & cæteri homines ex corde, eoque puro ſe inuicem amare debent, 1.Pet. 1.

3 Hæc cùm ita ſint, à diſcordia ſummopere cauere debent omnes homines, præſertim coniuges ac contra ſeruare & colere pacem atque concordiam. Refert Plutarchus in præceptis politicis de Leone Byzantio Sophiſta, quòd venerit Athenas populo diſsidijs tumultuanti concordiam ſuaſurus. Vbi verò prodiſſet in ſuggeſtum, corpore admodum puſillo, omnium riſus obortus eſt. Ille fortuitam occaſionem vertens in prooemium, Quid, inquit, ô viri Athenienſes, ſi conſpiceretis vxorem meam, quæ tam puſilla eſt, vt vix pertingat ad genua mea. Ad hanc vocem quum maior etiam populi riſus ſublatus eſſet, ſubiecit, At nos tam puſillos, ſi quando diſsidemus, vix ciuitas Byzantium capere poteſt. Sed hoc Philoſtratus in Sophiſtis multò aliter narrat, idque & probabilius, & feſtiuius. Nempe quum prodiſſet ad populum dicturus de concordia, ipſa ſtatim ſpecie riſum mouit populo, quod obeſus eſſet ac ventre prægrandi. At ille nihil turbatus riſu multitudinis, Quid, inquit, ridetis viri Athenienſes? vxor mihi eſt me multò obeſior & tamen concordes vnus capit lectulus, diſcordes ne tota quidem domus. Porrò nulla ciuitas, aut domus tam ſtabilis eſt, quæ non odijs & diſsidijs euer-

ti poſsit, vt Cicero teſtatur. Imò Chriſtus ipſe dicit, Matt. 12. Omne regnum diuiſum aduerſus ſeſe deſolatur, & omnis ciuitas aut domus diuiſa aduerſus ſeipſam, non ſtabit. Vnde Salomon Prou. 27. Tecta perſtillantia in die frigoris, & litigioſa mulier comparantur. Ne ſint ergo mulieres litigioſæ, ſed manſuetæ: neque ſint viri aduerſus illas amarulenti, ſed lenes & patientes: & Deus pacis omniſque conſolationis aderit illis in Chriſto Ieſu, Amen.

CONCIO XL.

Eccleſ. 42.

Filia patri occultam affert vigiliam, & ſomnum abigit ſolicitudo eius, ne maturitas ætatis eius exoleſcat, néue odium nupta mereatur: ne ſtupro polluatur in ſua virginitate, néue in domo paterna fiat grauida: ne quando viro iuncta faciat flagitium, aut ne in matrimonium data ſterileſcat. Filiæ inuerecundæ cuſtodiam adhibe, ne te ridiculum faciat inimicis, ciuitatiq́ue fabulam, ne famoſum in populo, néue in vulgus reddat ignominioſum. Ne contempleris quenquam hominem gratiá pulchritudinis, nec inter mulieres deſideas: nam vt tinea

nea naſcitur è veſtimentis, ita à muliere nequitia muliebris. Melior eſt nequitia viri, quàm mulier benignam ſe præſtans, mulier quæ eadem author eſt probroſæ turpitudinis.

1 Principium horum verborum admonitio quædam videtur communis dicti: proles minor paruam exigit ſolicitudinem, maiores maximam. Kleine kind/kleine ſorg: groſſe kind/groſſe ſorg. Id verò inprimis de filiabus ſentitur, quę cùm nubiles euaſerint, non ſine graui & moleſta ſolicitudine aſſeruâtur, quas etiamſi pater domi abſconderit, non tamen ſolicitudine exonerabitur. Poſſunt enim & domi, ſi ambiant, comprimi: aut florẽ ætatis excedere, vt metuendum ſit, ſi maneant innuptæ vltra annos florentis ætatis, forma earum deflореſcat exoleſcatque vnà cum ætate, atque ob hanc cauſam maritos non facilè reperiant. Vnde & parentibus adducit noctes inſomnes pro cura filiæ & impendentib. periculis. Timere enim coguntur, ne inſolenter viuens filia, familiæ & parenti diffamiam inferat, ſi copulata marito fidelis non perſtiterit, ſed non contenta eo marito, fiat odibilis propter laſciuiam. Alius quoq; parentũ timor incumbit, ne fortè ſtupretur adhuc exiſtens in parentum domo, vnde in maximam ignominiam patris, eam iuxta legem lapidari contingat. Sed & non modica olim

patribus cura erat, ne fortè qualibet ratione ſterilis filia fieret, & maledictionis illius rea iudicaretur, quæ habebatur de ſterili, Deuter. 7. Vnde & Benſyræ ſententia fuit: Qui non habet filios, non eſt ædificatus, ſed quaſi diſsipatus. Scriptura liberorum procreationem, ædificationem nominat: quòd, ſicut ædificium aliquod extruendo curam, ſtudium & diligentiam requirit, ſimiliter & in conſeruando: ita & liberorum educatio. Hinc בן filius à בנה ædificauit, quemadmodum etiam בת filia deriuantur apud Hebræos. Longe autem probroſius, ſi iam marito cohabitans, ex educatione mala inſolentior adultera deprehendatur & lapidanda.

2 Monet ergo Sapiens parentes, vt ſumma cura aſſeruent filias, quæ multa ſolicitudine ab infantia inſtituendæ ſunt, vt diſcant caſtimoniam, pudicitiam, horrorem virorum, donec tradendæ ſint nuptui. Si ex ſignis, inquit, quę multa ſunt, deprehenderis filiam tuam propenſám ad luxuriam, diligenter talem cuſtodias domi & foris, ſeueriſsimam ei adhibeas cuſtodiam, vt etiam cap 26. hortatur: aduertas illius mores & ſtudia, ne quando occaſione oblata ſtupretur, & tu incurras ignominiam & confuſionem, non tantùm in tua conſcientia & familia, ſed etiam deriſui pateas inimicorum tuorum, inſultantium, & tibi imputantium turpitudinem filiæ tuæ. & de anguſtia tua lætentur, vt ſis duplo miſer, dum de tua miſeria hoſtes ſibi gratulan-

tulantur: ſed & conciuium tuorum iudiciũ iuſtum incides, ex ruina eius, quam imprudentiæ tuæ adſcribent & negligentiæ: vnde & abiectio plebis in multitudine populi eris, & abominatio ex confuſione filiæ, quam nimis blandè nutrieris & ſine ſolicitudine neceſſaria. Conſueuit enim totum vulgus obloqui parentibus, & non indignè, qui filiam meretricem ſortiuntur & petulantem. Solebant olim Græci ac Iudæi, & adhuc ſolent Itali, vt & Venetijs fit, occultare ſummo ſtudio ſuas virgines, putãtes aliquid de earum caſtitate ac pudore decerpi, ſi ab alijs conſpiciantur: ſic & Phocylides præcipit iuuentutem vtriuſque ſexus occultari. Atque à tali ſollicita virginitatis cuſtodia ac occultatione vocatur ab Hebræis virgo עלמה Almah. Cæterùm optima inſtitutio & eruditio liberorum eſſe videtur, vt quidam ſcribit, quando parentes non ſolùm vigilant, ſed etiam orant pro liberis ſuis, ac eoſdem quoque orare docent.

3 Præterea docet hîc Sapiens, non eſſe incautè & curioſius inſpiciendum, quod non eſt deſiderandum: ideoque nec mulier virũ, nec vir mulierem ex ſpecie admiretur, & cum voluptate aſpiciat, ne ſenſualiter & ad peccatum afficiatur, vnde anima polluatur, & inſurgat tentatio, & mors per feneſtras introeat. Multò minus iuuenis vel vir quicunque tutum ſibi putet cohabitare extraneis mulieribus, vnde periculum inciditur caſti-

tatis. Species enim mulierum, eloquium, geſtus,& ornatus,& quicquid in eis eſt, flamma eſt,ideoque ſpeciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti ſunt. Colloquium enim illius quaſi ignis exardeſcit. Nihil autem tutius & ſanctius, quàm matrimonium colere. Sicut autem de veſtimento generatur tinea ad eius corruptionem: ſic ex muliere iniquitas mulieris: ſic enim quidam legunt: vel ex muliere extranea viro accidit ſcilicet affectuum malitia & carnis iniquitas, dum aſpectu, affatu, tactu, & cohabitatione viri ad libidinem excitantur, & mulieris nutibus capiuntur. Mulier enim viri precioſam animam capit, & iniquitatis ream conſtituit, vel ſola aſpectu. Nunquid enim homo poteſt abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant? Vnde rectè Germani, Das ſtrow vom fewr/ ſo brents nit. Weit daruon/ iſt gut fürs geſchütz. Igitur Alexander Magnus, quum Darij filias haberet captiuas, demiſsis oculis eas ſalutabat, idque rarò, ſibi metuens ab illarum inſigni forma. Idem quum apud Antipatridem cœnaret, isque ad cœnam formoſam pſaltriam induxiſſet, aſpectu motus in illam exarſit: mox rogauit Antipatridem, nunquid ipſe mulieris amore teneretur, illo confitente, ô ſceleſte, inquit, non tu protinus abduces è conuiuio mulierem? Ita Cyrus abſtinebat à conſpectu Pantheæ: & Araſpo dicenti, mulierem eſſe inſigni forma, dignam regis oculis.

lis, Ob iſtuc ipſum, inquit, magis eſt ab illa abſtinendum.

4 Additur alia ratio, propter quam Sapiens conſuluit & præcepit, ne vllum hominem aſpiciamus in pulchritudine, neque commoremur in medio mulierũ. Ait enim: κρείσσων πονηρία ἀνδρὸς, ἢ ἀγαθοποιὸς γυνὴ, καὶ γυνὴ καταισχύνουσα εἰς ὀνειδισμόν. Quæ verba multis non ſolùm obſcura, ſed etiam haud digna fide videntur, præſertim mulieribus & earum prædicatori Cornelio Agrippæ. Vnde factum, vt alij aliter interpretati ſint. Dauid Chytræus ſequutus Lutherum vertit ſic: Tutius eſt cõuerſari viro duro & tetrico, quàm mulieri blandulæ, quæ contumeliæ eum exponit & ludibrio. Caſtalio in hoc modum: Satius eſt cum improbo viro contrahere, quàm cum muliere proba quidem, ſed quæ cauſa ſit turpis infamiæ. Videtur malitia etiam apud Germanos capi pro ira. Dicimus enim de irato: Er iſt böß. Apud Hebræos ſumitur etiam malitia pro triſtitia, Nehem. 2. Wenn einer nicht guter ding iſt: nec non pro afflictione quæ parit triſtitiam. Matth. 6. Vatablus ſic interpretatur: Melior eſt, id eſt, minus mala, nequitia viri quàm mulier benignam ſe præſtans, mulier quæ eadem autor eſt probroſæ turpitudinis. Q. d. Ad turpes amores plus eſt periculi à benignitate & comitate mulierum, quàm ab aperta virorum nequitia. Quid ſi melior eſt deformitas viri, quàm pulchra mulier, &c.

propter æquiuocationem vocum Hebraicarum רע quæ malum & deformem, & טוב quæ bonum & pulchrum ſignificat. Hinc nos de deformi dicimus: Er hat ein böſe farb.

Pellicani expoſitio talis eſt: Securius eſt homini habitare & commorari cum viro aliquo malo & inſenſato, quàm cum muliere bona & ſpecioſa longo ſcil. tempore: parit enim ſocietas familiaritatem, familiaritas affectus conciliat, qui vt vehementes ſunt inter amantes: & maximè in fœmina, tandem & fragiles deprehenduntur. Quin & honeſtas, verecundia, probitas & facetiæ, omnia promouent in viro amorem, qui licet ab initio ſyncerus appareat, degenerat tamen in carnem. Omnibus enim iſtis rationibus fœminæ placent, & ad libidinem etiam nolentes trahunt, vnde peruenitur tandem ad confuſionem & opprobrium.

Videntur huc etiam accommodari poſſe illæ ſententiæ, de quibus idem Autor ſuprà cap. 25. vbi dicit: Non eſt ira ſuper iram mulieris: &, Parua omnis malitia ad malitiam mulieris. Poſſunt nonnunquam mulieres melius, ac maius damnum inferre, quàm viri. Nouerunt enim tegere ſuam malitiam ſub ſpecie boni. Vt autem ſtultitia Dei (id eſt, quod ſtultitiæ ſpeciem habet) ſapientior eſt, quàm homines, 1. Corin. 1. ſic malitia viri melior eſt quàm benefaciẽs mulier. Adde quod etiam plus nocent mulieres dum benefaciunt, & non aliter ſentiunt, quàm quod benefaciant:

faciant: quemadmodum Zares, quum ſuadebat ſuo marito Aman, vt Mardochæo crucẽ pararet, quò ipſe cum rege Ahaſuero lætus ad conuiuium iret, Heſter 5. & ſicut vxor Saturi, de qua Victor libro primo de perſecutione Vandalorum, quum dicebat ad maritum: Miſerere mei dulciſsime ſimul & tui, miſerere communibus liberis, quos conſpicis ipſe: & ſicut Iezabel, quum dicebat regi Achab triſti & decumbenti: Surge & comede panem, & æquo animo eſto. Ego dabo tibi vineam Naboth Iezraelitæ, 3. Reg. 21. Melior erat malitia, id eſt, obiurgatio viri Eliæ, de qua cap. eodem, quàm iſta mulier benefaciens. Salomon Prouerb. 27. dicit: Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis.

Præterea cùm malitia etiam ſignificet peccatum & iniquitatem, videtur vir qui peccauit quidem, ſed propter peccatum dolet ac reſipiſcit, melior, quàm mulier ſuperba, quæ benefacit quidem, ſed de ſuis benefactis gloriatur, vt Phariſæus, Lucæ 18. aut quæ officia exprobrat. Deus omnipotens, cuius imbecillitas robuſtior eſt, quàm homines, ſeruet nouos illos cõiuges, qui iam præſentes ſunt, atque nos omnes, à peccato immunes, & ſtatuat in conſpectu gloriæ ſuæ incontaminatos, cum exultatione, per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum, Amen.

Finis quadraginta Concionum ex vetere deſumptarum inſtrumento.

CONCIO XLI.

Matt. 5.

AVdiſtis quod dictum fuerit antiquis, Non committes adulterium. At ego dico vobis, quòd quicunque aſpexerit vxorem alterius ad concupiſcendum eam, iam adúlterium cum ea commiſit in corde ſuo. Quod ſi occulus tuus dexter obſtaculo tibi fuerit, erue illum, & abÿce abs te Expedit enim tibi vt pereat vnũ membrorum tuorum, ac non totum corpus tuum conÿciatur in gehennam. Et ſi dextera tua manus obſtiterit tibi, amputa eam, & proÿce abs te. Expedit enim, vt pereat vnum membrorum tuorum, ac non totum corpus tuum conÿciatur in gehannam.

1 Scopus horum verborum eſt, Chriſtũ Dominum vſque adeò non tollere legẽ Dei ſua doctrina, vt illam magis adimpleat, perfectioremque à ſuis iuſtitiam exigat, quàm fuerit Scribarum & Phariſæorum: idque declarat iam exemplo de adulterando, vt prius de occidendo. Aſſerit enim non ſolum impurum eſſe, & adulterij reum, eum qui opere alienam attingit: ſed & eum, qui vel concupiſcit, vel oculis impudicis intuetur, proxi-

mi

mi vxorem : atque multò magis eum, qui non tantùm concupiſcentiam videndi curioſitate colligit, & ad hoc aſpicit, vt oblectet ſuum aſpectum, verùm etiá verbis pudicitiam alterius ſollicitat: (Geneſ.39.) & ita non ſuæ tantùm, ſed & alienæ perditionis autor efficitur. Concupiſcentiam & lex ipſa damnat, dicens: Ne concupiſcas vxorem proximi tui. Sciebant hoc Iudæi, verùm adulterij loco haberi coram Deo cordis concupiſcentiam, non animaduertebant. Opus igitur erat, vt hoc declararetur. Nam ob eam cauſam data eſt lex, vt cordis malitiam detegeret & accuſaret.

2 Sunt autem duo viſus genera hîc conſideranda : vnum, quod concupiſcentiam præcedit: alterum, quod ſequitur. Primum per ſe quidem peccatum non eſt, carni tamen timore Dei non refrenatæ cauſam adfert concupiſcendi, hoc eſt, concupiſcentiæ malum in corde latens excitat. Alterũ, quo concepto concupiſcentiæ ſtimulo oculi ſalaces in mulierem cupidius inijciuntur, notam habet libidinis, & hac Chriſti ſententia condénatur. De hoc eſt locus Petri 2. Pet.2. Oculos, inquit, habentes plenos adulterio. Neque enim apertius teſtimonium eſt libidinis in corde gliſcentis. Vnde & duo iniqui ſeniores iuſſerunt, vt Suſanna diſcooperiretur, vt vel ſic ſatiarentur decore eius, Dan.3. Et Ieſa.3. impudicitia filiarum Iſrael notatur his verbis: Et nutibus oculorum ibant. Malũ

concupiſcentiæ huius peruerſæ, in corde quidem eſt, vnde adulteriũ, teſte Chriſto Matt. 15. egreditur: verùm illam externa obiecta, etiamſi non inferunt, tamẽ excitant & inflammant, haud aliter atque ſcintillam flatus. Obiecta verò, quibus concupiſcentia excitatur, per ſenſus capiuntur, & virus illud malum in intimis viſceribus hærens irritant: vt ſunt auditus, tactus & viſus. Senſus autem omnium velociſsimus, ac peſtilentiſs. eſt viſus, vt rectè ille dixerit, Eccleſ. 13. Nequius oculo quid creatum eſt? Per hunc obiecta ſpecies corde penitus inſculpitur, & concupiſcentia libidini amplectenda traditur. Hinc Græci dicunt; Ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίνεται τὸ ἐρᾶν. Ex viſu amor. Et vulgò Germani dicunt: Auß den augen / auß dem ſinn. Diogenes animaduertens Olympionicem quendam oculos defigere in ſcortum, adeò vt præteritum capite reflexo intueretur; Ecce vt, inquit, aries Martius à puella publica, obtorto collo vinctus abducitur. Ridiculũ exiſtimabat, certare cum electis viris, & à vili puella veluti captiuum trahi ſine funibus. Proinde magno timore Dei, & diligenti cautione cuſtodienda eſt oculorũ procacitas ac temeritas, ne laqueis illorũ irretiti, concupiſcentiæ tyrannidi ſubijciamur. Quàm enim periculoſum ſit oculis cautionis adimere frenum, & liberum permittere excurſum, præter quotidianam noſtri ſeculi experientiam, etiam aliquot ſcripturæ exẽplis declaratur. Gen. 6. Viderunt filij po-

tentum

tentum filias hominũ, quòd eſſent pulchræ, & acceperunt ſibi ex illis, quaſcunque lubebat. Gen.34. Dina egreditur incautius ad videndum mulieres regionis illius, videtur, concupiſcitur, rapitur, opprimitur. Gene.39. vxor Putipharis oculos in Ioſephum conijcit, & concupiſcentia erga adoleſcentem accenditur. Et ne quis cauſetur horum impietatem: Dauid propheta & vir Dei, cùm videret lauantem Beerſaba, videndo concupiſcit, & concupiſcendo in opus adulterij abripitur, 2. Reg. 11. Hæc non ideo dicuntur, quòd vel oculis, vel formæ muliebri peruerſi quicquam naturaliter inſit. Abſit. vtraque bonæ Dei creaturæ ſunt, in quibus ſapientia ac prouidentia creatoris etiam cum fructu conſiderari queant. Vicium non eſt in obiectis, neque in videndi organis, ſed in cordibus noſtris: quæ ſi infirmata concupiſcentia defecatisque carnis affectibus ſpiritus imperio ſubeſſent, poſſemus vtique abſque periculo, imò non abſque periculo tantùm, ſed & ad laudem creatoris quaſuis comtemplari vel mulierum, vel aliarum rerum formas, ſicuti de Abbate Pambone traditur.

Cæterùm, quemadmodum nos, cùm gladium teneri videmus à puero (teſte Chryſoſtomo) etiamſi nondum eum vulneratum inde eſſe cernamus, verberamus tamen, ac ſæpe minantes denunciamus, ne quando illum rurſus attingat: ita etiam Deus inuerecundum coercet aſpectum, ne quandoque in

ipſam quoque incidat actionem. Etſi autem cordis concupiſcentiæ adulterij coram Deo damnetur: multum tamen non in humano tantùm ſtatu & conuictu, ſed & coram Deo, inter concupiſcentiam, & opus peccati, diſcriminis eſſe oſtenditur. Multò enim grauius peccat, qui opere quoque vxorem proximi ſtuprat (id quod & ſpeciali præcepto prohibitum eſt) quàm qui illam duntaxat concupiſcit.

3 Diſcimus porrò ex iſta expoſitione legis de adulterando, non modò peccata noſtra cognoſcere, quod ſanè neceſſarium eſt, ſi ab illis abſolui voluerimus, Ioan. 9. & 1. Ioa. 1. ſed etiam quomodo Chriſtus venerit hanc legem adimplere: nimirum non ſolum imputando nobis ſuam iuſtitiam & ſanctimoniam, remiſsis peccatis & immundicijs noſtris, per fidem: verùm etiam præſcribendo nobis rationem, & tribuendo facultatem ſpiritus ſui iſtud præceptum faciendi. Ait enim: Quòd ſi oculus tuus dexter obſtaculo tibi fuerit, erue illũ, & abijce abs te, id eſt, pactionem fac cum oculo tuo nequaquam aſpicere virgines, vt Iobus fecit, Iob. 31. & auerte oculos à muliere formoſa, nec alienam contemplare pulchritudinem, vt Siracides monet, Eccleſ. 9. & 42. ac ſpiritu facta corporis mortifica, membra tua terreſtria neca, carnẽ cum ſ[illegible] affectibus & concupiſcentijs crucifige, ne regnet peccatum in corpore tuo mortali, vt obedias illi per cupiditates eius,

quem

quemadmodum Paulus docet, Rom. 8. & 6. Col. 3. Gal. 5. Denique quicquid te ad peccandum pellicit aut impellit, vita & abijce, etiamſi ſit oculo charius. Habet enim hæc particula adhortationem de vitanda peccati occaſione, ex præmiſſa de cordis adulterio ſententia natam. Quia crebrò homines per occaſiones non euitatas incidunt in adulteria aut ſcortationes. Imitatur autem hoc loco Chriſtus ſtudium boni medici, qui non ſolum morbi cauſas & grauitatem ægroto aperit, vt ſciat quàm perniciosè decumbat, ſed ſimul quid faciendum ſit præcipit, & vt infirmitatis ſuæ rationem habeat admonet, quatenus etſi nequeat in vniuerſum excutere morbum, vires illi tamẽ, & occaſionem inualeſcendi amputet. Atque hac ratione iubet quæcunque morbo vires addunt ſtudiosè vitare, niſi velit de ipſa vita periclitari. Planè ad hunc modum verus ille animarum noſtrarum medicus de vitanda peccati occaſione adhortationem ſubijcit: præcedenti diuinæ legis expoſitione morbum corruptæ noſtræ naturæ in imis viſceribus latentem aperuit, & quanti ſit periculi expoſuit. Iam conſequenter conſiderato morbi huius, id eſt, concupiſcentiæ corruptæ, ac peruerſæ ingenio, quàm neceſſarium ſit, vt omnem illi occaſionem ſeſe exerendi, & inualeſcendi amputemus, diligenter admonet.

Tantundem itaque eſt quod hìc dicit (vt

Muſculus exponit) Quoniam ita comparati eſtis, vt peruerſa ſitis concupiſcentia corrupti, & malum illud cordis veſtri opinione citius per obiecta externa, ſi illa oculos veſtros incurrant, excitetur, & ſeſe exerat: deinde quoniam ea eſt diuinæ iuſtitiæ ἀκρίβεια, vt adulterij condemnetur, quiſquis alienam vxorem ad concupiſcendum intuitus fuerit: etiam atque etiam videndum vobis eſt, niſi perire volueritis, vt infirmitatis veſtræ rationē habentes, omnem occaſionem offendiculi, aut incitamenti ſtudioſsimè declinetis: nec quicquam vſque adeò charum vobis eſſe ſinatis, cuius gratia, ſi cedat ad ruinam, ſempiterno vos permittatis obnoxios fieri exitio. Nihil tam eſt vobis affine, nihil adeò coniunctum, nihil etiam agnatum, & ita intimum, quod non ſit amputandum, ſi ruinæ occaſionem adferat; hoc eſt, ſi cauſam pręſtet contra Deum delinquendi, etiamſi membrum aliquod corporis veſtri ſit, imò præcipuum & neceſſarium membrum, qualia ſunt, oculus dexter, & manus dextera. Nam etiamſi carendum ſit his membris, ſatius tamē eſt abſque illis ſeruari, quàm cum eis abijci in gehēnam: à qua nos cuſtodiat ille, qui poteſt in nobis corda munda creare, à peccato immunes ſeruare, & ſtatuere in conſpectu gloriæ ſuæ, incontaminatos, cum exultatione, hoc eſt, ſolus ſapiens Deus ſeruator noſter, cui gloria & magnificentia, & imperium, & poteſtas, nunc & in omnia ſecula, Amen.

CON-

CONCIO XLII.

Matth. 9.

TVnc adeunt eum diſcipuli Ioannis dicentes: Quam ob cauſam nos & Phariſæi ieiunamus plerunque, diſcipuli verò tui non ieiunant? Et dixit illis Ieſus: Num poſſunt filij ſponſi lugere, quandiu cum illis eſt ſponſus? Venient autem dies, quum tolletur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt. Nullus immittit aſſumentum panni rudis in veſte veteri: aufert enim ſupplementum illius à veſtimento, & peior ruptura fit. Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres, alioqui rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt. Sed mittunt vinum nouum in vtres nouos, & vtraque ſimul ſeruantur.

1 Quæſtio hîc proponitur Chriſto (qui cum peccatoribus comederat) de ieiunio, quæ duo habet. vnum, quam ob cauſam diſcipuli Ioannis & Phariſæi crebrò ieiunent: alterum, cur diſcipuli ſui (quos tamen ipſe conetur docere viam meliorem & perfectiorem ad vitam æternam) non ieiunent, ſed vt Lucas habet cap. 5. edant & bibant? In qua expoſtulatione multa notanda ſunt. Primò:

Non mirũ eſſe, ſi nemo ex nobis tam alto manè ſurgere poteſt ut omnibus placeat, cũ & Chriſtus nunquã tam benefacere ac docere potuerit, quin fuerint, qui id reprehẽderint.

Deinde, quomodo ilicò externa religionis opera ſupercilium adducant, & ad judicandum alios permoveant eos, qui ſolida juſtitia prędití nõn ſunt: cùm tamen externa illa, non ſolùm nil ſint ſine fide & charitate, ſed & abominatio in conſpectu Dei, Ieſa. 1.

Tertiò, Quàm moroſum ſit ingenium hypocritarum, quod nullũ genus vitæ probat, niſi quod ad ipſorũ exemplar inſtitutũ eſt, nihilq; putat ſanctum, niſi quod à communi vitæ ſtatu abhorret.

Quartò, Quàm appoſitus ſit animalis homo, animalis auditor, ad hæreſis ingenium. Diſcipuli enim Ioannis (non illi, qui verã fidem à Ioanne didicerant, & mox Chriſtum ſectati ſunt, ſed qui hypocriſim tantũ è Ioanne collegerunt) contra Chriſtum & ſuos cũ Phariſæis conſpirant, cùm tamen Chriſto & Ioanni optimè convenerit. Ioannes etenim nihil aliud quæſivit, quàm gloriam Chriſti. Nihilominus tamen contra Chriſtum invidiæ zelo pro Ioanne ſuo ducuntur diſcipuli Ioannis, Ioann. 3. Ad eum modum & Corinthii faciebant, 1. Corinth. 1.

Quintò, quę veritatis ſit ſors. contra illam enim in unum conſpirant, etiam qui intra ſe aliàs diſsident: ut Ioannis diſcipuli, & Phariſæi, qui Ioannem non receperunt, Matth. 11. 21. Luc. 7.

Sex-

Sextò, non rarum eſſe, nec abſurdum alios ab alijs etiam bene concordibus aliter atque aliter inſtitui. Oportet omnino obſeruare commoditatem ſubiectorum. Hinc illud Auguſtini, Epiſt. 86. Sit vna fides vniuerſæ, quæ vbiq; dilatatur eccleſiæ, tanquam intus in membris, etiamſi ipſa fidei vnitas quibuſdam diuerſis obſeruationib. celebratur, quibus nullo modo quod in fide verum eſt, impeditur. Hæc ille. Cauendum ergo eſt, ne ob ritus externos ſcindatur fidei conſenſus, & rumpatur charitatis vinculum.

2 Porrò quemadmodum quæſtio calumnioſa, de qua diximus, duo obiecit: ita & reſponſio Chriſti duo habet. Primùm autem reſpondet ad poſterius, dicens: Num poſſunt filij ſponſi, ſeu thalami nuptialis .i. amici & ſodales ad nuptias inuitati, lugere, quàm diu cum illis eſt ſponſus, &c. Quibus verbis, nec negat diſcipulos ſuos non ieiunare, nec ieiunia calumniatur (quæ olim in publicis afflictionibus obſeruabantur à mane vſque ad veſperam, vt homines aptiores eſſent ad orandum, Iud. 20. Ioann. 3.) ſed tantum oſtendit illis nondum eſſe ieiunij tempus, propter præſentiam ſponſi, qui ipſemet erat, Ioan. 3. fore autem aliquando, vt & ipſi luctum acturi & ieiunaturi ſint, Actor. 13. 14. Vt enim totum tempus deſponſationis vſque ad nuptias curis vacat, vbi verò ſpōſus iam factus eſt maritus, & ſponſa vxor, curæ mox incipiunt, & augētur ſubinde

in finem vſque: ſic res habuit omnino cum Chriſto & diſcipulis. Interim enim dũ apud eos fuit, quibus nam moleſtijs preſsi ſunt? profectò nullis. Vnde & Dominus audet rogare, Luc. 22. Quum miſi vos ſine ſacculo & pera, & calciamentis, numquid defuit vobis? Sed poſtquam eſt ablatus ab eis, tũc impletum eſt quod prædixerat, Ioan. 16. In mundo afflictionem habetis. Tunc & ieiunarunt & precati ſunt, quò poſſent perſiſtere in tentationibus tribulationibusque.

Cæterùm cùm Chriſtus ſe ſponſum hoc loco dicat, neceſſe eſt, vt ſponſam habeat: & quoniam non legimus illum mundano more nupſiſſe, opus erit, vt nuptiæ ipſius cœleſtes ſint & ſpirituales. Hinc quaſi manu ducimur ad ſublime illud humanæ reconciliationis ac redemptionis myſterium, ab æterno quidem prædeſtinatum diuinitùs, nouiſſimis verò tandem temporibus præſtitum, & per euangelium mundo reuelatum, quod omnium pulcherrimè per nuptialis fœderis ac pacti ſimilitudinem, conſiderandum nobis hoc & alijs locis proponitur, vt videamus reconciliationem humani generis eſſe iucundiſsimam, vtiliſs. & omnium firmiſsimam, ne quo pacto illi diffidamus. Quemadmodum .n. apud magnates ac principes huius ſeculi, quando qui antea grauiter à ſe inuicem diſcrepauerant, reconciliantur, quatenus fauſta & firma ſit recõciliatio, imò maior amicitia, quàm fuerat ante diſcordiam,

con-

contrahatur & corroboretur, nuptiæ inſtituuntur: ita ad certificandam & corroborandã reconciliationis fiduciã inſtitutæ ſunt à Deo nuptiæ, ſumptis ex vtroque latere, qui connubiali vinculo coadunati, quaſi quædam reconciliationis pignora eſſent & obſignatio: nempe ex parte Dei demiſſus eſt, non angelus aliquis, ſed ipſe Dei filius vnigenitus, qui ſponſus eſſet, & ex terris in vno homine aſſumpta eſt in ſponſam ipſa humani generis natura, atque ita hoc nuptiali fœdere in vnũ coiere cœleſtia & terreſtria, Col. 1. corroborataque eſt in pepetuum iſta recõciliatio, qua genus humanum cum creatore ſuo Deo reconciliatum eſt. Deſponſatio iſta facta eſt per incarnationem Verbi, qua in vnam perſonam coadunatæ ſunt diuinitas & humanitas, quaq; factum eſt, vt filius Dei iam ſit caro de carne noſtra, & nos ſpiritus de ſpiritu ipſius. De hoc myſterio vide ad Eph. 5. Ex virtute itaque huius deſponſationis non ſolùm corroborata nobis eſt recõciliatio cum Deo, ſed ipſa humana natura omnino diuinã gloriam & potentiam in Chriſto adepta eſt; ita vt iam noſtra ſint omnia, quæ Chriſti ſunt; & vicisſim quæ noſtra erat miſeria, Chriſti facta ſit. Hinc eſt, quod Paulus dicit: Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus verò Dei. Prorſus ineffabile eſt deſponſationis huius gloria & maieſtas. Quis enarret beneuolentiam Dei, qua filium ſuum in has feces mortalium demiſsum perditisſimo hũ

mano generi etiam connubialiter coniungi voluit? Cogitent hæc ſecum, qui nuptijs interſunt. Sit etiam vel ob hoc myſterium, inter omnes coniugium honorabile, videantque hinc coniuges, quàm ſanctè ſtatum tam ſanctum colere debeant. Statuat omnis ſpõſus ſibi ob oculos exemplũ Chriſti, qui ſponſus factus eſt: & omnis ſponſa exemplum eccleſiæ. quæ ſponſa eſt.

Diſcamus inſuper ex hac parte reſponſi Chriſti, neminem ſibi ſine vocatione crucem debere imponere: ſed quando in nuptijs eſt. i. præſentibus beneficijs Dei, non ieiunare, non abijcere beneficia Dei, ſed his cum gratiarum actione vti: poſt nuptias autem. i. ablato ſponſo, & præſentibus afflictionibus, ieiunare patienter, & Dominum inuocare. Verum enim ieiunium, id eſt, crucis & officij difficultates patienter toleratas, Chriſtus longiſsimè præfert cæremoniario ac electitio.

3 Poſtremò Dominus ad primum, quod attinet ad crebra Phariſæorum & diſcipulorum Ioannis ieiunia, ſic reſpondet: Nullus immittit aſſumentum panni rudis in veſte veteri, &c. Quæ verba variè exponuntur: Alij enim his duabus ſimilitudinibus idem doceri aiunt, quod antè docuerat Ieſus de nuptias agentibus. Quidam ita exponunt, vt per veſtimentum vetus, & vtres veteres intelligant diſcipulos Chriſti, propter illorum infirmitatem, & per pannum rudem &

vinum

vinum nouum, traditionem ieiuniorum, tam quam ſeriorem, quàm quæ teneritudini diſcipulorum Chriſti conuenire potuerit. Ex quo inferunt, rudibus in fide non continuò eſſe imponenda omnia. Sed veriſimilius eſt, per vtres veteres & veſtimentũ vetus intelligi debere Ioannis diſcipulos, & per vinum nouum, Chriſtianæ fidei & libertatis doctrinam. Q. d. Chriſtus: Non eſt mirum, quòd vobis doctrina mea non arridet. Quomodo enim illam amplecteremini, qui adeò inſenuiſtis maiorum traditionibus, vt & vitam vos in illis habere putetis: vnde fit, vt libertatem filiorum Dei, & regni Dei iuſtitiam non agnoſcentes, offendamini in hoc, quòd diſcipulos meos ad ieiuniorum crebram obſeruantiam non inſtituam. Ex eo quod doctrinam ſuam Chriſtus comparat vino nouo, & immiſſuræ panni noui, documentum accipimus, non ſemper malum eſſe, quod nouum eſt. Quanquam Euangelion Chriſti, quod pollicetur remiſsionem peccatorum gratis per fidem propter Chriſtum, non ideò nouo panno confertur, quòd ſit religio recens excogitata (eſt enim in paradiſo prædicatum, & ſubinde magis magiſque illuſtratum:) ſed quòd Phariſæis & diſcipulis eorum inauditum, inſolitum & incognitum erat, & videbatur ipſis noua religio. Vtinam nec nos, qui Euangelici vocamur, immittamus vinum nouum in vtres veteres .i. ne miſceamus actus

veteris hominis & noui, ſed exuto vetere hõmine cum actibus ſuis, induamus nouum, in Chriſto Ieſu Domino noſtro, Amen.

CONCIO XLIII.

Matth. 16.

Tunc Ieſus dixit diſcipulis ſuis: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, ac ſequatur me.

1 Nullum genus perſonarum eſt, quod per ſe impediat hominem, quò minus poſt Chriſtum venire poſſit, hoc eſt Chriſti diſcipulus ſeu Chriſtianus, & ſaluus fieri, & ibi eſſe, vbi Chriſtus eſt, eiuſdemque maieſtatis particeps reddi. Dicit enim filius Dei Ieſus ad omnes, teſte Luca cap. 9. quum conuocaſſet turbam vnà cum diſcipulis ſuis, vt Marcus ſcribit, cap 8. Si quis vult: q.d. Neminem cogo, neminem crinibus attraho, voluntarium & ſpontaneum peto: ſed neminẽ etiam excludo, ſi quis ſiue vir ſiue mulier, ſiue maritus, ſiue cœlebs, ſiue magiſtratus, ſiue priuatus, &c. voluerit poſt me venire, & euangelio nomen dare, hunc recipiam. Nullus ergo in matrimonio conſtitutus dicat, Vxorem duxi, & ideo non poſſum venire, Luc. 14. Hæc enim excuſatio calua non accipitur. Nemo etiam attendat ſpiritibus impoſtóribus, ac doctrinis dæmoniorum per ſimu-

ſimulationem falſiloquorum, cauterio notatam habentium conſcientiam, prohibentiũ contrahere matrimonium, 1. Tim. 4. abhorrentium à coniugio, & tãquam rem prophanam damnantium: quales fuerũt Encratitæ, de quibus Euſebius lib. 4. Eccleſ. hiſt. cap. 28. & Irenæus de Continentibus cap. 30. lib. 1. Tatiani, Cathari cum ſua ſecta, Manichæi, Hierax, nec non Syricius Papa, qui dicit, coniugium eſſe in carne viuere, & Deo placere non poſſe: Diſt. 82. Can. 2.

2 Quoniam autem omnes cupiunt Chriſti eſſe & poſt eum venire, in quocunque tandem ſtatu ſint: operæ precium eſt, indicare modum, quo id effici queat. Multi enim hoc volunt, ſeu potius velle dicunt, ſed interim viam quæ huc ducit non curant, neque ambulare volunt: cùm tamen nullus ordo ſit vel fuerit in Papatu, ſiue Auguſtinianorum, ſiue Franciſcanorum, ſiue aliorum, qui non cognouerit & diligenter ſeruauerit ſui Ordinis regulam. Itaque & nos Chriſtiani ſeruemus noſtram: de qua hoc loco ipſe Chriſtus: Etenim ſi quis, inquit, vult meus eſſe, abnegato ſeipſo, & cruce ſublata, me ſequatur, vel ad exemplum meum ſe conformet.

Ergo Chriſti diſcipulus cenſeri debet, qui verus eius imitator exiſtit, ac in eodem currere ſtadio paratus eſt. Nam diſcipulorum eſt, vt præceptores ſuos ſequantur.

3 Breuem autem imitationis regulam præſcribit, vt ſciamus qua præcipuè in re vo

lit ſibi nos eſſe ſimiles:ea verò duobus modis conſtat, abnegatione noſtri, & voluntaria crucis tolerantia. Abnegatio hæc latè patet, vt ſcil. renunciantes proprio ingenio, & omnibus carnis affectibus valere iuſsis, parati ſimus in nihilum redigi, modò in nobis viuat ac regnet Deus. Nam abnegare ſemetipſum eſt voluntatem ſuam, affectusque proprios exuere, & alterius voluntati ac poteſtati ſe tradere, eique viuere, cuius voluntati nos addixerimus. Non quæro, ait Chriſtus (qui ſeipſum exinaniuit, Philip.2.) voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me, Ioan. 5. & Luc.22. Pater non mea voluntas, ſed tua fiat. Denique abnegare ſeipſum eſt animæ ſuæ bona (conſtituimur enim ex corpore & anima, & habet vnaquæque pars ſua bona, quibus accedunt & ea, quæ vocantur fortunæ bona) ita faſtidire, vt etiamſi auferantur, & iudicemur aut ſtulti, aut indocti, aut iniuſti, aut alio animi vitio obnoxij, non tamen derelinquamus Chriſtum & vocationem eius: eſt bona corporis ſui ita contemnere, vt etſi auferantur, non tamen reddamus malum pro malo, (1. Pet. 2.) nec abnegemus Chriſtum, ſed in Chriſti confeſsione & vocatione eius perſiſtamus: eſt bona fortunæ ſuæ ita negligere, vt etiamſi auferantur, non tamen diſcedas à confeſsione Chriſti: eſt animum à ſuis bonis ita liberum habere, vt non mouearis ad perpetrandam iniquitatem, etiamſi auferantur.

De

De cruce tollenda ideo Chriſtus concionatur, quia etſi communibus miſerijs promiſcuè ſubiecta eſt omnium vita (adeoque & coniugum, de quibus 1. Cor. 7. Apoſtolus inquit: Attamen afflictionem in carne habituri ſunt huiuſmodi) quia tamen peculiariter Deus ſuos exercet, vt conformes reddat imagini filij ſui, hanc illis legem propriè dici non mirum eſt. Crucis dictio hîc metaphoricè ſumitur pro quauis afflictione, maximè extrema. Nam ad imitationem ſuæ crucis, quam grauiſsimam laturus erat, omnemque afflictionũ tolerantiam abſoluturus, hac voce crucis vtitur Chriſtus, oſtendens non ſolum leues quaſdam afflictiones, ſed & planè extremas diſcipulis ſuis ferendas eſſe: quia non dicit, Tollat paupertatem, ignominiam, famem, &c. ſed crucem, in quo admonemur, quantum exigat Chriſtiana profeſsio fidei robur, & non ſolum bonorum huius mundi, ſed & propriæ vitæ abnegationem.

Quòd dicit, crucem ſuam, eo admonemur homini Chriſtiano non eſſe tollendam quáuis crucem, ſed ſuam. Quæ illa eſt? crux Chriſtianorum duplex eſt. Vna eſt omnibus communis, de qua Galat. 5. Qui Chriſti ſunt, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiſcentijs. Crux eſt, vt faciamus obedienter ea bona opera, quæ ipſe Deus verbo ſuo facienda præcepit. Hæc enim, etſi iucunda ſunt ſpiritui, tamẽ carni ſunt crux gr

niſsima. Si quis exempli gratia, læſus fuerit à proximo, tūc caro excitatur ad iram & cupiditatem vindictæ. Hic verbum Dei iubet ab ira & vindicta abſtinere. Qua iuſsione imponitur carni grauiſsimum onus. Altera crux eſt, quam Dominus cuique ſpecialiter imponit, vt feramus patienter omnia aduerſa, quæ nobis vel propter iniuſtitiam, vel propter iuſtitiam accidunt, & quæ non poſſumus legitimè ac in vocatione Dei perſeuerantes effugere. Sicut autem grauis crux eſt carni, cedere voluntati Dei in faciendis bonis operibus, quæ Deus præcepit: ita intolerabile ei onus videtur, cedere volūtati Dei in perferendis patienter malis, quæ nobis accidere ſolent. Crucem ergo ſuam (quid enim ad te, quantam alius portet crucem, leuiorem ne tua aut grauiorem, Ioan. 21.) tollere, non eſt ſibiipſi crucē eligere, quam vult, vt fecerunt ſacerdotes Baal, Circumcelliones, &c. ſed eam quam Dominus immittit.

Quòd non dicit, ferat, vel portet, ſed tollat crucem ſuam: eo exigitur, non ſolùm vt feramus quæuis aduerſa pro Chriſto, ſed & cū gaudio & alacri mente feramus, crucisque oneri humeros libenter ſubijciamus, Iac. 1. Actor. 5. Heb. 10.

Apud Lucam additur particula Quotidie: cui ſubeſt magnum pondus. Significat enim Chriſtus nullum militiæ noſtræ fore finem, donec è mundo exeamus: ne quis exiſtimet ſe defunctum hac cruce ferenda, ſi

vnam

vnam tantum perpeſſus fuerit: ſed perſiſtendum eſt vſque ad finem, donec curſum conſummauerimus. Sit igitur hæc aſsidua piorum meditatio, vbi pluribus ærumnis perfuncti fuerint, ad nouas ferendas ſe parare, nec vnquã fatigentur, etiamſi quotidiana ſit crux illorum. Et hoc eſt, quod Dominus Ieſus dixit, Matth. 10. Qui perſeuerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit. Graue quidem, quotidie premi cruce: graue quoque habere vxorem rixoſam, quæ inſtar perfluentis ſtillicidij eſt: ſed ſi cogites etiam Chriſtũ Dominũ tuliſſe crucem ſuam, & quotidie multa ferre à ſponſa ſua: item ſi vitæ ſequentis æternitatem, & iſtius breuitatem & fugacitatem conſideres, leue erit quod in ſe graue putatur: idque per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, cui ſit gloria & imperium in omne æuum, Amen.

CONCIO XLIIII.
Matth. 19.

ET acceſſerunt ad eum Phariſæi, tentantes eum, & dicentes ei: Licet ne homini diuortium facere cum vxore ſua qualibet ex cauſa? Qui reſpondens ait eis: An non legiſtis, quòd is qui fecit ab initio maſculum & fœminam fecit eos?

Et dixit, Propterea deſeret homo patrem et matrem, et adglutinabitur vxori ſuæ, & erunt duo in carnem vnam. Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro. Quod ergo Deus copulauit, homo ne ſeparet.

1 Iſta verba nouis coniugibus apud nos quando benedicuntur in eccleſia (pertinent autem benedictiones nouorum coniugum ad pręcepta de oratione, 1. Tim. 2. & 1. Tim. 4. Paulus iubet cibis & matrimonio vti cum gratiarum actione) prælеguntur, idque duas ob cauſas, ſicuti ibidẽ legitur. Primùm vt intelligant ſe in hoc ſtatu poſſe Deo placere. Deinde, vt iugum coniugij (habebunt enim, vt ait Paulus, afflictionem in carne, qui in coniugio ſunt) patientius ferant. Hanc enim conſolationem, & illam doctrinam accipere poſſumus ex iſtis verbis. Quanquam & alia hinc diſcere licet, perpenſis ſingulis verbis.

2 Proponunt autem Phariſæi Chriſto hanc quæſtionem, liceat ne homini diuortium facere cum vxore ſua qualibet de cauſa? Sed hoc quærunt non diſcendi, ſed tentandi cauſa, id eſt, occaſionem captant, qua ipſum vel populo inuiſum reddant, vel quæſtionibus irretitum in vitæ periculum adducant. Dominus omnibus benefaciebat, atq; ideo ſpargebatur longè lateque fama illius gloriæ: at hoſtes veritatis inuident Domino gloriam,

gloriam, dolentque quòd plebs deſertis ſacerdotibus & ſcribis Domino adhæreret. Adiunt ergo confertim Phariſæi. Et quanquam inſidias Chriſto tendunt, & doloſè eum adoriuntur vt circumueniant, vtiliter tamen nobis ceſsit eorum malitia: ſicuti Dominus mirificè in ſuorum vtilitatem conuertere nouit, quæcunque ad veræ doctrinæ ſubuerſionem machinantur impij. Nam hac occaſione ſoluta fuit quæſtio, quam pariebat repudij libertas, & de ſacro ac inſolubili coniugij nexu certa lex tradita. Inde autem arrepta eſt captionis anſa, quia in vtranque partem ſecundum ipſos non niſi odioſa eſſe poterat reſponſio. Nam quæſtio admodum inſidioſa eſt, vt ſi neget Chriſtus atque damnet diuortium, obijciant ei Moſem, clamentque, impiè ab ipſo legem abrogari, Deut.24. quæ permittit quauis de cauſa dare repudij libellũ, ac dimittere: ſin permittat ſimpliciter, dicant eſſe magiſtrum licentiæ & corrruptelæ morum, imò lenonem potius quàm Dei prophetam, qui ſic virorum libidini indulgeat: aut ſecum pugnare, quum prius docuerit, non licere repudium, Matth.5. Hoc quidem animis conceperant. Sed filius Dei (qui nouit ſapientes in aſtutia ſua deprehendere) eos fruſtratus eſt illicitis repudijs ſeuerè reſiſtens: & ſimul tamen demonſtrans nihil ſe niſi legi conſentaneum proferre. Nam duobus capitibus totam rem concludit: ordinem creationis

debere eſſe inſtar legis, vt vir coniugalem fi-
dem tota vita colat: diuortia autem eſſe per-
miſſa, non quòd licita ſint, ſed quia cum præ
fracto & indocili populo negotium erat.

3 Verba reſponſionis Chriſti ſic ſe habẽt; Annon legiſtis) Quia mouebatur quæſtio à Phariſæis, qui apud populum de Scripturæ ſciẽtia gloriabantur, ita loquitur Dominus, q.d. Quid me interrogatis hypocritæ? Scripturam habetis, quam & legitis, atque ideo ignorantia excuſari non poteſtis.

Quòd is qui fecit) ſubaudi hominem.i.opifex deus. ab initio) creationis, vt Marcus addit, cap.10. maſculum & fœminam fecit eos?) vel Deus ſic homines condidit, vt ſint maſculus & fœmina.i. ſimul viuant: vel ſic inſtituit primum coniugium, vt vnus vni indiſſolubili copula iungeretur. Non dicit, Maſculum & fœminas, vt vni maſculo liceat plures fœminas poſsidere. Non.n. duas aut tres coſtas detulit de latere viri, & duas aut tres fecit mulieres. Quanquam olim conceſſæ ſunt maioribus Hebræorum plures vxores, partim ad augendam ſobolem, quæ ſtellas cœli numero ęquaret, partim propter myſticam rationem, de qua aliâs. Vide ſi placet Magiſtrum ſententiarum lib. 4. Diſt. 83. Neque etiam dicit, Maſculos & fœminam, vt vni fœminæ liceat plures viros accipere. Neque, ſcortatorem & meretricem. Diabolus enim tales facit. Sed dicit, Maſculum & fœminam creauit eos, Gen.1. Nam in nume
ro duas

ſo duali inſiſtit. Sicuti & Malachias cap. 2. qu m aduerſus polygamiam inuehitur, eandem rationem adducit, quòd Deus in quo abundantior erat Spiritus, vt in eius arbitrio eſſet plures creare, vnum tamen fecerit hominem, nempe qualis hîc deſcribitur à Chriſto. Ergo ex ordine creationis, ſiue vetuſtate ordinis, hoc eſt, ex prima inſtitutione Dei, & creatione (ad quam omnia ſemper conformanda ſunt, & ex ea abuſus corrigendus) primò probatur matrimonij firmitas, id eſt, indiuidua viri cum vna vxore ſocietas, & quomodo ſinguli viri ſingulas habeant vxores.

Si quis obijciat, hoc modo non fore licitum, mortua priore inducere alteram: facilis eſt reſponſio, nō modò vinculum morte ſolui, ſed vxorem ſecundam à Deo ſubrogari in locum prioris, quaſi vna & eadem eſſet.

Et dixit) ſcilicet non Moſes, ſed conditor Deus per Adamum, ceu prophetam, Gen. 2.

Propterea) i. huius mutuæ charitatis gratiâ deſeret homo patrem & matrem, & agglutinabitur vxori ſuæ.) Alterum argumentum ab excellentia coniugalis copulæ ſumptum. Si à parentibus non licet temerè diſcedere, multò minus à coniuge, cui arctius adſtricti ſumus, vtpote qui ob hanc ab illis receſſerimus, & qui cum hac vna caro facti ſimus, quod vinculum non fuit cum parentibus. Sancta quidem eſt naturalis illa patris & matris cum filijs coniunctio: verùm mariti & vxoris ſanctior. Deferenda eſt ergo potius

patris ſocietas, ſi res ita exigat, quàm vxoris? Hinc ſequitur, diuinum vinculum abrumpi, ſi vir ab vxore diuortium faciat. Relinquet inquit, i. non deſeret prorſus, abrupta omni ſubiectione, amore & officijs (nam præceptum, Honora parentes, ſolui non poteſt: quia ſecum ipſe pugnaret Deus, ſi coniugio aboleret, quam filijs erga parentes pietatem mandat) ſed diſcedet, propriam familiam & domum conſtruendo. Chaldæus habet, Relinquet cubile parentum. Quare iſtud diſcedere aliqui exponunt de vitando inceſtu. Obſeruetur hîc etiam metaphora agglutinationis, quæ etiam in Hebræo eſt. Quæ enim conglutinantur, arctiſsimè coniunguntur, & planè vnum corpus fieri cenſentur. Porrò de myſterio horum verborum videris Paulum ad Eph.5.

Et erunt duo in carnem vnam) Tertium argumentum à modo coniunctionis. Vt enim qui ſpiritualiter ſe diligunt, multorum animæ quaſi vna anima eſſe dicuntur, Actor. 4. ſic etiam vir & vxor, qui carnaliter ſe diligunt, vna caro dicuntur, vnusque homo, vel vna perſona. Sic Anshelmus exponit: Et erunt duo in carne vna, non tres, id eſt, in carnali copula. Itaque quia vnum facit carnalis coniunctio, iam non ſunt duo, ſed vna caro, quod facit coniunctio carnalis. Hinc Paulus virum caput vxoris eſſe dicit, & vxorem corpus viri.

Vt igitur ſcelus eſt, in duo diuidere vnam

car-

carnem: ſic & mulierem à viro ſuo diripere iniquiſsimum eſt. Addit enim Chriſtus: Itaque iam) ſiue poſthac, nempe poſt initum coniugium. non ſunt duo, ſed vna caro) .i. non amplius ſunt duo diuerſi homines, ſed vnus homo: quem denuò diſcerpere in duos, nefas eſt. Creati fuerant duo, non vnus, nimirum maſculus & fœmina: rurſus copula matrimonij è duobus reddidit vnum. Igitur tam præter naturam fuerit, vxorem à viro diuellere, quàm membrum à corpore reſcindere. At qui vxorem repudiat, quaſi dimidiam ſui partem à ſeipſo auellit. Hoc autem minimè patitur natura, vt corpus ſuum quispiam diſcerpat.

Cæterùm in Geneſi cap. 2. vnde locus iſte ſumptus eſt, non legitur Duo: ſed tantùm, Et erunt in carnem vnam. Sed Matthæus addit Duo, explicandi gratia: vt addidit & Paulus, 1. Corinth. 6. aut vterque ſequutus eſt ſeptuaginta Interpretes. Quòd porrò dicit illos duos iam vnum eſſe, intellige primùm de tot mutuis iuribus, quibus ſunt ſibi inuicem obligatiſsimi, vt perinde alter alterum, vt ſuam propriam carnem fouere teneatur: deinde de mutuo amore ac ſympathia, quòd perinde ſeſe mutuò ament, ac membra inuicem, poſtremò de tot mutuis neceſsitatibus, adeò vt alter ſine alterius ope, ſicut membra vnius corporis viuere nequeant: quam vnitatē hominis Deus etiam eo ipſo indicauit, quòd mulierē ex ipſo corpore viri deſūpſit,

Quare iam nec vir ſine muliere, nec contrà, in Domino, teſte Paulo, 1. Cor. 11.

Quod ergo Deus copulauit, homo ne ſeparet) Græcus habet: ζυνέζευξεν, id eſt, coniugauit, & eodem iunxit iugo. Hinc coniuges vocantur, quòd in lætis pariter ac triſtibus communicantes, velut idem ducunt iugum. vt Aquila & Priſcilla, Acto. 18. Translatum eſt enim à bubus ſimul ducentes idem iugū: Bonum coniugium, inquit Baſilius lib. 3. de virgin. ſed tamen à iugo tractum. Idem in Hexamero coniugium vocat iugum naturæ. Hoc eſt quartum argumentum ab autoritate conditoris ſumptū: & illuſtratum emphatica ſimul & eleganti antitheſi Dei & hominis, coniunctionis & deſiunctionis. Coniungit autem Deus per parentum & ipſorū coniugum conſenſum, & per miniſtrum eccleſiæ. Hac ſententia frenat Chriſtus virorum libidinem, ne vxores repudiando, ſacrū nodum abrumpant. Quemadmodum autem in viri arbitrio eſſe negat cōiugium diſſoluere; ita & alijs omnibus legem edicit, ne ſua authoritate illicita repudia confirment. Deus Opt. Max. det nobis omnibus & ſingulis ſpiritum ſuum ſanctum, qui eſt ſpiritus ſapientiæ, intelligentiæ, iudicij, ne vnquam coniungamus ſeparanda, ſeparemúſue coniungenda, per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum, Amen.

CON.

CONCIO XLV.

Matth. 19.

Dicunt illi: Cur ergo Moſes iuſſit dare libellum repudij, ac dimittere eam? Ait illis: Moſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis repudiare vxores veſtras, cæterùm ab initio non fuit ſic. Dico autem vobis, quòd quicunque repudiauerit vxorem ſuam, niſi ob ſtuprum, & aliam duxerit, is committit adulterium. Et qui repudiatam duxerit, is adulterium committit.

1 Obijciunt aduerſarij, vt anteà meditati fuerant, Chriſto Moſen, Deut. 24. tanquã contrarium, illum certè inſtituiſſe repudiũ. Si, inquiunt, hæc eſt matrimonij inſolubilis firmitas: vt tu pronunciaſti: quare ergo Moſes legem de repudij dando libello, & vxoribus, ſi non acceptæ ſint, dimittendis, dedit? An Moſes iuſsit quod illicitum eſt? Tu dicis eſſe illicitum: Moſes verò fieri iuſsit, nosq; ſeduxit. Ergo vis tibi plus habendum eſſe fidei, quàm Moſi. Moſes verò hanc legem, vt cæteras, à Deo accepit. Ergo tu repugnas diuinæ doctrinæ. Ad patrocinium viri ſanctiſsimi Moſis confugiunt: ſicut ſolent homines facere malam cauſam habentes,

confugiunt ad potentes viros, vt ſi per inſcitiam non poſſunt, vincant per perſonam.

2 Sed quid reſpondet Chriſtus? Negat Moſem mandaſſe: ſed permiſiſſe tantùm, idque ob ſingularem duritiem cordis eorum, vitandi nempe maioris mali cauſa, ne fortè interficerent vxores, vt Hieronym. exponit, aut in coniugio ſcortarentur: ſed Deum creatorem à principio non ſic ordinaſſe, cuius ordinatio perpetuò valere debeat. Moſes, inquit, πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν (quam Moſes ipſe, Iſraeli nō ſemel exprobrauit, nominatim verò Deuter. 9. & 31.) permiſit (non præcepit, quaſi Deo probaretur, aut natura rectum eſſet: neq; enim is probat diuortium, qui hoc maluit admitti, quàm homicidium) vobis repudiare vxores veſtras: cæterùm ab initio non fuit ſic: quum ſcilicet nondum increuiſſet hominum malitia: neque nunc relaxabitur idem ius, poſteaquam euangelica doctrina renouat ac perficit naturæ ſynceritatem. Sequitur enim in reſponſione Chriſti, Dico autem vobis, quòd quicunque repudiauerit vxorem ſuam, niſi ob ſtuprum (mulier enim ſcortando ſe quaſi putridum membrum à viro reſcindens, eum liberat, vñ bricht die ehe.) & aliam duxerit, is committit adulterium. Et qui repudiatam duxerit, is adulterium committit. Quanquam hæc verba (quibus Chriſtus indicat, quatenus liceat dimittere, aut non) Marcus cap. 10. ſeorſum diſcipulis fuiſſe dicta refert, quum domum veniſſent.

ſent. Matthæus autem omiſſa hac circumſtantia ſermonem contexit, vt ſæpe Euangeliſtæ medium aliquid relinquunt, quia ſatis habent rerum ſummas colligere. Nihil ergo diſcriminis eſt, niſi quòd alter altero diſtinctius rem exponit.

Diſcendum quoq; ex iſtis Chriſti verbis, virorum eſſe diligere vxores ſuas, & non temerè priuata authoritate, Iudæorum more illas repudiare, ob quamuis leuiculam occaſionem, aut etiam propter corporis, vel animi vitium: quod potius corrigendum, aut ferendum Chriſtiano homini, ſeu diſcipulo Ieſu Chriſti: qui & ipſe multa vitia atq; peccata ſuæ eccleſiæ eiusque membrorum tulit, ac etiamnum fert, Ieſ. 53. Matt. 8.17. Rom. 9.

Item, deliberandum diu, quod ſtatuendũ eſt ſemel: non enim licet amplius ductam vxorem, quam quis legitimè coniunctam habet, quæ & vxorem præſtat, dimittere, niſi intercedat adulterium (quod grande peccatũ eſſe ſcimus ex Geneſi 39. Leuit. 20. Iud. 19. 20. Eccleſ. 23. 1. Corinth. 6. Heb. 13. & alijs innumeris ſcripturæ locis) vel infidelis coniunx diſcedat. Hanc enim adhuc cauſam repudiorum, Paulus concedit, 1. Corinth. 7. quæ videlicet ex religionis diſsidio oritur. Si vir infidelis (vt ſcribit Theophyl. in eum locum Pauli) vxori fideli iniungat vt ſecum ſentiat, & particeps ſuæ infidelitatis fiat, dirimat potius matrimonium mulier, & à viro abſcedat. Satius enim eſt connubium

ipſum diſſoluere, quam pietatem in Dei cultum dimittere. Huius cauſæ repudij Anſelmus hanc rationem reddit: Cum propter infidelitatem, inquit, coniunx dimitti poſsit, & iuxta Domini ſententiam dimitti nequeat, niſi cauſa fornicationis: manifeſtum eſt, & infidelitatem eſſe fornicationem. Quia ſcilicet idololatria, quá ſequuntur infideles, & quælibet noxia ſuperſtitio, fornicatio eſt. Vide Lombar. lib. 4. Diſt. 39. Quidam alias cauſas excogitant propter quas poſsit altera partium repudiari: ſed cauendum ne ſupra magiſtrum cœleſtem ſapere velimus, dum præter eius verbũ aliquid fingere audemus. Minimè verò approbádum iſtorum facinus, qui ob monachiſmum vxores deſerunt. Ná ſi Paulus iubet (vt Eraſmus lib. 3. de Rat. concio. argumentatur) vxorem Chriſtianam manere in contubernio & obſequio mariti increduli & idololatræ, ſi modò ille nõ quærat diuortium, quantò minus conuenit, vt ob factitiam religionem ſpõſus ſponſam deſerat?

3 Porrò quærunt aliqui: Num Moſi licuerit tale quid concedere, quod cum prima cõiugij inſtitutione pugnare, & proinde Deo minus probari poſſe ſciebat? Et illud Apoſtoli obijciunt, Roman. 3. qui impiorum vocem eſſe ait: Faciamus mala, vt veniant bona. Vbi reſpondemus cum Gualthero ſcribente in Marcum, Borrhao in Deuteronomium, Muſculo in Matthæum, Moſem quidem hîc nominari, ſed eundem vt Dei ſeruũ con-

conſiderādum eſſe, qui nihil in Dei legibus vel mutare, vel ſaltem aliqua ex parte abſq; ſingulari ſpiritus ſancti ſuggeſtione illis contrarium permittere voluerit. Nam fidelem ſeruum fuiſſe in tota Dei domo, ipſius Dei teſtimonio abundè conſtat, Numer.12.Heb.3. Quare ad ipſum Deum iſta conceſsio referri debet, cui de ſuo facere licet quodcunque ipſi libuerit. Ergóne, inquis, ſibijpſi contradicit Deus, & temeraria quadam leuitate leges figit atque refigit? Nequaquam. Imò ſi probè rem excutiamus, nulla hîc contradictio ſubeſſe apparebit, quando non eodem reſpectu dicuntur, quæ olim per Moſem tradita, & hîc per Chriſtum plenius ac luculentius expoſita ſunt. Non idem vterque, ſed diuerſa in docendo ſpectauit: alter nimirum Hebrææ gentis legi ſubiectæ duritiem, & puerilis ætatis, quam populus ille vixit, infirmitatem: alter lenitatem & perfectionem adultioris ætatis, quam degunt ij qui feruntur ſpiritu adoptionis: alter item quid per ſe fas ſit fieri, alter, quæ ad declinanda maiora mala imbecillis & imperfectis ad tempus permittuntur, conſiderauit. Moſi cum populo duræ ceruicis res fuit, cum quo variæ rationes ineundæ erant, vt peccata, quæ in totum impediri non poterant, ſaltem aliquo modo coercerentur. At Chriſtus ijs loquitur, quos ex ſemine verbi Dei renatos, ſpiritu adoptionis duci, & ad Chriſtianam perfectionem indies contendere oportet, 1.Pet.1. Rom.8.

Deinde Moſes vxorem repudiare nō ſimpliciter iuſsit, ſed ſi id ipſi vellent facere, qua ratione id fieri debeat, docuit.

Ad hæc non quamuis ob cauſam diuortium fieri voluit, ſed tum demùm illud cōceſſit, ſi quis in vxore rem fœdam deprehendiſſet, & ſibi intolerabilem, etſi non eiuſmodi eſſet, quæ publicis legibus plecteretur.

Præterea modum & rationem talem præſcripſit, quæ ad prohibendum diuortium, & pacem inter coniuges diſsidentes conciliandam plurimum ſeruiebat. Nam (vt apud Auguſtin. legimus lib. 19. contra Fau. Manich. cap. 26.) moram interpoſuit, vt in diſsidium animus præceps, libelli conſcriptione refractus abſiſteret, & quid mali eſſet vxorem dimittere cogitaret, &c.

Poſtremò iſta repudiorum ratione non vitæ modò, verumetiam famæ vxorum conſulebatur, ne ob adulterium, aut aliud quodpiam ſcelus capitale repudiatæ eſſe, aut ipſæ maritos turpiter deſeruiſſe viderentur. Nam etiam hunc libellorum repudij vſum fuiſſe ex Ieſaia cap. 50. patet: apud quem Deus Iudæorum ſynagogam accuſans, quòd priuſquam eijceretur, ipſa ſponte defecerit, vt amores ſuos idololatricos ſequi poſſet, inter alia ait: Vbi eſt libellus repudij matris veſtræ, quo eam dimiſerim? Q.d. Si de mea moroſitate quiritamini, quaſi iniquius vos reiecerim, agedum proferte libellū repudij abs me vobis datum. At non poteſtis quicquam tale

tale proferre. In vobis ergo omnis culpa hæret, nec repudiatis vxoribus, ſed turpiſsimæ adulteræ ſimiles eſtis, quæ marito relicto amatores ſuos ſectatur, &c. Quoad ergo conſilium ſiue priuilegium per Moſem datum, iſta repudiorum ratio mala non erat: meritò autem reprehendi debebant Iudæi, qui hanc in effrenem ſuæ libidinis licentiam conuerterant: quæ cauſa eſt, quòd illos Dominus nunc arctioribus terminis conſtringit.

Habemus in his exemplum memorabile, quæ optima ſit in legibus ciuilibus diſpenſandi ratio, & quando illa admitti, quando item legum authoritas ſeuerius vrgeri ac retineri debeat. Chriſtus Ieſus Dominus & ſeruator noſter det nobis intellectum in omnibus, Amen.

CONCIO XLVI.

Matth. 19.

DICVNT ei diſcipuli eius: Si ad iſtum modum habet cauſa hominis cum vxore, non expedit contrahere matrimonium. Qui dixit illis: Non omnes capaces ſunt huius dicti, ſed ij quibus datum eſt. Sunt enim eunuchi, qui de matris vtero ſic nati ſunt: & ſunt eunuchi, qui facti ſunt eunuchi ab hominibus: & ſunt

eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum. Qui poteſt capere, capiat.

1 Duram eſſe conditionem matrimonij diſcipuli colligunt ex eo, quòd non licet dimittere vxorem, niſi fornicationis cauſa, ſed neceſſe eſt illam retinere qualemcunque, vel certè adulterium incurrere, vel illi cauſam dare. Quam quidem collectionem Dominus non videtur omnino improbare. Habet enim matrimoniū multas moleſtas: iuxta illud Apoſtoli: Afflictionem autem in carne tales habebunt: aperientes ſibijpſis per nuptias dolorum officinam, vt ſcribit Baſilius lib. de Virginitate. Eum enim, vt idem ſcribit ad Gregorium Theologum, Epiſt. 1. qui coniugio occupatus eſt, alius curarum tumultus excipit, ſi liberis careat, liberorum concupiſcentia: ſi liberos acquirat, de educãdis ſolicitudo, vxoris cuſtodia, domus cura, ſeruorum ac familiæ gubernatio, commerciorum detrimenta, contentiones cum vicinis, litium in foro iudiciali conflictus, negotiationis pericula, agriculturæ labores, &c. Cùmprimis autem dura videtur eſſe ſeruitus, domi habere ac ferre moroſam, rixoſam, temulentam, aut ſimili vitio moleſtam mulierem, &, vt Chryſoſtomus ſcribit, tam atrocem beluam in penetralibus domus ſæuientem fouere, Prouerb. 21. 25. Eccleſ. 25. Vſi erant Iudæi magna licentia repudiandarum

vxorum:

vxorum: qua adempta, vt illicita, cogitabant etiam Apoſtoli ſatius eſſe, & expedire (non quidem ad ſalutem æternam, ſed ad commo ditatem vitæ præſentis) nullam prorſus vxo rem ducere.

2 Sed Dominus dicit, Non omnes capiunt hoc dictum ſeu verbum .i. non omnes præſtare poſſunt hanc rem, ſeu hoc genus vitæ: neque omnes hac moleſtia nubendi poſſunt eſſe liberi, niſi quibus datum eſt, ſcilicet diuinitùs. Quibus verbis Dominus primùm clarè demonſtrat, non omnibus datum eſſe continentiæ donum, ſed id eſſe ſpeciale, & perpaucorum, propterea quod hic affectus corporis ſic omnium eſt communis, vt non alius ſit violentior, aut inuincibilior. Hinc D. Paulus inquit, 1. Corinth. 7. Nam velim omnes homines eſſe, vt & ipſe ſum. Sed vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius autem ſic.

Deinde oſtendit hanc commoditatem nō eſſe humani arbitrij, ſed diuini muneris, id eſt, continentiam eſſe Dei donum, non naturæ virtutem, iuxta illud Sapien. 8. Et vt ſciui quoniam aliter non poſſem eſſe continēs, niſi Deus det (& hoc ipſum erat ſumma ſapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum) adij dominum, & deprecatus ſum illum, &c. Vnde conuincitur eorum ſuperbia, qui ſibi arroga re non dubitant, quod tam clarè Chriſtus adimit. Qui enim continentiæ dono prædi ti non ſunt, ſcire debent ſe ad cōiugium crea

tos eſſe,ac ſe coniugio vti debere,non modò vt ſuo malo ſubueniant,ſed potius vt Dei ordinationi obſequantur. Ita enim Paulus ſeribit,1.Corinth 7. Dico autem inconiugatis & viduis,bonum eſt eis,ſi manſerint, vt & ego: quòd ſi ſe non continent, contrahant matrimonium. Nam ſatius eſt matrimonium contrahere,quàm vri, ſeu ardere, ſcilicet, libidine. Tolle de Eccleſia (inquit Bernhard. Ser.66. ſuper Cant.) honorabile cõiugium, & thorum immaculatum, nónne reples eam concubinarijs,incæſtuoſis, ſeminifluis, mollibus, maſculorum concubitoribus & omni denique genere immundorum?

3 Quibus autem hoc datum eſt,& qui nam poſſunt cœlibes viuere? Chriſtus tria genera eunuchorum recenſet. Alij enim eunuchi ſunt naturales,alij artificiales, alij diuini. Primum igitur genus eorum eſt, qui natura ſunt ſpadones,nec poſſunt, aut non appetũt congredi cum muliere.i. qui ſic naſcuntur, qui naturæ defectu laborant, & ad matrimonium ſunt inepti, qui vitio naturæ frigidioris abhorrent à re vxoria, aut alio quopiam occulto naturæ affectu. Vnde Auguſtinus in libro Meditationum: Tribus,inquit,modis à peccato me memini conſeruatum, ſcilicet occaſionis ſubtractione, reſiſtendi data virtute, affectionis ſanitate. Multa enim in peccata cecidiſſem, ſi data eſſet occaſio: ſed Dei miſeratione non me talis opportunitas apprehendit. In multa quoque paulò minus

ceci-

cecidiſſem grauiter impulſus violentia tentationis: ſed virtutem dediſti mihi Domine, vt ſub me eſſet appetitus meus, & ei quam ſentiebam concupiſcentiæ minimè conſentirem. Sed à quibuſdam peccatis tam longè me fecit tua miſeratio domine, vt penitus abominarer ea, & ne vlla me quidem eorum tentatio moleſtaret.

Alterum genus eunuchorum eſt, quos execuerunt homines. Qui autem ab hominibus caſtrati ſunt, eos à coniugio arcet defectus, quia viri non ſunt. Hoc genus eunuchorum Origenes Tractatu 7. in Matthæum ſic deſcribit: Quidam continentes ſunt propter verba hominum: quorum concupiſcentiam virilem præcidit non verbum diuinum, ſed verba humana: vt puta qui philoſophati ſunt apud antiquos in gentibus, aut apud eos, qui prohibent nubere, apud hæreſes (de quibus etiam, 1. Timoth. 4.) Baſilius autem in hunc modum: Et ſunt eunuchi, qui eunuchi facti ſunt ab hominibus, per doctrinam & obſeruationem virginitatem exercere perſuaſi: quemadmodum ſanè & virgo quæ à patre ſeruatur, de quo dictum eſt: Qui verò decreuit in corde ſuo, vt ſeruet virginem ſuam, benefacit.

Cæterùm iſtorum caſtitas, qui nimirum inepti ad coniugium vel nati, vel poſtea facti ſunt, nullam meretur laudem, quòd à neceſſitate proficiſcatur, non à ſtudio virtutis, teſte Eraſmo in Paraphraſ.

Tertium verò genus eorum eſt, qui ipſi ſe-ipſos caſtrarunt propter regnum cœlorum: non amputato corporis membro (id quod Origenem feciſſe ſcribit Euſeb. Cæſa. Eccleſ. Hiſt. lib. 5. cap. 6) ſed ob amorem euangelij, deuicto affectu rei vxoriæ: vel, qui non plus rei habent cum fœminis, quàm ſi caſtrati eſſent, & qui quum mariti eſſe poſſunt, vltrò cœlibatum ſibi delegerunt, vt ſoli gloriæ Dei propagandæ inſeruiant: vel, qui cœleſte illud indepti donum volentes ſe continent, propter regnum cœlorum, non promerendum, ſed propagandum & promouendum verbo & opere, id eſt, vt vel, expeditius miniſtrent prædicationi euangelicæ, vel vt magis indiuulsè hæreant domino, eique per omnia ſe approbantes, ſancti corpore & ſpiritu: denique vt omnino ſpecimen quoddam futuræ vitæ & cœleſtis exhibeant, nullum generantes malum, ſed bonum, Ieſa. 26. His demùm bonum eſt abſq; coniuge viuere: quia id datum eſt eis, & propter regnum cœlorũ ita viuunt. (Nec enim alioqui laudem habet, quamuis caſtus cælibatus, niſi fuerit ſuſceptus ſtudio pietatis euãgelicæ.) Talem ſe Paulus fuiſſe teſtatur, 1. Corinth. 7. & ad ſimilem ibi felicitatem alios quoque hortatur, quo minore ſolicitudine eorum quæ in mundo ſunt, Domino poſsint adhærere, & mundo verè vti tanquam non vterentur, quolibet momento parati hinc ad Chriſtum concedere. Verùm & illud addit: Hoc autem ad

id

id quod vobis conducibile eſt dico, non vti laqueum vobis inijciam.

Pertinent huc & illi, qui propter inſtantem neceſsitatem perſecutionis abſtinent à matrimonio.

Porrò ſicut tria genera ſunt eunuchorũ: ſic etiam abſtemiorum. Quidam enim natura ſunt abſtemij: quidam propter præceptũ hominum, vt Rechabitæ, Ierem. 35. quidam ſtudio continentiæ, vt Timotheus, 1. Tim. 5.

4 Sequitur finalis Chriſti ſententia, nemini præcipiens cælibatum, ſed omnibus pro gratia diuinitùs data liberum permittẽs. Ait enim: Qui poteſt capere, capiat.) Quibus verbis magis animat ad eligendam continentiam, quia arduum eſſe oſtendit, quod diſcipuli paruum ac facile eſſe dicebant, & quia inæſtimabili miſericordia ſua noluit rẽ in neceſsitatem legis concludere. Vt ergo nemo ad matrimonium cogẽdus eſt, ita nec ad cælibatum. Bonum ſanè homini, teſte Apoſtolo, vxorem non attingere: attamen propter ſtupra vitanda, ſuam quiſque vxorem habeat: & ſuum quæque virum habeat. Primus gradus caſtitatis eſt, inquit Chryſoſtomus, Hom. 20. in Matth. ſyncera virginitas: ſecundus autem, fidele coniugium. Et Theophylactus ait in Ep. 1. ad Tim. cap. 4. Haud quaquam nos matrimonium prohibemus, cæterum eas quæ nubere nolunt, ad virginitatem adhortamur: honoratior enim eſt ipſa. Atqui nuptiæ & matrimonium propte-

rea non ſunt ingloria incelebriáue: quemadmodum neque quia aurum precioſius eſt, argentum gloria precioque vacat. Quod verò pretioſius eſt, pretioſo pretioſius eſt: & quod melius eſt, bono melius eſt, non malo. Qui ergo poteſt, virginitatis aurum retineat: ſi verò non poſsit iſtuc, matrimonij argentum recipiat. Non ergo malè facit vxorem ducens, in Domino: melius autem non ducens, quod ad commoditatem præſentis vitæ attinet. Contra hanc libertatem pugnat tyrannis Romani pontificis, ſacerdotibus adimens ius contrahendi matrimonium. A qua tyrannide cùm nos liberauerit Dominus Deus, ſit illi honor & gloria in æternum, Amen.

CONCIO XLVII.

Lucæ 1.

ERat in diebus Herodis regis Iudaæ, ſacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth. Erant autem iuſti ambo coram Deo, verſantes in omnibus præceptis & iuſtificationibus Domini irreprehenſibiles: nec erat illis proles, eò quòd eſſet Elizabeth ſterilis,

rilis, & ambo prouectæ iam eſſent ætatis. Factum eſt autem, quum is ſacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ coram Deo, ſecundum conſuetudinem functionis ſacerdotalis, ſors illi obuenit, vt odores incenderet, ingreſſus in templum Domini, & omnis multitudo populi precabatur foris tempore thymiamatis. Apparuit autem illi angelus Domini ſtans à dextris altaris, in quo thymiamata ſolent adoleri. Et Zacharias turbatus eſt eo viſo, ac timor irruit ſuper eum. Ait autem ad illum angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua, vxorq́; tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem.

In hac hiſtoria de Zacharia & Elizabetha primùm quædam de ipſo coniugio notanda veniunt: deinde quædam de ijs, qui in coniugio viuunt: præterea quædam de fructu coniugij.

1 Quod coniugium ipſum attinet, probat exemplum Zachariæ & vxoris eius, honorabile eſſe coniugium inter omnes, etiam inter ſacerdotes, ex quorum numero Zacharias fuit, Hebræor. 13.

Et, coniugium eſſe inſtituẽdum iuxta bonas & æquas leges. Id enim Zacharias, qui

ex genere ſacerdotali fuit, & quidem ex poſteris Eleazar, qui patri in ſummum ſacerdotium ſucceſſerat, fecit. Quod enim Lucas dicit vxorem eius fuiſſe de filiabus Aaron, ideo feciſſe videtur, vt oſtenderet Zachariam non accepiſſe vxorem ex alia tribu, vt illi qui promiſcuè ex alijs tribubus aſſumebant, idque contra legem Dei: de qua lege Moſes Numer. 36. Omnes, inquit, viri ducent vxores de tribu & cognatione ſua, & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient: vt hæreditas permaneat in familijs, nec ſibi miſceantur tribus, ſed ita maneant, vt à Domino ſeparatæ ſunt. Huius legis obſeruator fuit etiam iunior Tobias, Tob. 1.

Item, coniugium per ſe non eſſe impedimentum in eo exiſtentibus, quò minus iuſtitiam exercere poſsint: id quod nonnulli prætexunt ſuæ contumaciæ, Lucæ 14. Nónne enim Zacharias vxorem duxit & habuit, & tamen functione & vitę ſanctimonia celebris fuit? Huc pertinet illud Chryſoſtomi, quod & Glycas Par. 2. Annal. citat: Coniugium illis, qui grati & accepti eſſe Deo volunt, nihil impedimenti adfert. Nam ea de cauſa ſemel atque iterum indicant literæ ſacræ, Enochum Deo fuiſſe gratum, poſtquam Mathuſalam genuiſſet, ideoque ſublatum è medio fuiſſe, Geneſ. 5. Porrò nomen vxoris Zachariæ fuit Elizabeth אלישבע, id eſt, Dei mei quies. Hæc ſignificatio huic mulieri haud malè quadrauit, vt ex qua natus fuit, qui ſempiter-

piternam demùm & beatā quietem per Chri ſtum futuram prædicauit. Si per ש ſcribatur in fine, Dei mei iuramentum: ſi per ט Dei mei virgam ſignificat. Zacharias verò memorem Dei ſonat.

2 Quòd verò ipſos coniuges attinet, habent illi quidem præclarum exemplum in Zacharia & eius vxore, quò docentur, quales eſſe, & quomodo viuere debeant, vt Deo placere poſsint. Erant enim illi iuſti, non coram hominibus tantùm, ſed etiam coram Deo, (ſcrutante renes & corda) & ambulantes in omnibus præceptis & iuſtificationibus Domini ſine querela: indubiè ſicut Paulus requirit Epiſcopum irreprehēſibilem, 1. Tim. 3. Hoc eſt, ita vixerunt vt iure à nemine reprehendi poſſent: nimirum non ſolum à malo, ſed etiam ab omni ſpecie mali abſtinentes.

Inter præcepta & iuſtificationes hoc inter eſt; quòd poſteriùs nomen propriè ad pietatis & diuini cultus exercitia refertur: prius autem magis generale eſt, tamq; ad Dei cultum, quàm ad charitatis officia pertinet.

Cæterùm cùm Zacharias & Elizabeth nō modò ſanctè & inculpatè verſati ſint inter homines, ſed coram Deo etiam iuſtè, idque ante aduentum Chriſti, ante apparitionem gratiæ, ante prædicationem euangelij: quam quæſo excuſationem habebimus nos, qui ſub Chriſto & ſalutifera eius gratia (de qua Tit. 2.) & euangelio ſumus, & non modò nō ſuperamus illos pietate & iuſtitia, ſed etiam

ne ſimiles quidem ac pares illis ſumus?

Hæc autem non ideò dicuntur, quòd homo ſuis viribus iuſtè viuere queat, & perfectionem iuſtitiæ in hoc ſeculo aſſequi: ſed vt in iuſtitia noſtra non deficiamus, ſed proficiamus atq; creſcamus, hoc eſt, ambulemus.

Etſi autem in hunc finem laudantur Zacharias & Elizabeth, vt ſciamus, lucernam quæ præluxit Filio Dei, non ex obſcura domo, ſed ex illuſtri quodam ſacrario ſumptã eſſe: ſub eorum tamen exemplo nobis interim monſtratur piè iuſteque viuendi regula. Hoc ergo in vita rectè inſtituenda primum eſt, vt ſtudeamus nos probare Deo. Scimus autem cor ſincerum, & puram conſcientiam ab eo maximè requiri. Itaque peruerſus erit ordo, ſi quis poſthabita cordis integritate externam modò vitam in obſequium legis componat. Tenendum enim memoria eſt, Deum, ad quem reſpicere iubemur, non externam operum laruam, ſed cor præcipuè intueri. Secundo deinde loco accedat obedientia, hoc eſt, ne ſibi quiſquam nouam iuſtitiæ formã, quæ adlibuerit, ſine Dei verbo fabricet: ſed nos Dei imperio ſinamus regi. Neque enim hæc definitio negligenda eſt, iuſtos eſſe, qui vitam ſuam formãt ad legis præcepta. quo innuitur nihili apud Deum eſſe fictitios omnes cultus, & vagum eſſe ac erroneum humanæ vitę curſum, ſimul lac diſceditur ab eius lege. Iuſtos igitur vocat Lucas Zachariam & Elizabeth, quòd ambularent

bilarent in præceptis Domini, quodque tales reputati ſint coram Deo, propter ipſorũ propoſitum, quod erat ſeruire Domino. Neq; enim ideo iuſti dicuntur, quòd omnia legis præcepta, quę vocat iuſtificationes, obſeruauerint (vt neq; Iob dictus eſt iuſtus, quòd totã legẽ perfecerit) ſed quòd recepti in gratiã Dei, tum placuerint ei etiam cũ ſuis operibus, æſtimaueritq; opera illorum paterna indulgentia, non ſummo rigore. Etenim ſi etiam omnia fecerimus, quæ præcepta ſunt nobis, ſumus tamen ſerui inutiles, Luc. 17.

Quòd inſuper dicit Lucas; Erant autem iuſti ambo: docemur ſimilitudinem animorum, vnitatemque in religione & iuſtitia, quàm maximè decere coniuges. Non.n.fruſtra dixit Dominus ad Iſraelitas de impijs gentibus, Non ſociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo, quia ſeducet filiũ tuũ ne ſequatur me, &c. Deu. 7. 3. Reg. 11. 1. Eſd. 9.

3 Quò ad tertium, diſcimus ex præſenti hiſtoria, beneficium Dei eſſe habere liberos, præſertim pios & ſanctos. Alioquin vtilius eſt mori ſine filijs, quàm relinquere filios impios, Eccleſ. 16. Sap. 4.

Et, liberos pios euenire plerunq; iuſtis, eosq; impetrari precibus. Dicit enim angelus ad Zachariam: Quoniã exaudita eſt deprecatio tua, vxorq; tua Elizabeth pariet tibi filium. Ex quib. verbis colligi poteſt, Zachariam præcipua orandi parte defunctum, ſed

cundo loco de ſe priuatim cogitauiſſe, proq; impetranda ſobole, oraſſe. Quanquam vix probabile eſt, Zachariam tunc pro filio impetrando oraſſe, de quo deſperauerat ob prouectam vxoris ætatem. Nec ſanè ex verbis angeli elicitur certum aliquod temporis momentum. Quare ſimpliciter intelligimus, exauditum tandem fuiſſe votum, quod iam à multo tempore coram Deo effuderat. Ergo ſancti citra offenſam Dei & pro ſuſcipienda prole, atque alijs externis bonis, rectiſsimè Deum orare poſſunt, ſi præmittant animo hæc, Sanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum: Fiat voluntas tua. Quod autem patres tam vehementer prolem expeterent, in cauſa fuit Chriſtus nondum mundo exhibitus, quem quiſque exoptabat deſcendere ex ſuo ſemine. Quanquam vna etiam nobis cum illis cauſa cõmunis eſt, quòd benedictionem Dei eſſe reputamus procreationem liberorum. Teſtimonium igitur quum ſint diuinę benedictionis liberi, ſequitur nos poſſe expetere ea conditione, quæ dicta eſt. Gratia itaque & gloria ei, qui poteſt cumulatè facere vltra omnia quæ petimus in ſecula, Amen.

CONCIO XLVIII.

Ioan. 3.

Ipſi vos teſtes eſtis, quod dixerim, Non ſum ego Chriſtus, ſed miſſus ſum ante illum.

illum. Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit eũ, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt. Illum oportet creſcere, me verò minui.

1 Ioannes Baptiſta negat ſe eſſe Chriſtum, quia non erat: dicit autem ſe miſſum eſſe ante illum, vt viam illi pararet, ſicuti apparitores regibus ſolent: adeoque eſſe Chriſti miniſtrum, præterea & amicum, neque ægrè ferre Chriſti opera, ſed maiorem in modum lætari. Ait enim, Amicus ſponſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Debet ergò amicus Chriſti ſtare .i. permanere in gratia quam accepit, conſtás eſſe, & non cadere, adeoque humilis eſſe, vt Ioannes: item audire vocem ſponſi Chriſti, vt omnes oues ex Deo natæ faciunt, Ioan. 8. 10. præterea gaudere, non mundi more in rebus mundanis, 1. Io. 2. ſed propter vocem ſponſi, in Domino, in ſpiritu ſancto, Pſal. 119. Phil. 4. Rom. 14. Mammonam odiſſe, Matt. 6. facere quod Chriſtus præcepit, Ioan. 15.

Vtinam verò id, quod Ioãnes dicit ſe gaudere, non ob ſponſæ, ſed ſponſi vocem, probè notarent, qui contra ipſiſsimum Chriſti verbum eccleſiæ authoritatem obijcere non verentur: quaſi verò Chriſtus, vnicus & verus eccleſiæ ſponſus, imperfectam & mutilam doctrinam fidelibus reliquerit. Ait enim Ioan. 15. Iam non dicam vos ſeruos, quia ſer

uus neſcit quid faciat Dominus eius: vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audiui à patre meo, nota feci vobis. Ergo omnis authoritas ſponſo datur, non ſponſæ. Sponſo datur vox loquendi & imperandi, ſponſæ verò aures audiendi: iuxta illud: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, Pſalm. 45. Affirmat igitur Baptiſta, ſe votorum omniũ ſummam adeptum eſſe, nec iam eſſe quod deſideret, vbi videt regnare Chriſtum, propriaque voce docere, & illi audientiam, quam meretur dari. Q. d. Sicuti is qui ſponſus non eſt, ſed ſponſi amicus & auſpex, ſiue paranymphus, ſpõſo nec inuidet eam felicitatem, nec præripit ſponſam: imò gratulatur potius ſpõſo & ſponſæ de nuptijs contractis, & aſtans iſtis tacitè & in ſinu gaudet non vulgariter, quòd audit laborem illum ſuum nuptijs cõciliandis inſumptum ceſsiſſe feliciter, & ſpõſam ſponſo adductam iucundiſsimo ſuauiſſimoque frui & colloquio & conſortio: ita ego quum Chriſti ſim præambulo, & quaſi paranymphus, non ſponſus, ſed ſponſi amicus, omnino cupiens illius nuptijs, fœderi & amicitiæ populum Dei inſerere & copulare, nec inuideo illi gloriam tantam, nec populum illi præripere volo, ſed etiam atq; etiam gaudeo illum me in diem vixiſſe, quo oculis meis cerno feliciter, non inanem fuiſſe prædicationem meã, ſed omnes celerrimo pede ad Chriſtũ accelerare, ad quem eos hactenus inuitaui. hoc (inquã) ingẽs gaudium meum impletũ eſt.

Por-

Porrò quod dicit de voce ſponſi (cuius & Apoc.18. mentio fit) fortè alludit (iuxta ſententiam Flacij) ad aliquem veterem morem nuptiarum, vbi ſponſus cecinit.

2 Omni autem ſponſo vtile eſt obſeruare & ſæpe cogitare, quòd & Chriſtus Ieſus appellatur ſponſus, non ſolùm hoc loco, ſed etiam alibi, vt Pſalm. 19. Hoſ. 2. Matth. 9. 25. idque propter ardentem amorem erga ſponſam, id eſt, eccleſiam ſuam (quam redemit ſanguine ſuo, & cui pignus dedit ſpiritum ſanctũ, vt Auguſtinus ait Tract. 8 in Ioan.) & copulationem arctiſsimam. Hoc etenim & doctrinæ & conſolationi eius ſeruit: propterea quòd hinc diſcit, quid ipſe Chriſto debeat, tanquam ſponſo ſuo, cui pater humanum genus per incarnationis diſpenſationem, inſolubili deſponſationis vinculo coniunxit: & quid debeat vxori ſuæ, tanquam ſponſus. Neque hoc ſolum, ſed etiam inde conſolationem & magnum gaudium concipit. Si enim Chriſtum ſponſum ſuum habet, ſimul etiam particeps fit omnium bonorum Chriſti, quæ ipſe communicat ſuæ ſponſæ, vt ſolet maritus vxori. Et ſi cogitat ſponſum Chriſtum ad multos næuos ſponſæ ſuæ conniuere, tantò patientius feret etiam mores vxoris ſuæ.

Quid autem ſponſus ſeu vir debeat vxori ſuæ, docet exemplum ſponſi Chriſti, de quo Apoſtolus, Eph. 5. Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſe-

metipſum expoſuit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundatam lauacro aquę per verbum, vt adhiberet eam ſibi glorioſam eccleſiá non habentem maculam aut rugam, aut quicquá eiuſmodi, ſed vt eſſet ſancta & irreprehenſibilis. Sic debent viri diligere ſuas vxores, vt ſua ipſorum corpora. Qui diligit ſuam vxorem, ſeipſum diligit. Nullus enim vnquam ſuam ipſius carnem odio habuit, imò enutrit ac fouet eam, ſicut & Dominus eccleſiam. Quoniam membra ſumus corporis eiuſdé, ex carne eius & ex oſsibus eius. Huius rei gratia relinquet homo patrem ac matrem, & adiungetur vxori ſuæ, atque è duobus fiet vna caro. Myſterium hoc magnum eſt, verùm ego loquor de Chriſto & de Eccleſia. Quanquam & vos ſingulatim hoc præſtate, vt ſuam quiſque vxorem diligat, tanquam ſeipſum, &c.

Quid verò quiſque debeat Chriſto ſponſo ſuo, docet lex naturæ vnà cum lege Moſis & Prophetis, de qua ipſe Dominus Matth. 7, Omnia igitur quæcunque (inquiens) volueritis, vt faciant vobis homines, ſic & vos facite illis. Omnis autem maritus ſeu ſponſus cupit habere ſponſam ſiue vxorem morigeram & obedienté: ergo quiuis etiam ſe Chriſto ſponſo ſuo obedientem præbere debet in omnibus. Sic enim rurſus ſcribit Paulus ad Eph. Vxores proprijs viris ſubditæ ſitis, veluti Domino, quoniam vir eſt caput vxoris, quemadmodum & Chriſtus caput eccleſiæ:

&

& idem eſt, qui ſalutem dat corpori. Itaque quemadmodum eccleſia ſubdita eſt Chriſto, ſic & vxores ſuis viris ſubditæ ſint in omnibus, intellige, quæ non ſunt contra Dominũ Deum noſtrum: alioquin oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Et iterum: Vxor autem reuereatur virum.

3 Cæterùm ſi vxor tam obediens eſſe debet viro ſuo, quanto magis quilibet Chriſtianus Chriſto domino & ſponſo ſuo debet eſſe obſequens: imò tantò magis, quantò maior eſt maieſtas Chriſti, quàm authoritas cuiuslibet viri. Quanta verò ſit maieſtas ſponſi Chriſti, docet etiam hîc Ioannes Baptiſta, quando de eo dicit: Illum oportet creſcere, me verò minui. Hoc & diebus, quibus nati ſunt, & mortibus, quibus paſſi ſunt, figuratũ eſſe ſcribit Auguſtinus. Naſcitur namque Ioannes, ex quo dies incipiunt minui: naſcitur Dominus, ex quo dies incipiunt creſcere. Capite ille minuitur, dum occiditur: hic verò attollitur in cruce. Sit igitur huic optimo & maximo domino noſtro Ieſu Chriſto, qui ſeipſum tradidit pro ſua ſponſa, honor, & gloria, & laus in æternum, Amen.

CONCIO XLIX.

1. Corinth. 7.

CAEterùm de quibus ſcripſiſtis mihi: Bonum eſt homini, vxorem non attingere. Attamen propter ſtupra vi-

tanda, ſuam quiſque vxorem habeat, & ſuum quæque virum habeat. Vxori vir debitam beneuolentiam reddat: ſimiliter autem & vxor viro. Vxor proprij corporis ius non habet, ſed maritus. Similiter & maritus proprij corporis ius non habet, ſed vxor. Ne fraudetis vos inuicem, niſi ſi quid ex conſenſu, pro tempore, vt vacetis ieiunio & precationi: & rurſum in vnum conueniatis, ne tentet vos ſatanas propter intemperantiam veſtram. Hoc autem dico iuxta indulgentiam, non iuxta præceptum, &c.

1 Ad tria potiſsimum Apoſtolus Paulus, à Corinthijs, tanquam doctor ab eccleſia, rogatus, in principio huius capitis reſpondet. Primùm, an ſit contrahendum matrimonium: deinde, quibus de cauſis: præterea, quomodo coniuges in matrimonio ſe gerere debeant erga ſe inuicem, potiſsimè verò quod ad opus carnale, ſiue actum naturalem attinet.

Nam in eo, quod dicit, Bonum eſſe homini, vxorem non attingere, oſtendit quòd nõ ſolum ἀδιάφορον, & liberum ſit vxorem ducere, aut non ducere (adeoq́ue neminem ad coniugium cogendum) verumetiam melius, id eſt vtilius, ac vitæ huic corporali commodius, vel quietius, pulchrius & iucundius,

us, nullam ducere (ſi modò carere poſsit, caſteque viuat) quàm ducere (præſertim malam.) Nam qui cœlebs eſt, inquit, curat ea quæ ſunt Domini, quomodo placiturus ſit Domino. At qui duxit vxorem, ſollicitus eſt de his, quæ ſunt mundi, quomodo placiturus ſit vxori. Hinc etiam Chriſtus ait, Qui poteſt capere capiat. Veruntamen non peccauit, qui duxit vxorem: neque virgo, aut vidua ſi nupſerit (modò in Domino) peccauit. Quemadmodum enim ſi quis diceret, bonum eſſe homini non edere, nec bibere, nec dormire: is neque eſum, neque potionem, neque ſomnum vituperaret, tanquam res vitioſas: ſed quia tantum ſpiritui decedit, quantum his rebus datur, intelligeret nos beatiores fore ſi ab his auocamentis liberi, toti poſſemus incumbere in rerum cœleſtium meditationem. Sic Paulus hac ratione bonum eſſe dicit non illigari coniugio, quoniam in hoc multæ ſunt tricæ, quæ hominem impeditum teneant: multæ moleſtiæ, ſolicitudines, tædia, quæ coniugatos manent. Nã & propter venturam tempeſtatem bellicam Ieremiæ dicebatur capite decimo ſexto: Noli vxorem ducere: non quòd peccatum, ſed incommodum tum eſſet vxorem ducere. Eſt itaque hæc indefinita propoſitio contrahenda: quum nequaquã vera eſſe poſsit in omnibus hominum generibus: quod planum eſt, quum Adamo, primo inquam homini, minimè conuenire potuerit. Neque valet

aptari ijs qui matrimonio iam ſunt coniun-
cti: quorum neuter corporis ſui poteſtatem habet. Nec item quadrat ijs, qui vel ſcortantur, vel aduruntur: quibus Apoſtolus mandat, vt nubant. Ideo Apoſtolus hanc propoſitionem poſtea corrigit, ne quis de matrimonio malè ſuſpicaretur. Non igitur pugnant hæc Pauli verba cum verbis Domini, vbi pronunciat, viro non eſſe bonum carere vxore, Geneſ. 2. Facilè enim hæc duo dicta conciliabuntur, ſi inter puram Dei ordinationem, & pœnas peccati, quæ deinde ſequutæ ſunt, diſtinguere meminerimus. Iuxta Matthiam Flacium Illyricū Deus illud (Non eſt bonum hominem eſſe ſolum) loquitur in genere de hominibus, quòd pleriq; ita ſunt geniti, taliqu‹e› natura præditi, vt non poſsint extra coniugium caſtè viuere. Hìc verò Paulus loquitur de illis, qui excepti ſunt ex regula, vel per naturæ imbecillitatem, vel per donum caſtitatis. Denique ſicut melius eſſet prorſus abſtinere ab omni cibo: nam careremus multis moleſtijs, ad quas cogimur cibi gratia. Verùm quum id fieri nequeat, melius eſt edere & bibere quàm fame periclitari: ſic melius quidem eſt continere quàm nubere. Vbi verò deeſt continentia, melius eſt nubere, quàm vri, ſcilicet incendio concupiſcentiæ, quod Chryſoſt. tyrannidem concupiſcentiæ vocat. Taceo nunc de ſupplicio ignis, & incendio gehennæ, de quibus Gen. 38. Leu. 21. & Apoc. 21. Cæterùm ſi ijs qui li-
bidinis

bidinis vſtionem ſentiunt, imò incontinentibus antequam vrantur, nubendum eſt, ne vrantur, ne ſcortentur, ne, vt Chryſ. habet, continendi laboribus & ſudorib. ſubuertantur, quid iubendum eſt illis, qui iam pleno impetu ſcortantur?

2 Oportet autem vt ob quatuor (etſi Lombardus plures recenſet cùm honeſtas, tum minus honeſtas, lib.4. Diſt.10.) harum cauſarum ad minimum vnam ſuſcipiatur coniugium: vel propter augendam ſobolem: dixit enim Deus Gen. 1. & 9. Creſcite & multiplicamini, &c. Item Paulus, 1. Tim. 5. volo iuniores nubere, filios gignere, vel propter educandam atque inſtituendam ſobolem ad cultum Dei: fecit enim Dominus vxorem in adiutorium viri, Gen. 2. Nec fruſtra dixit, Honora patrem & matrem, vult ergo vt pater & mater liberos educent: vel propter operam & ſtudia, quæ vxor marito præſtare debet, tanquam corpus capiti, 1. Corinth. 11. vel propter vitanda ſtupra. Satius enim eſt teſte Apoſtolo, contrahere matrimonium, quàm ardere. Is in hac corrupta natura vnus ex primarijs coniugij finibus aut vſibus eſt. Remedium enim hoc licitum Deus huic infirmæ naturæ monſtrauit: de quo Apoſtolus hoc in loco, vbi ait: Sed propter ſcortationes ſuam quiſque vxorem habeat. Quibus verbis iubet, vt qui incontinentiæ vitio ſunt obnoxij, ſiue ſint iuniores & fœcundi, ſiue natu grandiores ac ſteriles, ſiue viri, ſiue

mulieres,ad remedium confugiant:ſeu refrigerium, quo incendium incontinentiæ ſopitur: cuius rei ſibi quiſque teſtis eſſe poteſt. Quicquid ergo difficultatis in coniugio cernimus, quicunque carnis ſuæ punctionibus reſiſtere nequeunt, hoc ſibi præceptū à Domino impoſitum nouerint. Tametſi enim multa commoda habeat cœlibatus, habet tamen ſimul cum his multum periculi, ne, quãdo id quod nõ prohibet lex, vitare quis vult, aliquid contra legem admittat: id quod multis euenit volentibus euitare coniugium, vt incidant in alias fœdas libidines. Solent enim qui compendium quærunt, plerunque errare. Sed & Socrates rogatus ab adoleſcente quodam, vtrum melius cenſeret, vxorẽ ducere, annon ducere? Vtruncunque, inquit, feceris, pœnitebit: indicans & cœlibatũ & coniugium habere ſuas moleſtias, ad quas perferendas eſſet præparandus animus. Cælibatum comitatur ſolitudo, orbitas, generis interitus, hæres alienus: matrimonium perpetua ſolicitudo, iuges querelæ, dotis exprobratio, affinium graue ſupercilium, garrula ſocrus lingua, ſubſeſſor alieni matrimonij, incertus liberorum euentus, aliaque innumera incommoda. Proinde non hic eſt electio, qualis eſt inter bonum & malum, ſed qualis inter leuiora & grauiora incommoda.

Faciunt quoque hæc Apoſtoli verba aduerſus bigamos & polygamos: iuxta primæuam coniugij inſtitutionem, Erunt duo in

carne

carne vna, Geneſ. 2. quam Chriſtus reſtituit, Matt. 19. Vult enim vt mulier vnaquæque proprium maritum habeat, aſſerens mutuam eſſe obligationem. Qui ergo fidem vxori ſemel aſtrinxit, diuidere ſe ab ea non debet: quod fieri conſtat per ſecundum nexũ. Faciunt item hæc verba contra concubinatum. Nam etiam inter ſcortatores reperias, qui mulierem penes ſe habeat, concubinam, qua ſit contentus, & thori fidẽ ſeruet, è qua etiam liberos ſuſcipiat, id quod de ſe ſcribit Auguſt. in Confeſs. lib. 4. cap. 2. qui & filium habuit ex concubina à Deo datum, Confeſs. lib. 6. cap. 15. Talis tamen copula illegitima eſt, quod & Auguſtinus fatetur. Coniugiũ verò docetur ab Apoſtolo, cum dicit, Vnuſquiſque ſuam habeat, & vnaquæque ſuum. Quæ extra connubium legitimum virum habet, non ſuum dicitur habere, ſed alienum, Ioan. 4. Liquet itaq; concubinatum iſtum, quem pontificij ſacerdotes liberè ſectantur, nihil eſſe aliud quàm ſcortationem, cum nõ ſit coniugium legitimum, ad quod vitandæ ſcortationis gratia quoſuis adigit hic Apoſtolus iubens, vt quiſque ſuam, & quæque ſuum habeat.

3 Officium coniugum eſt, debitam beneuolentiam ſibi mutuo reddere. Debita enim reddi ſolent. Coniugale autem debitum, iuxta Hugonem de S. Victore, duobus modis conſideratur, vt ſcilicet vterque alteri ſe & conſeruet, & non neget. Complectitur au-

tem ſub nomine beneuolentiæ mutua officia coniugij omni ſtudio præſtanda, idque propterea, quòd vult iſta ex animo præſtari. Et quia omnis vera beneficentia propriè ex beneuolentia charitateque proficiſcitur, cōplectitur ſimul etiam ipſum actum naturalē, ſeu commiſtionem coniugalem: quemadmodum ex mox ſequentibus liquet. Addit enim Paulus: Vxor ſui corporis domina non eſt, ſed vir: itemq; vir ſui corporis dominus non eſt, ſed vxor. Nolite alter alterum defraudare, &c. Itaque neuter coniunx habet ius ſui corporis liberum, vt antea: ſed alterius corpus eſt alteri obligatum.

Debet ergo vnus alteri petenti reddere debitum, imò nonnunquam exigere opus illud ab ea coniuge, quæ præ verecundia non audet petere: ne ſcilicet in peccatum cadat, ſtuprumque vitetur. Nam moroſi coniuges, qui ex ſuperſtitione negant debitum, ſępe dant alteri occaſionem adulterandi. Rectè igitur ſanctus ille vir Paphnutius, quum patres in concilio Niceno canonem ſtatuiſſent, quo clericis cum proprijs coniugibus prohibebatur concubitus, reſtitit graui ſua authoritate, aſſerens honorabiles nuptias, & caſtitatem eſſe dicens, concubitum cum propria coniuge: ſynodumque laudaſſe ſententiam eius, nihilque hac parte ſtatuiſſe: ſcribit Sozomenus Hiſt. Trip. libro ſecundo, capite decimo quarto. Tametſi inter eius cōcilij canones recitatur vnus, quo clericis cō-
iugium

iugium interdicitur: vnde videri poteſt, vel à maleuolis, vel à poſteris ſuppoſitus. De Gregorio, eius nominis primo pontifice Romano, ſcriptum quidam reliquerunt (teſte Andrea Hyperio lib. 4. de Theologo, cap. 2. Obſer. 12.) quòd cauſſam de cælibatu miniſtrorum eccleſiæ, magno ardore, in Italia maximè & Sicilia promouerit. Cæterùm vbi poſt aliquantum tempus ex piſcinis ſuis vidiſſet educi aliquot mille capita infantium, & quidem ab Eccleſiaſticis, vetitum ſuũ concubitum celare cupientibus, clàm, vt credebatur, interfectorum, cæptis deſtitit. Et quidem iſtud rectè ac meritò. Honorabile enim connubiũ, & thorus immaculatus in omnibus: fornicatores autem & adulteros iudicabit Deus, Hebr. 13. Nam adulterans (vt ille ait) polluit pallium Diuæ Mariæ, quo occultauit cœleſtem conceptum, Matth. 1. Dicat ergò vxor ſcortatori ſolicitanti, corpus non eſſe ſuum, ſed ſui mariti: & rurſus maritus ſcorto tentanti dicat, corpus non eſſe ſuum, ſed vxoris. Non enim minus vir adulter eſt, ſi ſcortetur, quàm vxor: quandoquidem perinde eius corpus eſt vxori obligatum, & vxoris caro, vt vxoris ipſi. Vnde Lombar. lib. 4. Diſt. 35. ait, Hoc etiam notandum eſt, quòd cum Dominus concedat vxorem dimitti cauſa fornicationis viro, eadem licentia non tollitur fœminis. Verùm hoc de mutua obligatione corporis non tantùm ad congreſſum maritalem ſeu procreationem, ſed

etiam ad alia officia, aut uſus corporis pertinet: ut exempli cauſa, Si vir ſe vellet dedere in ſervitutem, aut monaſterium, aut ſine neceſsitate abire in militiam, aut aliqua ſimili ratione obligare, aut lædere corpus ſuum.

Porrò quum Paulus dicit, Ne fraudetis vos invicem (eſt autem fraus, quando quod debetur commenticio aliquo prætextu auferatur) niſi fortè ex mutuo conſenſu ad tempus, ut jejunio & precibus vacetis: oſtendit conjugibus interdum licere, ut abſtineant à congreſſu. Poteſt enim accidere tempus, cùm aliquando jejunii aut precationis ardentioris cauſa intermittatur: non quòd lædat conſcientiam, ſed quòd olim certis temporibus penitùs ſeſe tali quaſi ritui cuidam lugentes dedebant, ut Iudęi, eorumq́; imitatores: cujus rei quaſi veſtigium quoddam, licet multa ſuperſtitione contaminatum, in papiſtica quadrageſima videmus. Alioqui pios ſemper oportere precari, nemo ignorat: ſed & univerſam eorum vitam jejunium eſſe oportet. Debent enim perpetuò parcè ac frugaliter vivere, quod genus jejunii eſſe nemo ambigit, vide Luc. 18.21. & 1. Theſſalonic. 5.

Paulus igitur hìc non loquitur de quolibet jejunio, nec de qualibet oratione: ſed de jejuniis & precibus publicè ac ſolenniter ſuſceptis, ut quum ingruit aliqua calamitas, ſi appareat indicium iræ Dei, vel quum aliquo difficili negocio impedimur, vel quum

ali-

aliquid agendum eſt magni momenti, qualis eſt inſtitutio paſtorum, vel neceſsitas eccleſię alia, aut conjugis, aut prolis, aut amicorum, &c. Tob. 6. 8. Zach. 12 Ioel. 2. Et 2. Sam. 11. de Vria legitur, quòd nefas duxerit a ad uxorem ſuam ingredi, cùm Iſrael bello gravi & periculoſo eſſet implicitus.

Obſerva autem cautionem Apoſtoli, qui non ſolùm duas addit conditiones, quarum prima eſt, ut ex conſenſu fiat, nempe intermiſsio debiti conjugalis: altera, ut nõ perpetuò, vel diu, ſed ad tempus: verumetiá jubet eos maturè, expletis jejunii diebus, denuò convenire, ne Satanæ (qui autor eſt adulterii & mirus ſuaſor mali) dent occaſionem tentandi (nedum ſuperandi ac perdendi: ut dum placet à conceſſa venere abſtinere, ad inconceſſam fœdius prolabantur. Niſi periculũ eſſet etiam jejunantibus & precantibus à tentationibus ſatanę, nihil hujus admonuiſſet. Imò hìc potiſsimũ timendæ ſunt ſatanę inſidiæ, ubi à licitis ſeceditur, idq; immoderatè, ut ad illicita fiat lapſus. Rem hanc ipſa luce clariorem reddidit experientia. Igitur ſecuriores ſunt, ne per Satanam tententur, qui licitis utuntur remediis.

Cæterùm ne putent Corinthii ſuſpenſionem debiti ad tempus, eſſe juris divini: aut conſuetudinẽ conjugium per ſe eſſe bonum opus: aut, ne quis poſſet obijcere, Quid? an times ne parum ad libidinem ſpontè proclives ſint viri & mulieres, quòd eos ſolicitas?

reddit rationem ſuæ doctrinæ, ac teſtatur ſe non ideò commendaſſe thori ſocietatem cõiugibus, vt eos ad voluptatem alliciat, aut quia libenter id præcipiat, aut quod hoc præceptum ſimpliciter ac per ſe ſit mandatum: ſed reſpexiſſe quod poſtulet infirmitas eorũ quos alloquitur: quibus hoc concedit vitandæ ſcortationis & tentationis cauſa. Fideli noſtro Deo, qui non ſinit nos tentari ſupra id quod poſſumus: & filio eius Chriſto Ieſu, qui arundinem comminutam non confringere ſolet: & benigno Spiritui ſancto, qui auxiliatur infirmitatib. noſtris, ſit benedictio, honor, & gloria in æternum, Amen.

CONCIO L.

1. Corinth. 7.

De virginibus autem præceptum Domini non habeo, conſilium tamẽ do, tanquam miſericordiã conſequutus à Domino, in hoc, vt ſim fidelis. Arbitror igitur hoc bonum eſſe propter præſentem neceſsitatem. Nam bonum eſt hominem ſic eſſe. Alligatus es vxori? ne quære diuortium. Solutus es ab vxore? ne quæras vxorem. Quòd ſi duxeris vxorem, non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non pecca-

peccauit. Attamen afflictionem in carne habituri ſunt huiuſmodi. Ego verò vobis parco. Ceterùm illud dico fratres, tempus contractum eſt: ſupereſt, vt qui habent vxores, ſint tanquam non habeant: & qui plorant, tanquam non plorẽt: & qui gaudent, tanquam non gaudeãt: & qui emunt, tanquam non poſsideant: & qui vtuntur mundo hoc, tanquam non vtantur. Præterit enim habitus huius mundi.

1 An melius ſit in matrimonio, aut in cælibatu viuere, oſtẽdit Apoſtolus in his verbis. Nam veriſimile eſt Corinthios ab illo quæſiuiſſe, an Chriſtiani filias virgines elocare debeant, an veluti Chriſto ſacras in perpetua virginitate tenere domi, quò liberius illi ſeruiant. Paulum ergo hiſce nunc reſpondiſſe videmus, qui ſuam ſententiam proponit, atque dicit, videri ſibi bonum eſſe, virginem permanere: atque adeò beatiorem eſſe ſtatum cælibatus ſeu virginitatis, quàm coniugij. Duo autem in ſumma dat virginitati. Primum, eſſe liberam & nemini præceptam. Deinde, eſſe vtilem, tranquillam & commodam, certa de cauſa. Contra quam ſententiam quidam obijciunt illud: Paulum tantummodò conſilium ſuum dare, quidq; ipſe ſentiat oſtendere, nec eſſe hoc præceptum Do-

mini, id quod verum eſt: ſed tamen hoc conſilium fidele ac bonum non eſt aſpernandũ. Quoniam Paulus ſpiritum Dei habuit (qui veritatis ſpiritus eſt, neque ſeducere poteſt) & diuina miſericordia conſequutus eſt, vt dicat ſuper ea re, quod videtur optimum: loqui enim ſe non vt hominem, ſed vt fidum eccleſiæ doctorem & Chriſti apoſtolum aſſerit. Atque ſi quis propius animaduertat, videbit Paulum nihil hîc proferre, quod non complexus ſit Chriſtus ſuis verbis, Matt. 19. ſed per occupationem fatetur ſe non habere certum Domini præceptum in lege, quod definiat, quinam coniugium ſuſcipere, aut non attingere debeant. Nam neque legem de virginitate ipſe tulit Dominus, neque Apoſtolo quicquam poteſtatis dedit, illam præcipiendi. Adde quod ſeipſum exponens docet, quale bonum ſit manere in cælibatu, nempe tale, vt contrarium facere, nequaquam ſit peccatum, id eſt, tantùm vtile bonum, non honeſtum. Quia liberum facit virgini, vel nubere, vel manere in cælibatu. Dicit enim: Quòd ſi duxiſti, non peccaſti: & ſi nupſit virgo, non peccauit. quaſi dicat: Nihil es deterior coram Deo, nihil officit tibi matrimonium ad ſalutem, nihil es minus gratus Deo: coram quo perinde valet virginem vel cõiugem eſſe, ſicut perinde valet circumciſum, vel incircumciſum eſſe, ſeruum ſiue liberum, modò fides & cætera ſint paria. Quia non huc eſt reſpectus oculorum Dei, ſed ad

animo-

animorum ſynceritatem, qualis qualis ſit vitæ huius ſtatus, modò non illicitus. Rectè igitur Cæſarius dixit, vt Beda refert in Scintillis ſuis, de collatione coniugij & virginitatis: Melior eſt humilis coniugalitas, quàm ſuperba virginitas. Rationem huius dicti videtur reddere Bernhardus Hom. 1. de laude B. Mariæ, vbi inquit: Laudabilis virtus virginitas, ſed magis neceſſaria humilitas. Illa conſulitur, iſta præcipitur: ad illam inuitaris, ad iſtam cogeris. De illa dicitur, Qui poteſt capere, capiat: de iſta dicitur, Niſi quis efficiatur ſicut paruulus iſte, non intrabit regnum cœlorum. Illa ergo remuneratur, iſta exigitur. Potes denique ſine virginitate ſaluari, ſine humilitate non potes. In ſumma, laudat Apoſtolus cælibatum, vt feliciorem: probat matrimonium, vt tutius. Volo (inquit Chryſoſtom. in Sermone de Euangelio: Nuptiæ factæ ſunt, &c. contra Iudæos, gentiles & hereticos) declarare vobis, quòd neq; diuitiæ impediunt, neque inopia, neque militia, neque negotiatio, neque nuptiæ, neque pueri, neque ſeruitus, neque opificium, neq; aliquid tale. Vocatus eſt Ieſus ad nuptias. Venit, vel non venit? Certum quòd venit. Quòd ſi venit, quomodo ergo nuptiæ malæ? non potes excuſare. Ego autem nō dico, quòd tantùm venerit, ſed quod & dona ſecum attulerit. Aquam in vinum mutauit. Ne excuſes te propter nuptias, Dominus tuus nuptijs interfuit, & nuptias

honeſtauit: & tu nuptias arguis, & dicis nuptias obſtaculum eſſe ad pietatem? Nullum enim ad pietaté eſt obſtaculum. Vis cognoſcere quòd nihil nocet habere vxoré & pueros? Moſes, nónne vxoré habuit & liberos? Helias, nónne virgo erat? Nónne Moſes Mána è cœlo deduxit? Nónne Helias igné è cœlo deduxit? Nónne Moſes coturnices aduolare fecit? Nónne Helias verbo cœlú clauſit? Nónne Moſi Deus locutus eſt? Nónne & cú Helia verſatus eſt? Nónne Moſes mare diuiſit, & transduxit populú? Nónne Helias curru igneo in cœlum ſublatus eſt? An nocuit huic virginitas, an impedimento fuerunt illi vxor & liberi? Vidiſti Heliá aurigam in aere, vidiſti Moſen in mari viatoré: Vide & Petrú eccleſiæ columnam, quòd & ipſe habuit vxorem. At non eſt ſcriptum, inquit, quòd Petrus habuit vxorem: Vnde ergo liquet, quòd vxorem habuit? Ego dico. Ingreſſus eſt Ieſus ad ſocrum Petri, & erat illa infirma, & tetigit eam: & reliquit eam febris, & ſtetit & miniſtrauit. Vides quòd & Petrus vxorem habuit. Vbi enim ſocrus, manifeſtum quòd ibi & mulier. Vides quòd & Petrus vxoré habuit, (quod & Clemens lib. 3. Strom. & Ignatius in Epiſt. ad Philadelp. teſtantur) ne incuſes nuptias. Hæc dico, vt ne quis prætexat vel vxorem, vel liberos, vel militiam, vel negociationem, vel opificium, vel ſeruitutem, vel diuitias, vel paupertatem. Hæc excuſatio, hic prætextus, diaboli inſidiæ ſunt, &c. Hæc ille.

2 Sed

2 Sed dicas, quur igitur Apoſtolus Paulus dicit bonum eſſe homini ſic eſſe, id eſt, manere in cælibatu, & abſtinere à coniugio? Cauſam ipſemet adijcit, cur in ſuis hortationibus in cælibatum inclinet, ne videatur alterum ſtatum alteri per ſe anteponere, & non propter conſequentiam: dicitque multas moleſtias coniugio annexas eſſe: ideo ſe cupere omnes à coniugio eſſe liberos, qui immunes à moleſtijs eſſe velint: atque ſe cupere eos quàm maximè leuare cruce, & optare eos calamitatum eſſe expertes. Dicit ergo bonum (hoc eſt, commodum) eſſe in cælibatu manere, non propter ſtatus excellentiam, ſeu dignitatem aliquam virginitatis, aut propter ingens meritum (vt fruſtra iactant monachi, quòd ſolæ virgines ſint ſponſæ Chriſti, quibus ſpecialis aureola in cœlo debeatur) ſed propter præſentem, vel inſtantem neceſsitatem, & afflictionem in carne. Neque de futuro ſeculo hoc dicit bonum eſſe (in quo nō eſt iſta neceſsitas) ſed de præſenti. Porrò ſunt qui neceſsitatem referant ad Apoſtoli ſeculum, quod certè pijs turbulentiſsimum fuit. Alij ad coniugij onera, partus, mœrores, educationes liberorum, curas & moleſtias, item & orbitates, &c. Sed videtur deſignare potius voluiſſe, inquietudinem, qua ſancti perpetuò in præſenti vita iactantur, atque ita ad omnia ſecula extenditur: vt ſenſus ſit, ſanctos ſusque deq; verſari ſæpius in terra, & multis varijsque procellis eſſe obnoxios

os:vt minimè ad coniugium apposita eſſe videatur eorum conditio. Nam in vrgentibus difficultatibus crucis cælebs expeditior eſt, quàm coniugatus. Per tribulationem verò ſeu afflictionem intelligit Apoſtolus matrimonij onera (de quibus etiam nonnulla Magnus Baſilius ſcripſit in epiſtola ad S. Gregorium Theologum:) & nomine carnis externum hominem, & humanæ vitæ rationem. Faciunt autem hæ moleſtiæ coniugij ad noſtram ſuperbiam frangendam, & ſunt pœnæ peccati admiſsi per Adamum, & aliorũ peccatorum: non tamen ſunt pœnæ matrimonij. Nam ſi puniretur, citra controuerſiam peccatum eſſet: quod tamen ſcriptura vt bonum & venerandum prædicat. Matrimonium ergo ſi moleſtias habet, id non ſuo, ſed noſtro vitio accidit. Si quis tamen cupit vt triſtis aqua ſuarum moleſtiarum & neceſsitatum, vertatur in optimum exhilarans vinum admirandæ benedictionis Dei, hic ad nuptias ſuas inuitet Chriſtum. i. in fide & inuocatione Dei contrahat matrimonium, parentum & amicorum conſilio: defectum vini & omnes neceſsitates, Chriſto indicet: faciat quod iuſſerit in ſua vocatione: & horam ſuæ benedictiois & auxilij patienter expectet, Ioan. 2.

3 Quomodo autem coniuges ſe gerere debeant, neq; hi ſolum, ſed & cæteri, qui res humanas in hoc ſeculo tractant, docet Paulus partim his verbis: Deuinctus es vxore, ne quære

quære ſolutionem: Quod enim Deus coniunxit (dicit Chriſtus Matt.19.) homo ne ſeparet: partim, quum inquit: Fratres, Tempus anguſtum eſt, ſeu contractum, ac ſimile tempori veſpertino, quo dies ad noctē vergit: reſtat, vt & qui vxores habent, perinde ſint, ac ſi non habeant, &c. Breuiter enim hic nos monere vult, ne mundum ſic diligamus, neq; ijs quę in mundo ſunt ita adhæreamus, vt nobis impedimento ſint, quò minus ad cœnam magnā, de qua Luc. 14 veniamus, regnumq; Dei quæramus. Fluxa enim & vmbræ ſimilima ſunt omnia, & indigna quibus nimiū hęreatur: nihil eſt in hoc mundo firmi aut ſolidi. Eſt nanq; facies tantū, σχῆμα, vel externa apparentia, vt loquuntur, vel quædam ſpecies, non res ipſa, non ſolida veritas. Et ea ipſa ſpecies inſtabilis ac citò periens eſt. **Es iſt alles nur ein vbergang in der Welt.** Præterit enim (vel ſeducit, vt Stapulēſis hic παράγει vertit) figura & habitus huius mundi: in quo ea quę vel bona videntur vel mala, nec verè bona vel mala, nec diuturna ſunt, ſed vmbratilia & trāſitoria. Laudatur Philippus rex Macedonū quòd nō inſolenter geſtierit ob rerū ſucceſſum, ſed fortunę indulgentiam ſuſpectam habuerit. Cum.n. illi nuncium eſſet allatum, vno die multas res feliciter ac proſperè geſtas eſſe. nam eodem tempore Tethrippo vicerat in Olympijs, & Parmenio Dardanenſes prælio fuderat, & Olympias ipſi maſculum fœtum erat enixa: porrectis in cælum mani-

bus exclamauit: Et ô fortuna, inquit, pro tot tantisq; bonis leui quopiam malo me affice. Nolimus ergo rebus fluxis & caducis hærere, ſed quæramus cœleſtia & æterná. Præclarè inquit Auguſt. Tra. 40. in Ioan. Vtere mundo, non te capiat mundus. Quod intraſti, iter agis: exiturus veniſti, non remanſurus. Iter agis, ſtabulum (vel diuerſorium) eſt hæc vita. Vtere nummo (vel mundo) quomodo viator in diuerſorio vtitur, menſa, calice, vrceo, lectulo, dimiſſurus, non permanſurus.

Sed quæras, qui habentes vxores, ſint tanquam non habentes? Iuxta Auguſtinum ſunt illi, qui habentes vxores, reddunt & nō exigunt debitum: qui propter infirmitatem proprias ducunt vxores, plangentes potius, quòd ſine vxoribus eſſe non poſſunt, quàm gaudentes quòd duxerint: qui pari conſenſu continentiam ſeruant. Iuxta Theophylactum, qui non omne ſtudium circa nuptias & vxores, conſumunt. Secundum Ambroſium, qui ad generandum non ſunt ſoliciti, neque ad vſum ipſum vxoris dediti. i. plus æquo propenſi. Iuxta Eraſmum in 3. lib. de Rat. concion. illi, qui non ſic ſunt vxorij, vt ſtudium pietatis voluptatis gratia negligāt. Secundum Flacium Illyric. moderatè & caſtè ac in timore Dei vtentes, non toti in eas voluptates immerſi aut effuſi. contrarium eſt quod dicit Chriſtus: Ement, nubent, vendent, &c. id eſt, toti addicti erunt illis rebus.

Secun-

Secundum alios illi, qui vxores neglectim habēt, perinde quaſi eas ſtatim eſſent amiſſuri vel, qui non ponunt in re vxoria ſummam felicitatem, adeò vt Dei obliuiſcantur, & abijciant curam æternæ ſalutis: ſed ſciunt hāc quoque rem, vt alias, non eſſe perpetuam, ſed temporaneam, & vnà cum habitu mundi præterire.

Deniq; illi qui vxorores ſuas non amant ſupra Chriſtum, neque ſinunt ſe ab illis in profeſsione euāgelij impediri, propter quod etiam parati ſunt illas, iuxta Chriſti regulā, Luc. 14. odiſſe, ac relinquere, ſi opus ſit. Vt verò & nos velimus ac valeamus Chriſti cauſa & euangelij, relinquere non ſolùm vxores & liberos, ſed etiam parētes, fratres, ſorores, domos, aut agros & omnia, quò tandem etiam vitę æternæ cum Apoſtolis electis ac ſanctis (Matthæi 19.) ſortiamur hæreditatem, largiatur nobis Deus pater ſpiritum ſanctū per Chriſtum Ieſum Dominū noſtrū, Amen.

CONCIO LI.

I. Corinth. 7.

VXOR alligata eſt matrimonio, quamdiu viuit maritus eius: quòd ſi dormierit maritus illius, libera eſt ad cui velit nubendū, modò in Domino. Attamen beatior eſt, ſi ſic maneat, iuxta meam ſen-

tentiam. Opinor autem quòd & ipſe ſpiritum Dei habeam.

1 De conditione mulieris in matrimonio conſtitutæ primùm hîc loquitur Apoſtolus: & dicit talem non eſſe liberam, ſed alligatam legi, hoc eſt, contineri lege de adulterio, cauenti ne adultera fiat, ſi alteri viro copuletur viuente marito, Rom. 7. Iam enim deſiit ſui iuris eſſe, ſed marito ſeſe aſtrinxit fœdere coniugij, donec ille vixerit. Sola mors dirimit hanc neceſsitudinem. Quiſquis enim init matrimonium, hoc init animo, vt ſit indiuulſa copula. Hinc non dicit, Vxor alligata eſt legi, ſcilicet viri, hoc eſt, matrimonio, quanto tempore ſanus vel iuuenis eſt, vel domi verſatur: ſed, quanto tempore viuit maritus eius. Debet ergo coniugij vinculum durare vſque ad mortem alterius partis.

Alligata poteſt etiam dici vxor, quia ſub poteſtate viri eſt, 1. Cor. 11. Satius autem eſt honeſto cõiugij vinculo ſtringi, quã implicari non ſolũ ſcortatorũ, ſed & ſatanæ laqueis.

Porrò ſi mulier lege obſtricta eſt, quandiu viuit eius vir: non debet illa quærere diuortium, nec à viro ſeparari, vt nec vir ab vxore. Eſſet enim hoc, dirumpere vinculum, quo colligati & coniuncti ſunt: id quod tum potiſsimè fit, quando mulier viuente viro, ſe alteri iungit. Hoc facere voluit vxor Potipharis. Gen. 39. Quam nullo modo debent imitari Chriſtianæ fœminæ, ſed potius caſtam

Su-

Suſannam, Dan. 13. Sed & viri ab adulterio neceſſe habent abſtinere, niſi velint iudicari à Domino, Hebr. 13. & à cœlorum regno excludi, 1. Corinth. 6. Galat. 5. & manifeſti fieri cum pudore, Eccleſ. 23. Si enim Dauidis adulterium eſt patefactum (nihil enim eſt tectũ, quod nõſit retegendũ: & nihil occultũ, quin futurum ſit vt ſciatur, Matt. 10.) quid ni etiã aliorũ ſtupra & adulteria manifeſta fierent?

Quum verò dicit mulierem aſtrictam viro quandiu vixerit, exceptio eſt addenda, quam Chriſtus habet, niſi adulterium interuenerit, Matth. 5. nec non ea, quam ipſe Paulus indicauit: Si coniux infidelis manere noluerit, 1. Corint 7. Meminit autem diſſolutionis tantummodò, quæ per mortem accidit: quia illa generalior eſt.

2 Secundò loquitur apoſtolus de vidua, inquiens: Sin obdormierit vir eius, id eſt, mortuus fuerit (quemadmodum Rom. 7. apertè dicit, ſæpè enim dormire, mori ſignificat: tunc autem non ad animam, ſed corpus refertur, Ioan. 11. 1. Corinth. 11. 15.) liberum eſt ei cui velit nubere, id eſt quẽ ſibi aptum putauerit: nulla habita ratione ſtultæ quęſtionis Sadducæorum de vxore & ſeptem fratribus qui omnes habuerunt eam. Matth. 22. Nota bene de qua libertate loquatur. Sunt enim qui verbum Dei peruertunt atque irrident. Libera eſt, inquit. Sed ad quid? Ad ſcortandúmne? Minimè gentium. Ad quid igitur? Ad nubendum (ait) cui velit,

dummodò in Domino. Argumentum ducit à contrarijs. Nam ſi ad vitam mariti alligata eſt mulier, morte ergo ſoluitur: poſtquam ſoluta eſt, nubat cui velit. Hoc (cui velit) quadrat de viduis, de virginibus non item: Nam illæ ſunt adhuc in poteſtate maiorum. Ambroſius eò refert, vt intelligamus coactas damnari nuptias. Quia (inquit) inuitæ nuptiæ ſolent malos prouentus habere. His ergo verbis apertiſsimè ſecundas nuptias approbat Apoſtolus aduerſus eorum tyrannidem, qui vetuerunt illis intereſſe clericos. Idem etiam facit, 1. Tim. 5. cum inquit, Volò viduas iuniores nubere, &c. Vetus teſtamentum ſecundas nuptias legitimas, altero coniuge mortuo, etiam non damnat, ſed approbat. Nam Abrahamus aliam duxit vxorem, nomine Cethuram, Gen. 25. & Abigail, Nabal mortuo, nupſit Dauidi, 1. Reg. 25. De nuptijs non ſolum ſecundis, ſed etiam tertijs & pluribus, idem ſentiunt Ambroſius in cap. 3. Epiſt. ad Tim. Epiphanius lib. 2. Tom. 1. Hereſi 59. Hieronymus in Epiſt. ad Marcellinum: & pro libris aduerſus Iouianũ. Lombardus lib. 4 Diſt. 42. Sed quid eſt, quod addit, Modò in Domino? Hoc quidam intelligunt de coniugio pari, vbi ſit vtrinque religio eadem, hoc eſt, vt maritus incredula vxore liberatus, fidelem ducat, & vxor fidelis, experta prius, quid ſit impio nexam eſſe, abhorreat ab impijs: pio verò nubat viro: q. d. Paulus: Modò ſit Christianum coniugium, hoc

eſt,

eſt, ne turpitudinis gratia affectatum, & cũ ejuſdem religionis viro contractum. Quæ enim pars fideli cum infideli? 2. Corinth. 6. Nonnulli tamen latius patere judicant, nempe ut religioſè & cum timore Domini id faciant, & ſecundum ejus præſcriptum in nomine Domini Ieſu, Coloſs. 3. in gloriam Dei, 1. Corinth. 10. non extra Dominum aut contra Dominum, ſed conſulto Domino & invocato nomine ejus. Sic enim auſpicatò matrimonia contrahuntur. Non igitur moveantur ut equus & mulus effrænata libidine, ſed adſit verecundia & modeſtia Chriſtianis digna. Nam qui Deum à ſe & à ſua mente excludunt, ſuper eos dæmon habet poteſtatem, Tob. 6. Et quoniam matrimonium eſt non ſolùm legitima, ſeu licita ex ordine & inſtituto Dei, ſed etiam perpetua ac inſolubilis, duorum maris ſcilicet & fœminę, ſtudio gignendę ſobolis, & vitandæ fornicationis, conjunctio ſeu copulatio in carnem unam: non temerè & abſque conſilio ac deliberatione ineundum eſt. Quoniam, ut habet Mimus Publianus: Deliberandum eſt diu, quod ſtatuendum eſt ſemel:

Dann vorgethan/vnd erſt darnach betracht/
Hat manchen in groß leiden bracht.

3 Tertiò oſtendit Paulus, utrum melius & commodius ſit in viduitate permanere, vel iterum matrimonium contrahere. Felicior eſt, inquit, (non coram Deo, ſed in hac vita, id eſt, non ſanctior erit, ſed commodius ha-

bebit) ſi ſic manſerit (& donũ caſtitatis habuerit: de hujuſmodi enim intelligendũ eſt) mea quidem ſententia. i. juxta meum judicium: quantum ego intelligere poſſum: Hoc dicit, ne rem iſtam neceſsitatem arbitreris, ſed conſilium: divinum tamen. Quia addit: videor autem ego quoque mihi habere Dei ſpiritum. Magnæ id humiliationis argumentum eſt. Non dixit: Habeo, ſed δοκῶ, id eſt, puto, ſeu arbitror ſive exiſtimo. Iuxta quoſdam non videtur ironia carere, quod dicit: Exiſtimo, ſeu opinor. Nam quum Pſeudoapoſtoli ſpiritu Domini inflatis buccis identidem jactarent, ad authoritatem ſibi arrogandam, & interea Paulo detrahere ſtuderent, dicit ſe quoque ſibi videri compotem Spiritus non minus quàm ipſos. q. d. Non minus de ſpiritu Dei, & forſan aliquanto verius gloriari poſſum, quàm iſti, quos tantopere ſuſpicitis.

Permittit igitur Apoſtolus ſecundas nuptias, contra ſpiritus impoſtores (qui concilio quodam mandarunt ſacerdotibus, ut nec benedicant ſecundas nuptias, nec ad prãdia illarum vocari ſe ſinant, ut citat Muſculus) teſtaturque eas non tantùm licitas eſſe, ſed etiam fieri in Domino, inque ejus timore, favore, ac etiam comprobatione & benedictione. Veruntamen beatiorem eam judicat, quæ in viduo ſtatu permanet, & ſtudio vacandi Chriſto tuetur redditam libertatẽ: non quia viduitas per ſe ſit virtus: ſed quia

quia pauciores habet moleſtias in cælibatu, quàm in conjugio. Etenim quæ nupſerit, & ſubdita eſt viro, multis curis domeſticis implicatur. Quemadmodũ ergo primis nuptiis ob hác cauſam prefertur virginitas, ſic ſecundis primæ ſunt potiores, quòd extra matrimonium minus curarum & afflictionum ſit devorandum, quàm in eo. Hinc & Apoſtoli dicunt Chriſto: Si ad iſtum modum habet cauſa hominis cum uxore, non expedit contrahere matrimonium: & hic illis, Qui poteſt (inquit) capere capiat. Eſt enim & hoc magnum commodum cælibatus pre conjugio (quemadmodum ipſe Apoſtolus verſu 32. hujus capitis exponit:) quòd cælibes poſſunt liberius vacare cultui ac religioni divinæ (præſertim ſi ſint in aliquo publicò miniſterio) quàm conjuges, qui domeſticis curis ac occupationibus diſtrahuntur. Taceo nunc quod manere in viduitate & majoris caſtitatis indicium, & majoris amoris ſignum ad primum virum ſit. Vnde Bernardus ãit: Pudeat ad negocium honeſtum rationem non poſſe in homine, quod natura poteſt in volucre, nimirum in turture. Et Portia Minor, quum laudaretur apud eam mulier quedam ut bene morata, quæ tamen iterarat matrimonium: Felix, inquit, ac pudica matrona non nubit niſi ſemel. Non paſſa eſt illam inter bene moratas numerari, quæ citra neceſsitatem aſciſceret alterum virum. Nam multas huc cogit egeſtas

Porrò coitus gratia nubere, non eſt verê pudicarum. Eoque dixit, Felix, excuſans neceſſitatem. Rurſum Hieronymus refert, quòd cùm Valeria vidua rogaretur ſecundum virum accipere, reſpondit ſe hoc non poſſe facere: quia vir ſuus adhuc viveret: quibus admirantibus dixit: Quandiu vixero, vir meus (Servius) per amorem ſemper vivet in corde meo. Sed & Annia, propinquis admonentibus ut alteri nuberet: eſſe enim illi & ętatem integram, & faciem bonam, quorum alterum ſpem faceret prolis, alterum promitteret amorem mutuum: Nequaquam, inquit, hoc faciam. Si enim bonum virum naſcta fuero, nolo timere ne perdam: ſin malum, quid neceſſe eſt, poſt optimum perpeti peſsimum. Item Martia Catonis filia minor, rogata quur à morte mariti nollet iterum nubere: Quoniam, inquit, non invenio virũ, qui me magis velit, quàm mea. Non probavit conjugium, quod non conciliaret amor mutuus. Quæ ducitur dotis cauſa, conductum habet concubinum verius quàm conjugem. Eadem quum diutius lugeret maritum, rogata, quem eſſet habitura diem luctus ultimum? reſpondit: Quem & vitæ. Sic illa ethnica, magno ſanè cum dedecore plurimarum Chriſtianarum, quæ viro nondum elato jam nupſerunt. Sed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius autem ſic. Idem Deus unicuique det ſua dona ad id quod expediat, per Chri-

Chriſtum Ieſum Dominum noſtrū, Amen.

CONCIO LII.

Epheſ. 5.

VXores propriis viris ſubditæ ſitis, veluti Domino, quoniam vir eſt caput uxoris, quemadmodum & Chriſtus eſt caput Eccleſiæ: & idem eſt, qui ſalutem dat corpori. Itaque quemadmodum Eccleſia ſubdita eſt Chriſto, ſic uxores ſuis viris ſubditæ ſint in omnibus. Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum expoſuit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundatam lavacro aquæ per verbum, ut adhiberet eam ſibiipſi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam ejuſmodi, ſed ut eſſet ſancta & irreprehenſibilis. Sic debent viri diligere ſuas uxores, ut ſua ipſorum corpora. Qui diligit ſuam uxorem, ſeipſum diligit. Nullus enim unquam ſuam ipſius carnem odio habuit, imò enutrit ac fovet eam, ſicut & Dominus Eccleſiam. Quoniam membra ſumus corporis ejuſdem,

ex carne ejus & ex oſsibus ejus. Hujus rei gratia, relinquet homo patrem ac matrem & adjungetur uxori ſuæ, atq; è duobus fiet una caro. Myſterium hoc magnum eſt, verùm ego loquor de Chriſto & de eccleſia. Quanquam & vos ſingulatim hoc præſtate, ut ſuam quiſq; uxorem diligat tanquam ſeipſum: uxor autem ut revereatur virum.

1 Paulus inſtituturus varia officia Chriſtianorũ, atq; poſt præcepta in genere ad omnes & erga omnes pertinentia, traditurus œconomica præcepta domeſticarum perſonarum, erga ſe mutuò: haud temerè primùm inſtituit Chriſtianum matrimonium. Rectius enim atque melius habebunt etiam reliqua officia, ſi rectè inſtitutum ſit conjugium. Iuventus enim Reipubl ſeges eſt. At ſi grando aut alia quædam calamitas ſegetem corrumpat, meſsis nulla fuerit ſpes reliqua. Et ſi rectè inſtituantur adoleſcentuli & pueri, rectius per omnes ætatum auctus habebunt. Sed quid ſaperent aut diſcerent liberi in malè inſtituto conjugio? Malè inſtitutũ conjugium eſt, in quo rixis & verberibus certatur de imperio, in quo nulla partium ſuum facit officium, in quo deeſt timor Dei, nullaq; certa ratio rerum gerendarũ habetur. Ita enim animo & corpore pereunt

eunt miſeri, perdunt & liberos. Sequitur inopia maleſuada, fraus, mendacium, & omnis iniquitas: deniq; & extremum ſupplicium deſperatio. Proinde ut tanta mala è domo propelleret Chriſtiana Paulus, diligēter inſtituit matrimonium. Non autem melius hoc inſtitui poteſt, quàm ſi cōformetur conjunctioni Chriſti & ejus Eccleſiæ, hoc eſt, mirando illi fœderi, quo Deus ſibi Eccleſiá copulavit, & ſummo ac inenarrabili amori divino erga ſponſam Eccleſiam: cujus fœderis imago & commonefactio eſt maris & fœminæ corporalis conjunctio in hac vita. Quemadmodum namque maritus indiſſolubili vinculo amoris uxori aſtringitur, adeò ut & ſecunda & adverſa omnia communia habeant: ſic & Chriſtus Eccleſiæ ſuæ copulatus eſt, dum illius pœnam pro peccatis meritam in ſua carne dependit, & dum ipſe unicus & naturalis hæres Patris ſui nos æterni gaudii cohæredes facit. Vnde hoc l[illegible]o Paulus: τὸ μυςήριον τοῦτο μέγα ἐςίν, ἐγὼ δὲ λ[illegible]ω εἰς χριςὸν, ϗ εἰς τὴν ἐκκλησίαν. Quæ exclamatio innuit non poſſe verbis explicari, quàm magna & admirabilis ſit ſpiritualis Chriſti & eccleſiæ conjunctio. Notandum verò obiter hìc errore veteris verſionis deceptos ſophiſtas, quæ vocem myſterium (qua Apoſtolus & alibi uſus eſt, ut Epheſ. 3. 2. Theſſal. 2. 1. Tim. 3.) vertit ſacramentum, ſtatuiſſe matrimonium eſſe unum ex ſeptem ſacramentis. Tot enim enumerant, quum duo Chriſtus

Coniugium an ſit ſacramentum.

duntaxat inſtituerit. Sed contrà nec vetuſti patres, ut Hieronymus, Auguſtinus, aut etiam Dionyſius, ſic conjugium vocant: nec uſquam legitur in novo Teſtamento, matrimonium eſſe ſacramentum. Vide, ſi placet, Eraſmi verba in Annot. & Auguſtinum in Tract. 9. ſuper Ioannem. Deinde non convenit ei definitio aut proprium ſacramenti, quòd per id nobis remiſsio peccatorum, aut reconciliatio cum Deo repræſentetur ac offeratur. Eſt quoque matrimonium commune & Iudæis & Gentibus, inde à condito mundo, ut & ipſorum ſacramentum eſſet. Præterea non vident iſti cæci duces (decepti vel ambigua ſignificatione nominis, vel potius ignorantia linguæ Græcæ) ſe ſibimet contradicere, cùm matrimonium habeant pro re carnali & profana. Quin etiam eorum Syricius Papa dicit, matrimonium eſſe in carne vivere, & neminem in eo Deo placere poſſe. Vide Diſtinct. 82. Cùm ſit ergo res tam profana & impura, quomodo poteſt eſſe ſacroſanctum Dei ſacramentum, ac ſolenne gratiæ Dei ſymbolum? Poſtremò etiam diſertè Paulus teſtatur, ſe in hoc dicto non de corporali hominum matrimonio, ſed de conjunctione Chriſti & Eccleſiæ loqui, ſicut & Oecumenius hunc locum exponit. Inquit enim: Ego autem loquor de Chriſto & eccleſia. Hoc myſterium, ſeu arcanum, magnum eſt. Quomodo magnum? Quia quum Chriſto in propria gloria manere licuiſſet,

ſe-

ſeipſum aſſumpta humanitate demiſit, ut adhæreret ac adjungeretur Eccleſiæ, factiq; ſunt duo unus ſpiritus. Nam qui adglutinatur ſive adhæret Domino, unus ſpiritus eſt, 1. Corinth. 6. Hoc verè magnum myſterium eſt: quia & magni momenti, & valde à judicio rationis abſconditum eſt. Nam iſta conjunctio Chriſti & Eccleſiæ non eſt res ficta, nec carnale aliquid, ſed ſpiritualis, & à communi hominum more captuque remotiſsima conjunctio, & denique magis fide credenda, quàm intellectu percipienda, & nihilominus vera, ſolida, & planè admiranda.

2 Quæ ſunt igitur officia, quæ Paulus uxoribus præſcribit? Iubet ſubditas eſſe propriis maritis, juxta Domini præceptum, Geneſ. 3. Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. Et hoc generale officium mulierum erga ſuos maritos omnia alia complectitur. Nam mulieris partes ſunt, maritum ſuum φοβεῖσθαι, id eſt, non ſervorum more timere, vel ut hoſtem & carnificem: ſed ut uxorem decet, ſanctè revereri, non tantùm ut virum, ſed etiam ut patrem, præ oculis habere, honorareque illum tanquam caput & principem & patronum ſuum, ac ſolicitam eſſe, ne illum offendat: vel, ut Chryſoſtomus hunc timorem declarat, ut non contradicat, ut non inſurgat contra virum, nec ſuperiorem dignitatem appetat: ſed (quemadmodũ Muſculus exponit) ſe non primo, ſed ſecundo loco conſtitutam, propterque illum, non

illum propter ſe conditam eſſe agnoſcat: deniq; ita revereatur virum ſuum, quemadmodum lunam videmus revereri ſolem, in cujus præſentia ſplendorem ſuum plurimum contrahit. In abſentia viri poteſtas domus ſit penes uxorē, ſic tamen ut nihil contra voluntatem illius tentet: in præſentia verò abſtineat ab imperio, claudat os, & aperiat aures ad audiendum mariti ſui vocem: hujus imperium agnoſcat, obediat, & ſponte quidem: imò & amet eundem candidè, verè & ſinceriter. Arduum enim id eſt, quod ſanctiſſimum Chriſti & Eccleſiæ exemplum proponitur, quo non ſanctius aliud invenias. Neceſſe ergo eſt ſanctum quoque ſit matrimonium, & amor ejus eximius.

Omnia autem eloquitur Apoſtolus propriiſsimis verbis. Vxores, inquit, τοῖς ἰδίοις viris ſubditæ ſitis. Propriis, inquit, ſignificanter. Per hoc enim illud obſequium excludit, quod ſcortū ſcortatori, & adultera adultero prȩſtat. Samaritana illa mulier, de qua Ioan. 4. quinq; viros habuit, ſed nō ſuos. i. proprios. Notatur ergo his verbis fides matrimonii, & excluditur ſcortationis vanitas atque perfidia. Deinde addit, Veluti Domino: non quia ſit æqualis authoritas, ſed quia mulieres Chriſto obedire neque unt, niſi ſe obſequentes viris præbendo: &, ne qua arrogantius objiceret: Egon' ſubderer illi viro? Ideo, Subditæ ſitis, ait ſcientes, quòd ſerviatis Deo: hoc eſt, ſi non propter virum: inprimis

mis, propter Dominum tamen. Nam ſi exteriori adeoq; mundi poteſtati reſiſtens, Domini poteſtati reſiſtit, quanto magis quę marito ſuo reluctatur? Itaq; è cõtrario, quę marito obedit, Domino obedit, cultumq; pręſtat Deo. Illius enim voluntas eſt, ut viris veſtris ſubditę ſitis. In hac ergo appendice tum magnitudo, ſinceritasq; ſubjectionis indicatur, tum etiam probatio aut cauſa, cur id faciendum ſit continetur: quia Dominus ipſe mulierẽ viro ſubjectam eſſe pręceperit, primùm quidem in creatione mitiore quadam ſubjectione, poſtea in pœna peccati duriore. Col. 3. inquit, non multò aliter, Vxores ſubditæ ſint propriis viris, ut convenit in Domino. Poteſt nihilominus ibi ſenſus eſſe, ſalva ante omnia pietate.

Obſervemus hinc, mulieres contumaces, rixoſas, perfidas, & non ſubijcientes ſeſe viris ſuis, ſatanæ, non Chriſto ſervire: ut habet Gloſſa Matthiæ Flacii.

Sequitur in Pauli verbis ſecunda & tertia ratio, cur mulier marito ſubjecta eſſe debeat: quia vir eſt caput uxoris, quod declarat collatione Chriſti & eccleſiæ. Eſt autem vir caput uxoris, jure, præſtantia & utili regimine ipſius, 1. Corin. 11. Præterea quia talis ſubjectio eſt utilis mulieri, & toti domui, quia perinde ſervet dominium patris totum corpus familiæ, ſicut Chriſti regimen ſervat eccleſiam. Quanquã hoc dictũ, Salutem dat, &c. rectius refertur ad Chriſtũ, quàm ad vi-

rum: nihilominus tamen verum eſt, quòd paterfamiliâs ſervet domum, alendo, regendo, & tuendo: ſicut mox declarat Apoſtolus viri eſſe, fovere uxorem ſuam, tanquam propriam carnem. Itaq; meritò debet dominari. Proinde ſicuti Chriſtus eccleſię ſuę pręeſt in ejus ſalutem: ita nihil eſt mulieri utilius, nec magis ſalubre, quàm ut marito ſubſit. Perire igitur affectant, quæ renuunt ſubjectionem, ſub qua ſalvæ eſſe poterant.

Quomodo porrò & in quibus uxor marito ſubdita eſſe debeat, Apoſtolus quoque oſtendit, cũ inquit, Ac quemadmodũ Eccleſia Chriſto paret, ſic uxores ſuis viris parere debent in omnibus. Apertius docet, quod ſuprà dixit, Obtemperate propriis maritis, tanquam Domino. q. d. Quemadmodum eccleſia (nimirum vera, quæ eſt electorum & unica: vel ut Oecumenius exponit, tota multitudo: nam inter ſingulos is etiam continetur, qui inobediens eſt) Chriſtum ſponſum, caput & principium ſuum veneratur, ſuſpicit, illi unicè adhæret, fidit, & tota ab illo pendet: talis quoque reverentia, amor, & fides uxorem decet erga maritum ſuum. Eccleſia uni Chriſto adhęret, alios viros neſcit, ſolũ audit, hunc ineffabili amore amat, huic ſervire & immori gaudet, hunc cogitat, hũc ſomniat, hunc unicè complectitur, & quocunque ierit ſequitur. Ad eundem ergo modum ſubdita ſit marito ſuo uxor Chriſtiana: idq; in omnibus, ſalva tamen pietate & honeſtate:

neſtate: vel per omnia, ſancta (inquam) & honeſta, & utilia, & poſsibilia, qualia à marito tanquã capite ac ſervatore uxori ipſius rectè præcipi poſſunt. Si enim his diverſa & contraria maritus præceperit (quod tamen fidelis nunquam ſciens faciet: de infidelibus autem Paulo nunc non eſt ſermo) illud Petri Actor.5. ab uxore obijci poteſt: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Sed & ubi uſuvenit, ut voluntas viri abludat à voluntate Dei, conveniat autem illi voluntas uxoris, ibi vir potius uxoris ſuæ, quàm uxor viri vocem audire, ſequique debet: ſicuti videre eſt in hiſtoria Abrahæ & Saræ, Geneſ. 21. ubi jubetur Abraham divino oraculo, ut quod dixerat Sara, audiat & faciat, propterea quòd verbum Saræ ſecundum voluntatem Dei: voluntas verò illius admodum ab illa diverſa erat. Ad eundem modum & Iſaac prædicatur, quòd in ablegando filio Iacob, uxori ſuæ Rebeccæ paruerit. Sed quum nihil jubet maritus, quod divinæ legi ſit adverſum: uxor in omnibus obſequi debet. Exemplum habent uxores ejuſmodi obedientiæ in eadem Sara, Geneſ.12.18. 1.Petri 3. & in Sunamitide, quæ petit à marito veniam eundi ad Eliſæum, cùm ejus filius eſſet mortuus, 4. Reg.4. Hìc ergo corruunt illa mulierum dicta, Quòd ſi maritus meus talis aut talis eſſet, lubens illi obedirem, &c. Quæcunque enim uxor eſt, quacunque ſit natalium ac fortunæ dignitate pręſtans, ſer-

vare ac præſtare debet officium uxoris, ſubdita ſuo marito, tanquam Domino. Quemadmodum rurſus, quiſquis maritus eſt, ſive epiſcopus ſit, ſive balneator: ſive rex, ſive ſubulcus: ſive dives, ſive pauper, officium mariti præſtare debet.

3 Quod autem officium mariti ſit, & quomodo hic ſe erga ſubditam ſibi uxorem gerere debeat, Apoſtolus copiosè docet. Quoniam enim vir liberioris videtur eſſe poteſtatis & arbitrii, utpote quaſi quidam in ſua domo αὐτοκράτωρ, pluribus illum inſtruit, officiumque illius aliquanto majore cum diligentia explicat, ne dignitate ac poteſtate ſua erga infirmam ac ſubjectam ſibi uxorculam tyrannicè ac contemptim abutatur, atque ita ſtatum à Deo ordinatum corrumpat.

Dicit ergo, Viri diligite uxores veſtras. Quare non dicit, Dominamini, & imperate uxoribus veſtris: eſtis enim illarum magiſtri ac domini, quare ſubijcite eas, & cogite, ut juſsis veſtris obediant? Quorſum attinet de dilectione præcipere, ubi agitur de ſubditis, cùm ſubjectio & dominium magis, quàm ſubjectio & dilectio ſibi invicem correſpondeant? An non hoc juris habet vir in uxorem, ut illi dominetur? idque ſecundum ſententiam Dei, de qua ad Evam dixit: Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominibitur tibi? Reſpondemus cum Vvol. Muſculo: Reſpectus Apoſtoli hoc loco non eſt, quid juris habeat maritus in uxorē ſuam, ſed quid illi de-

debeat. Loquitur utrobique de debito. Subjectionem debet uxor viro. Poſtquam de hac admonuit uxores, jam viciſsim admonet viros, quid illi uxoribus ſuis debeant. De jure poteſtatis ac dominii ſatis meminit, dum præcipit uxoribus, ut viris ſuis ſint ſubditæ. Convenientius de illo admonuit uxores, quàm ſi viris dixiſſet: Viri dominamini uxoribus veſtris. Et Deus ipſe non dixit Adæ, Poteſtatem exerce in uxorem, ac dominare illi: ſed Evę, Sub poteſtate viri, inquit, eris, & ipſe dominabitur tibi. Aliàs abundè notum eſt viris, quid juris habeant in uxores ſuas, ut de illo nulla ſint neceſsitate admonendi, quemadmodũ & uxoribus neceſſe non eſt, ut de jure quod habent in viros ſuos inſtruantur. Vtriq; plus æquo propenſi ad hoc ſunt, ut jus ſuum perſequantur: omnium autẽ de eo rariſsimè cogitant, quid alter alteri debeat Quare omnium conſultiſſimè factum eſt ab Apoſtolo, quòd quemadmodum uxores admonuit, quid viris ſuis debeant, ſubjectionem videlicet: ita mox & viros admonet, quò ſint debito uxoribus ſuis viciſsim obſtricti, dicẽs: Viri diligite uxores veſtras. Vnde rectè Theophylactus: Quid verò, inquit, ſi non metuat mulier? tu tamen dilige, tuoq; officio fungere. Similiter & mulier: etiamſi enim non diligatur, metuat tamen. Vis autem uxorem tibi ſubditam eſſe veluti Domino? dilige eam (inquit Oecumenius) ſicut Chriſtus eccleſiam, &c.

Rurſus dixerit quiſquã: Quid attinet monere viros, ut uxores ſuas diligant, cùm ſit ipſis naturaliter inſitum, ut diligant mulieres? Reſpondemus: Non dicit, Viri diligite mulieres: ſed, Viri, diligite uxores veſtras. Aliud eſt diligere mulierem ut mulierem, aliud diligere eam ut uxorem. Prius quidem ineſt viris ut viris naturaliter: poſterius verò non ita. Quia natura noſtra corrupta nõ accommodat ſe conſtitutioni divinæ, quę legitimam uxoris dilectionẽ requirit, quemadmodum neq; mulieres naturali ſunt ductu viris ſuis ſubditæ. Aliud enim eſt ſimpliciter ſubdi mulierem viro ut maſculo: aliud verò ſubdi eam, ut uxorem ſuo marito, capiti ac ſervatori ſubjectione legitima, qualem conſtitutio divina poſcit. Eſt itaque non niſi piorum ac timentium Dei virorum diligere uxores ſuas, propterea quòd ſunt ipſorum uxores, à Deo ipſis conjunctæ. Qui ſic animati ſunt, non reſpiciunt in uxoribus ſuis ſubjectionem, & jus poteſtatis, quod in illas habent: ſed ordinationem divinam, & indiſſolubilem conjugalis vitæ ſocietatem. Dum iſta conſideramus, facilè intelligimus, quàm non ſit præter rationem, quòd viris præcipit Apoſtolus, ut uxores ſuas diligant. Corrupta noſtra caro, in vetitum ſemper connitens, & negata concupiſcens, propenſior ad hoc eſt, ut alienas diligat uxores. Quemadmodum autem Eccleſiam uxoribus, ita Chriſtum viris imitandum exempli

pli vice proponit. Præſcribit enim illis ardentem dilectionem erga uxores, quam ornat, illuſtrat ac confirmat collatione officii ac beneficiorũ Chriſti erga Eccleſiam: quam ſimilitudinem tum ideo adhibet, ut tantò magis excitet conjuges ad mutuum officiũ, tum etiam, ut hac occaſione declaret myſterium Chriſti & eccleſiæ. Ait ergo Chriſtum adeò dilexiſſe Eccleſiam, ut ſemetipſum pro ea tradiderit, quæ eſt ingens amplificatio, aut declaratio dilectionis Chriſti erga ſuam eccleſiam. Majorem enim dilectionem nemo habere poteſt, teſte Chriſto apud Ioannem, quàm ut animam ſuam pro dilecto ponat. In hac ergo collatione primũ poſſet videri cauſa præcepti in verbis: Sicut dilexit: deinde modus aut quantitas delectionis in verbis, Seipſum tradidit. Vnde & de Davide legitur, qui typus Chriſti fuit, quòd duas uxores ſuas ab Amalechitis captas cum periculo vitæ liberarit, atque eruerit, 1. Reg. 30. Cupidè autem ſolet Apoſtolus per occaſionem, ab inferioribus doctrinis ad nobiliores & præſtantiores digredi: ſicut hîc à conjugio ad conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ. Occaſione igitur dilectionis officiorumque mariti erga uxorem, tranſit ad dilectionem & beneficia Chriſti erga eccleſiam, cujus gratiæ gradus aptiſsimè hîc diſtribuuntur tribus verſibus: primùm enim dilexit eccleſiam: deinde ex dilectione tradidit ſeipſum pro ea, ſicque eam ex ſervitute diaboli & pec

cati, ſibi in propriam ſponſam redemit: tertiò, ſanctificat ſibi eccleſiam, remiſsione peccatorum & regeneratione, inhabitatione ſpiritus, adoptioneque & inſitione in corpus ſuum: quartò modus & inſtrumenta hujus ſanctificationis indicantur, nempe per verbum & ſacramenta, quibus fides, ut correlativum, reſpondet: illa enim ſunt larga patris cœleſtis manus, omnia bona ſua nobis largientis: hæc verò, noſtra manus mendica, omnia bona ab ipſo precariò accipiens: quintò, indicantur duo fines, ut planè eſſet munda & inculpata, & eſſet ſponſa ipſius: poſtremò addit, quòd etiam ſimus membra corporis Chriſti. In quo alludere videtur ad creationem hominis, ubi mulier dicitur caro de carne viri, Geneſ. 2. Etſi autem hîc tantùm ipſum ſimile urget: tamen vult inde intelligi etiam ipſam rem ſimilitudine declaratam, de qua inſtitutus eſt ſermo. Quandoquidem enim multi mariti ſuę inhumanitati erga uxores prætexere ſolent earum aliquas infirmitates: ideo jubet ipſos expendere, quàm immundam ſponſam Chriſtus primū acceperit, & dilexerit (Rom. 5.) & quàm nō abhorruerit ab ejus ſordibus, adeò ut eas in ſe tranſtulerit, ipſamque ſuo ſanguine abluerit, & abluere quotidie pergat, donec eam penitùs purificet: in qua ſponſa vult etiam, ut nos ipſi noſtras originales ſimul & quotidianas ſordes, & Chriſti lotiones diligenter conſideremus, gratoque animo celebremus.

mus. Hanc verò totam ſimilitudinem videtur Apoſtolus ex Ezechiele cap.16.huc transtuliſſe.

Cæterùm dilectionis Chriſti excellentia hactenus eſt propoſita viro, ut ſicubi uxorem nactus fuerit, cujus præcedens vita non admodum fuerit munda & caſta, & morigerata, hoc illam nomine non faſtidiat: ſed nihilominus ex animo tanquam uxorem diligat, & ſi qua ratione poterit, à priſtinis ſordibus repurget. Exempli enim hujus imitatio nihil poſcit eorum, quæ præſtari à marito non poſſunt, ſed peculiaria ſunt Chriſto: qualia ſunt, quòd dilexit nos priuſquam eſſemus, & exiſtentes quoq; priuſquam ſponſa ipſius per fidem fieremus, & quòd ſemetipſum pro peccatis noſtris Deo victimã expiationis qua redimeremur, obtulit, & quæ alia ſunt ejuſmodi. Satis ad exemplũ Chriſti diligit uxorem ſuam, qui quam habet, & cũ qua vivit, ſic diligit, ut ampliore eam dilectione proſequi non poſsit.

Primum ergo ac potiſsimũ conjugalis hujus dilectionis exemplum eſt in dilectione Chriſti, qua eccleſiam ſuam ad mortem uſq; dilexit. Alterum eſt in ea, qua noſtra ipſorũ corpora diligimus. Dicit enim: Sic debẽt viri diligere ſuas uxores, ut ſua ipſorũ corpora. Quę particula bifariam accipi poteſt. Primò ſic, ut ſit αἰτιολογία, & cauſam dilectionis exprimat in hunc ſenſum: Viri debent uxores ſuas diligere, tanquam ſua ipſorum cor-

pora.i.eò quòd ſunt ipſorum corpora. Huic ſenſui concordant, quæ ſequuntur. Corpus ſanè uxoris, ut de viro eſt ſumptum, ita eſt & viri corpus. Quare haud fruſtrà requiritur à viris, ut uxores ſuas vel hoc nomine diligant, quòd ſunt ipſorum corpora. Deinde ut ſit alterum exemplum, ad quod ſe viri uxores ſuas diligendo conformare debeant, & expreſsio magnitudinis dilectionis illius, hoc ſenſu: Sic debent viri diligere ſuas uxores, quemadmodum diligunt ſua ipſorum corpora, hoc eſt, ſeipſos. Sic etiam in concluſione materiæ hujus dicit: Quanquam & vos ſingulatim (nemine dempto) hoc præſtate, ut ſuam quiſque uxorem diligat tanquam ſeipſum: id quod etiam bifariam exponi poteſt, vel ut ſit, Sicut ſeipſum.i.quemadmodum ſeipſum diligit, ita diligat & uxorem ſuam. quo ſenſu dictum eſt & illud, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Vel ut ſit, Tanquam teipſum, ſicut Eraſmus vertit: quod nihil eſt aliud, quàm tanquam ſuum ipſius corpus, tanquam ſuam ipſius carnem, tanquá eam, quę eſt alter ipſe, tanquam eam in qua ſeipſum diligat. Vnde etiam ait: Qui diligit ſuam uxorem, ſeipſum diligit. q. d. Quemadmodum qui corpus ſuum diligit, ſeipſum diligit: ita & qui uxorem ſuam diligit, ſeipſum diligit: quia uxor eſt corpus viri & alter ipſe. Nullus autem unquam ſuam ipſius carnem odio habuit, ſed enutrit ac fovet eam: videlicet, ne qua cibi ac veſtitus penuria

nuria laboret. Hoc argumento, ex communi ac naturali mortalium omnium affectu, ductu ac ſtudio ſumpto, demonſtrant eos, qui uxores oderunt, propriam carnem inſtar furioſorum hominum odiſſe, & cum natura ipſa pugnare: quia ſicut quiſque proprium corpus diligit, ita etiam teneatur, & naturaliter ſoleat uxorem, exiſtentē corpus ſuum, diligere & fovere. Conſecutionem primùm probat, collatione myſticæ conjunctionis Eccleſiæ ac Chriſti eam implentis inſtaurantisque, denuò rediens ad illam nobiliorem doctrinam: deinde de teſtimonio Dei, qui & ordinet ac pronunciet, duos conjuges adeò eſſe conjunctos, ut ſint inſtar unius individui, conſtituantque (ut vulgò loquuntur) unam perſonam, ut jam non ſint duo, ſed unus homo, una caro, unum corpus. Vt ſic unum ſint atque eſſe poſsint ſinguli conjuges, ſicut Deus vult ac præcipit, faxit ille qui dixit Marthæ, Luc. 10. Vnum eſt neceſſarium: & Patri cœleſti, Ioan. 17. Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro his, qui credituri ſunt per ſermonem eorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint, ut credat mundus quòd tu me miſeris, & ego gloriam, quam dediſti mihi, dedi eis: ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus: Ego in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unum, & ut cognoſcat mundus quòd me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti Pater, quos

dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum, ut videant gloriam meam, quam dediſti mihi. O qualis gloria! Gloria videlicet filiorum Dei, gloria ſponſæ Chriſti, gloria regis regũ, & Domini dominantium, gloria immortalitatis, gloria clarificationis ac cœleſtis ſplẽdoris: cujus glorię utinã & nos omnes, quotquot adſumus, unà cum reliquis membris Eccleſiæ, quam ſibi Chriſtus ἔνδοξον .i. glorioſam ſiſtet & adjunget, ut ſecum ſit in ſempiternum, μέτοχοι ϗ κοινωνοί .i. participes ac conſortes fiamus, inq; ea cum ipſo Chriſto, vita noſtra cùm apparuerit, appareamus, Amen.

CONCIO LIII.

Coloſ. 3.

ET quicquid egeritis ſermone aut facto, omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti facite, gratias agentes Deo & patri per illum. Vxores, ſubditæ eſtote propriis viris, ſicut convenit in Domino. Viri diligite uxores, & ne ſitis amarulenti adverſus illas.

1 Quis hæc verba loquatur, ſciendũ eſt: ut quando intelligemus loquentem ac præcipientẽ magnum eſſe, libentius ac diligentius audia-

audiamus Eſt autem ea loquutus ille, qui de ſe Gal. 1. ſcribit: Neq; enim ego ab homine accepi illud (nempe Evangelium) neq; didici, ſed per revelationem Ieſu Chriſti: h. e. Apoſtolus ſeu legatus Ieſu Chriſti domini noſtri, à quo ille accepit, quod tradidit nobis. 1. Corinth. 11. imò Dominus Ieſus ipſe, ſpiritusq; Patris per Apoſtolum illum Paulum, 2. Corint. 13. Matth. 10.

Verùm ne putemus ea, quæ hîc præſcribit atq; docet, ad nos nihil ſpectare, videndum fuerit etiam qui ſint illi, quibus hæc præſcribit ac loquitur. Primò autem in genere alloquitur omnes Chriſtianos omnis ſtatus & conditionis: deinde hoc ſpecialiter & partialiter facit, & ſingularum conditionũ ſingulas perſonas admonet, quid quenque in ſua conditione deceat. Et quia præeminentiſsima vitæ conditio eſt conjugium, ab eo exorditur, & primùm inſtruit uxores (quoniam mulier prior peccavit) deinde viros: nec ſolùm illos, qui jam nunc matrimonium contrahunt, ſed etiam eos, qui olim contraxerunt, ut ſi hactenus officio ſuo non ſint functi, nunc corrigant, & pro venia delictorum rogent: & inſuper quoque illos, qui cogitant de matrimonio conjungendo, ut diſcát in tempore ea, quibus opus eſt in conjugio, ut ſit felix & fauſtum.

2 Quid igitur omnibus in univerſum Chriſtianis hominibus præcipit doctor ille gentium? Generalẽ illis regulã omnium actio-

num præſcribit. Quia enim fidem & ſpiritum ſanctum habent, non poſſunt non aliquid agere. Nam & loquuntur & operantur, Pſalm. 116. Tit. 3. & ſicut arbores bonæ bonos fructus faciunt. Quoniam autem & bona non bene fieri poſſunt (Matth. 6. 1. Corinth. 13.) docet, quomodo omnia, quæcunque agimus ſermone aut facto (ſeu quæ dicenda faciendaque nobis ſunt, tanquam hominibus Chriſtianis, non tanquam malis & carnalibus) facere debeamus. Quicquid, inquit, vel verbis vel re facitis, id in Domini Ieſu nomine facitote, Deo patrique per eum gratias agentes. Per eum, inquit, per quem ſcilicet nihil nõ vertit nobis in bonum, quique eſt mediator noſter inter nos & Deum patrem. Eſt autem juſtum, ut per quem pater omnia bona largitur, per eundem illi gratiæ agantur, Hebr. 13. 1. Petr. 2. idq; ſemper & pro omnibus, Epheſ. 5. 1. Theſſal. 5. Pſalm. 34. Sive læta ſint, ſive triſtia quæ accidunt, agendæ ſunt Deo gratiæ, qui non lætis modò, ſed & triſtibus ſalutis noſtræ rationem habet: & dum nos caſtigat, cavet ne hoc cũ mundo damnemur: τί γὰρ ἄλλο ἔργον θεοῦ, ἢ τοῦτο, τὸ εὐεργετεῖν τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος, καὶ διὰ κολάσεων καὶ δι' ἀνέσεων, inquit Chryſoſt. Sed quomodo omnia in nomine Domini Ieſu (in cujus peculium per gratiam Dei aſſumpti ſumus) facienda ſunt? aut quid eſt facere aliquid in nomine Domini? Eſt ex illius juſſu & mandato, ſecundum illius præſcriptum aliquid

fa-

facere. Vult enim Dominus ut ſervemus quæcunque ipſe præcepit nobis, Matth. 28. vel eſt ſic aliquid agere, ut ad illius gloriam pertineat ac fiat, 1. Corinth. 10. vel ita facere, ut dirigatur ad Dominum, tanquam vitæ noſtræ ſcopum. Hunc enim cogitare debemus in omnibus viis noſtris, Proverb. 3. & jugiter propoſitum habere ob oculos. Pſal. 16. vel, facere aliquid quod non ſit contra ſalutem noſtram. Nomen enim Domini eſt Ieſus, id eſt, ſalvator, Matth. 1. vel facere omnia tanquam ex virtute, quam ſuppeditat Deus & Dominus, ſine quo nihil facere poſſumus, nec tanquam ex viribus noſtris, 1. Petr. 4. vel eſt, fiducia nominis Chriſti aliquid facere, illumque nominare & invocare, non angelos ipſos inducere: ac tum demum opera aggredi, ubi primùm preces ad D. Ieſum fuderis. Ergo etiam oratione ad conjugium accedendum eſt, quemadmodum angelus monet, Tob. 5. & exemplum Tobię & Saræ, Tob. 8. Eſt & alius modus faciendi aliquid in nomine Domini Ieſu, quo videlicet in perſona, loco & authoritate Domini aliquid facimus: id quod propriè eſt miniſtrorum Domini. Omnium verò Chriſtianorum eſt ſic inſtituere vitam, ut quicquid dicunt aut faciunt, hoc totum regatur auſpiciis Chriſti, & in ejus gloriam tanquam in ſcopum reſpiciat. Commodè enim utrunque hoc verbo comprehendemus, nempe ut exordium ab invocatione Chriſti habeant

ſtudia noſtra omnia, & ejus gloriæ ſerviant. Vſus porrò adhortationis hujus eſt, ut religione nominis Chriſti à malis tam verbis quàm operibus avocemur, ut quæ à nobis nec authoritate, nec fiducia illius fieri poſſunt. Omnium namque impiiſsimum eſſet, ſi mali quicquam vel dicturi, vel facturi, nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, prætexeremus, quaſi ille vel author, vel auxiliator poſsit eſſe malorum.

3 Quid Apoſtolus ſingulariter uxoribus Chriſtianis præſcribit hoc loco? Idem planè, quod & in epiſtola ad Epheſ. cap. 5. Ait enim: Vxores ſubditæ eſtote propriis viris, ſicuti convenit in Domino. Cur autem non in omnibus epiſtolis, ſed in hac, & ad Epheſ. & in epiſtolis ad Timoth. ac Titum hæc præcipit? vel quia veriſimile eſt (teſtante Theophylacto) quòd in his urbibus tales diſſenſiones fuerint: vel quia firma erat hîc Eccleſia, ac reliqua apud eos bene habebant, recteque tranſigebantur, quod ſupererat de hiſce loquitur. Porrò aliis in altioribus dogmatibus deliquium patientibus magis erat neceſſarium de iis etiam ſcribere, ac hujuſmodi adhortationes prætermittere. Chriſtianæ uxori duplicis generis ἀνῆκον propoſitum eſt. Vnum, quod ſtatum conjugii in ſe apud omnes gentes concernit, in quo hoc eſt legitimum & laudabile, ut uxor ſubſit & obediat ſuo marito. ſic enim eſt ordinatum à Deo. Alterum, quod reſpicit ad fidem ac re-

religionem Chriſti. Hujus admonet Apoſtolus hîc, cùm dicit: Sicuti convenit ac decet in Domino.i. ſicut Dominicis dignum eſt: vel, ſicut convenit uxori, quæ eſt in Domino i.eſt Chriſtiana. Hanc decet omnem præſtare obedientiam viro debitam, ne quo pacto nomen ac fidem Chriſti infamet, ſi ſe gerat ſecus quàm convenit. Deinde, ne ultra limites honeſti conjugii in iis quoque quæ religionem concernunt, viro contra Dominum obediat: proponitur illi reſpectus Domini, ut ſubdita ſit ſicut convenit ei quæ eſt in Domino. Si maritus jubeat abnegare Chriſtum, & adhærere Ethniciſmo, non eſt hîc Chriſtiana mulier obſtricta ad obediendum: quia id non convenit ei quæ eſt in Domino. Hoc ſenſu ſeruit præſens particula conjugibus illis, quæ maritos habent infideles, cùm ipſæ ſint Chriſtianæ. Hodie illam ſic rectè formabis: Vxores ſubditæ eſtote propriis viris, ſicuti convenit in Evangelio, propter imparia conjugia, in quibus paſsim alter conjugum evangelio, alter Papiſmo adhæret. ubi uxor euangelica non tenetur contra evangelium obedire ſuo marito, papiſticis abominationibus dedito.

Quidam ſic contexunt verba illa: Subjectæ eſtote in Domino, quemadmodum decet. Sed alii rectius: Sicut in Domino decet, h.e. ſecundum Domini inſtitutionem: ut mulierum ſubjectionem Dei authoritate confirmet, qui ita ab initio voluit, ut viro mulier

ſubijceretur. Vnde Theophylactus, Quid autem (inquit) eſt, In Domino? pro eo quod eſt, propter Dominum obedite: non enim tantùm à natura obedientiam, quam eis debetis, à vobis exigo. Hoc enim indicat per hoc quod ait, Quemadmodum oportet, ſive decet: h.e. ut conveniens eſt & decorum: ſed potiſsimum etiam eam, quę eſt propter Dominum.

Porrò quemadmodum & reliqua præcepta Dei (quæ ſunt præcepta medici) duo in ſe habent: primum quòd morbum produnt & impugnant: alterum quòd ad ſanitatem promovent: ita & hoc præceptum uxoribus traditum duorum iſtorum rationem habere neceſſe eſt. Primò nanque docet mulieres quales ſint, quàmque corruptæ. Quæ enim naturam habent incorruptam, his certè nihil eſt opus præcipere ut faciant, quod alioqui naturæ ductu faciunt. Quod ergo præcipitur mulieribus, ut ſuis viris ſubditę ſint, indicat eas ita corruptas eſſe, ut viris propriis non ſint ſubditæ ac obedientes, ſed malint ipſæmet potius magiſtræ eſſe ac viris ſuis dominari, quàm illis ſubijci. ut Vaſthi uxor regis Ahaſueri, Eſther 1. Deinde docet hoc præceptum, uxores quales eſſe debeant, ut veræ Chriſtianæ ſint atque felices. Idem & de præcepto viris dato ſentiendum eſt.

4 Quid ergo his Apoſtolus præcipit? Viri (inquit) diligite uxores, & ne ſitis amarulenti adverſus illas. Quo mandato docemur, quàm

quàm & nos viri ſimus depravati, diligentes non proximum, ſed nos ipſos: non proprias uxores, ſed alienas. Alioqui quid opus erat præcipere, ut uxores noſtras diligamus? Ad Epheſios enim capite 5. Apoſtolus addit ἑαυτῶν: Viri, inquiens, diligite uxores veſtras. Eſt autem diligere vel amare (ut Ariſtoteles definit lib. 2. Rhetor.) velle alicui quæ putes bona, non tui ipſius gratia, & ꝓ viribus etiã ea quæ volueris illi præſtare. Diligendi ergo vocabulo omnia comprehenduntur, quę ſuis uxoribus mariti debẽt.

Animadverte autem (inquit Theophylact.) quomodo ejus quod cuique generi competit commonefaciat, uxores quidem ut obediant, maritos verò ut diligant: ab illis requirit ſubjectionem, ab his in uxores benevolentiam. Neque enim adeò ſubditorum requitur in principes amor, ut principum in ſubditos charitas poſcitur. Mulier nanque cùm adamatur, & ipſa reciprocam refert amoris viciſsitudinem: obſequio vir manſueſcit, & benignum ſe præbet. Quia verò fieri poteſt, ut quiſquam diligat, & interim tamen ſit amarulentus exaſperatuſque: maximè enim erga amatas perſonas hæ contingunt amarulentiæ: propterea inquit, Ne exaſperemini, néve in eas ſævite, more leonum, Eccleſi. 4. neque nimis exquirite & obſervate materiam objurgandi, neque exactè ſemper punite, neque pro levibus rebus tragœdiam excitate. Revera enim

ex multa hoc fit amaruletia, quod quiſquam diſsideat adverſus membrum ſuum. Vt ergo mutua & Chriſtiana pax domi ſervetur, omnem amarulentiam & nimiam moroſitatem procul abeſſe oportet. Vnde hoc loco D. Paulus in deſcriptione officii maritorum addit: Et ne ſitis amarulenti, hoc eſt, duri, ſęvi, difficiles, acerbi adverſus illas. Etenim amarulentiæ opponitur manſuetudo, placabilitas, affabilitas, &c. Ac videtur quidem prima fronte haud neceſſariò hoc eſſe adjectũ. Qui enim uxorem ſuam diligit, amarulentus erga illam eſſe non poterit, ut Muſculus annotavit. Verùm ſi conſideremus, quàm frequenter accidat, ut amor læſus in acerbiſſimam mutetur amarulentiam, daß man ein andern erleydet/ vnd die erſte liebe erlöſchet oder verbitteret wirt, id quod carnali amori evenire ſolet: puto manifeſtum fieri haud eſſe particulam hanc fruſtrà adjectam ab Apoſtolo, ne hoc in Chriſtianorum conjugiis fiat, cavendum eſſe cenſuit. In ſeculo crebra eſt hęc mutatio, ut viri uxores ſuas, quas initiò impensè juxta carnem adamarunt, acerbo odio levi de cauſa proſequantur. In hujuſmodi πικρογάμοις non poterunt legitimi conjugii jura ſervari. Quare & lex divortiũ permittebat, ubi uxor gratiam in oculis mariti ſui reperire non poterat, Devteron. 24. Hortatur itaque Apoſtolus Chriſtianos viros, ut uxores ſuas nõ uno duntaxat menſe, ſed cõſtanter diligant, & caveant, ne ſecula-

rium

rium hominum exempla ſecuti, conjugalem dilectionem in odium, & quæ ex odio naſcitur, amarulentiam degenerare ſinant. Pugnat enim amarulentia hæc ex diametro contra voluntatem Dei, qui marem & fœminam in unam carnem conjunxit, & admodum Chriſtianorum conjugia infamat. Pugnat etiam contra præceptum Apoſtolicum, quod viris mandat, ut uxores ſuas diligant, quemadmodum Chriſtus dilexit Eccleſiam. Dilexit autem hanc ille quidem amore gratuito, recto, diſcreto, vehement, fructuoſo & perſeveranti. Gratuito, quia non præcedentibus ipſius Eccleſiæ meritis. Vnde in prima epiſtola Ioannis cap. quarto: In hoc eſt charitas, nō quòd nos dilexerimus Deum, ſed quòd ipſe dilexerit nos, & cæt. Recto verò, quia non propter utilitatem ſuam, ſed Eccleſiæ: non enim aliquo indiget, quū ipſe det omnibus vitam & halitum per omnia, &c. Actor. 17. Diſcreto, quia ipſam amat, & vitia illius odio habet & perſequitur, Ioann. 3. Pſalm. 45. Vehementi, quia non aurum, nō argentum, non gemmas, ſed ſemetipſum expoſuit pro ea. Majorem autem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animā ſuam ponat quis pro amicis ſuis, Ioann. 15. 1 Ioann. 3. Fructuoſo & non vocali ſolùm, quia probavit dilectionē ſuam exhibitione operis, Rom. 5. Perſeveranti deniq; Cùm enim dilexiſſet ſuos, qui erāt in mundo, in finem dilexit illos, Ioann. 13.

Sic ergo etiam viri debent diligere uxores ſuas: imò unuſquiſque proximum ſuum. Quod ut facere poſsimus, & Deum ipſum ante omnia diligere ex corde, & tota anima, & ex omnibus viribus noſtris, largiatur nobis ſpiritum ſuum bonum & ſanctum, qui eſt ſpiritus δυνάμεως, καὶ ἀγάπης, καὶ σωφρονισμοῦ, is de quo dicitur Ioann. 1. Hîc eſt qui baptizat ſpiritu ſancto, Amen.

CONCIO LIIII.

1. Theſſal. 4.

HAEC enim eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis à ſcortatione, & ſciat unuſquiſque veſtrûm ſuum vas poſsidere cum ſanctificatione & honore, non cum affectu concupiſcentiæ, quemadmodum & gentes, quæ non noverunt Deum. Ne quis opprimat ac fraudet in negocio fratrem ſuum, propterea quòd ultor eſt Dominus de omnibus his, quemadmodum & antè diximus vobis, ac teſtati ſumus. Non enim vocavit nos Deus immunditiæ cauſa, ſed ad ſanctificationem. Proinde qui reÿcit, non reÿcit hominem, ſed eum qui dedit ſpiritum ſuum ſanctum in vos.

1 Apo-

1 Apoſtolus Paulus hoc loco de nova obedientia loquitur, in qua omnes juſtificati & adoptati omni ſtudio contendere debent, ut ſeſe, ſuosque mores & actiones Deo patri approbent. Adhortatur autem ad quaſdam virtutes, ut ſanctimoniam ac innocentiam: & dehortatur à quibuſdam vitiis, veluti ſcortatione & avaritia. Quæ duo vitia tametſi omnis conditionis hominibus adhæreant: tamen ſcortatio magis videtur tentare eos qui ſunt cęlibes: avaritia autem eos qui ſunt in matrimonio collocati. Hi enim plerunque ſolent prætexere huic vitio multitudinem liberorum, propter quam omnino cogantur attentiores eſſe ad rem: cùm tamen videamus ſæpiſsimè eos longè omnium eſſe avariſsimos, qui carent liberis. Illi verò putant ſibi impunè licere ſcortari, quum nō ſint angeli, ſed homines: quemadmodum loquuntur. Vtrique verò audiant hoc loco quid Apoſtolus præcipiat ac doceat, non ex proprio cerebro, ſed ex doctrina Chriſti. Ne enim quis obmurmurans obijceret: Quid mihi cum præceptis Apoſtolicis negocii? Quis verò Paulus, quis Petrus erat? An non homines & miſeri & mortales erāt? Reſpondet Paulus ſtatim in principio: Hæc enim eſt voluntas Dei, &c. q. d. Quòd vobis nonnulla deſignavi per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quæ cuſtodire debeatis: non feci meopte conſilio, ſed ex voluntate Dei. Vult enim ille, ut ſitis ſancti. Deinde in fine

prælecti contextus: Itaque qui (nos, vel hæc; id eſt, vocationem hanc ad ſanctificationem, vel noſtram conteſtationem & adhortationem) repudiat, non hominem repudiat, ſed Deum, qui vos ſuo ſancto ſpiritu donat. Q. d. Quę proferimus contra ſcelera, & de judicio Domini, non ex nobiſipſis, ſed oraculis Dei proferimus. Deus enim dedit nobis ſpiritũ ſuum, ut jam non ipſi, ſed ſpiritus patris illa quæ audiſtis per nos ceu inſtrumenta pronunciarit. Proinde qui aſpernatur doctrinã noſtram, aut miniſterium noſtrũ, non nos aſpernatur, qui ſanè homines ſumus miſeri atq; mortales: ſed ipſum Deum, qui per noſtrum miniſterium operatur in vobis, & cujus author tate & juſſu nos hæc in medium proferimus. Huc verò pertinẽt Domini verba, Luc. 10. Qui vos audit, me audit. Itẽ Ioan. 20. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorũ retinueritis, retenta ſunt. Item illud Exod. 16. Et dixit Moſes: Audivit Dominus murmur, quo contra eum murmuratis. quid enim nos ſumus? Non contra nos ſunt murmurationes veſtrę, ſed contra Dominum.

2 Sed videamus quæ ſit voluntas Dei (teſte Apoſtolo) in reformãda vitę noſtræ converſatione. Hæc enim eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra: ad hanc vos, qui prius vivebatis in immunditia, vocavit is qui ſanctus eſt: non ad immunditiam, quia non eſt author peccati. Mira autem cum gratia: Hæc, in-

inquit, eſt voluntas Dei, non: Hoc eſt præceptum Dei: illud enim plus gratiæ & paterni amoris habet, & quodammodo officium excitat poſtulátve filiorum, qui non poſſunt non magnifacere, & cum amore revereri voluntatem Patris. Quid veró etiam populo Dei proponi poteſt, quod plus apud illũ authoritatis habere debeat, quàm voluntas Dei? ubi illà cognoſcitur: nihil relinquitur amplius, quod tergiverſationis excuſationẽ recipiat. Non eſt quærenda nobis alia obedientiæ præſtandæ ratio, ubi de voluntate Dei conſtat, ſed omnino valet illud: Sit pro ratione voluntas. Vult autem ille, ut ſimus ſancti animo & corpore, hoc eſt, operá demus, quo incontaminati & caſti ſimus. Hominum ſanctificatio eſt, quum prorſus homines in Dei voluntate acquieſcunt, mundo renunciant, & carnis inquinamentis exuti, ſe Deo velut in ſacrificium offerunt. Nihil enim offerri decet niſi purum & ſanctum. Ita hac ratione pii ſancti ſunt, id eſt, ſoli Deo conſecrati, à cujus verbo ne latum quidem digitum volentes diſcedunt: & ſatagunt pro virili, & auxilio ſpiritus ſancti anhelant, quo Dei pręceptis obſecundent, auſcultent, & ſe totos accommodent. Græca vox ἅγιος, ut author eſt Plato in Cratylo, dicitur ab α particula privativa, & γαῖα, terra: quòd illi dicantur ſancti, qui à terrenis maculis & ſordibus purgati ſunt, & ſoli Deo conſecrati. Theophylactus & Oecume- Sancti unde dicti!

nius per ſanctificationem hîc intelligunt temperantiam & pudicitiam. Vbiq; autem (inquiunt) de hac admonet, Timotheo nimirum ſcribens, Corinthiis & Hebræis, ac ejus potiſsimum magnam habet rationem. Novit enim tyrannidem affectuum ac operis difficultatem. Tyrannicum enim malum eſt impuritas, unde & multis & continuis pharmacis indiget. Verùm Apoſtolus ipſemet exponit, quid per ſanctificationem intelligat, quum ait, Vt abſtineatis à ſcortatione, id eſt, ab omni immunditia, libidine, fornicatione, adulterio, petulantia, omni re Venerea, omnique quod his adjacet & cognatum eſt. Siquidem multæ & variæ hujus mali ſpecies ſunt, quas ne dicere quidem ſuſtinuit. Quando autem ſcortationem, tanquã quæ minus videatur habere vitii, vitandam eſſe monet, admonemur, multò magis vitanda eſſe adulteria, ſtupra, incæſtum & Sodomiam, quòd ea communi quoq; ſenſu plus habere peccati cenſeantur. Ac quoniam ſic comparata eſt omnis puritatis ratio, ut ubi de illa præcipitur, mox quæcunque eam inquinare poſſunt prohibeantur: ideo & Paulus hoc loco, ubi de cuſtodienda ſanctificatione admonuit, ſtatim de vitãda ſcortatione ſubjecit. Illa nanque ſanctificationem polluit, & inter gentes invaluerat: ob quam cauſam Apoſtoli Chriſtianos ex gentibus cumprimis ut ſcortationem fugerent adhortabantur. Vide Actorum decimo quinto,

1. Co-

1. Corinthiorum 5. 6. 7. Galat. 5. & Epheſiorum 5.

Pergit Paulus in præcepto de puritate & ſanctimonia: quodque modò privativè dixerat de fuga ſcortationis, hoc jam poſitivè dicit, ſervandam eſſe caſtitatem corporis. Addit verò quandam pleniorem periphraſin hujus ſententiæ, ut indicet magnam prudentiam, cautionemque in hoc præcepto Dei adhibibendam eſſe, cùm mille occaſiones turpitudinum, in ſermonibus & geſtibus, aliisque rationibus, vel invitis piorum animis obtrudantur, præſertim in illa tanta Gentilium licentia libidinum. Verba ejus ſunt hęc: Sciatque quiſq; veſtrûm ſuum vas cum ſanctimonia ac honeſtate poſsidere. Sunt qui per vas uxorem intelligunt (ut & 1.Petr.3.intelligitur) præcipique ab Apoſtolo, ut quilibet uxore ſua pudicè & moderatè utatur, non abutatur per affectum concupiſcentiæ. Et ſanè convenit Chriſtianas uxores ſanctè & caſtè diligere, non impudenter, & quaſi ferina rabie illas ardere, ac perditè amare, Honorabile enim connubium, & thorus immaculatus in omnibus, Hebr. 13. Vnde & poeta Martialis:

Non triſtis thorus, attamen pudicus.

Chriſti etiam charitas, qua Eccleſiam ſuam amat & honeſtiſsimè & ardentiſsimè, conjugalis amoris typus ſive exemplar eſſe debet, Epheſ. 5. Verùm quum promiſcuè Paulus hîc alloquatur viros ac mulieres, legem-

que ponat non ſolùm illis, qui uxores habent, verùm etiam innuptis ac viduis, non dubium eſt, quin vas pro corpore accipiat, uſitato Hebræis more (1. Reg. 21. Actor. 9.) ipſa quoq; voce alludens ad rem figulinam, primamq; hominis conditionem. Vt enim homo ſe fragilem eſſe noſſet, & rebus caducis ſe minimè crederet, vel nimis teſtā hanc fictilem curaret, genioque indulgeret, de terra conditus legitur. Et Ieſaias cap. 52. hoc ipſo loquendi genere, Exite, inquit, de medio ejus, mundemini qui portatis vaſa Domini, id eſt, vos ipſi qui eſtis Deo conſecrati & templa ſancti ſpiritus mundemini. Hanc metaphoram illuſtrat Cicero Tuſculan. 1. inquiens: Corpus eſt quaſi quoddā vas & receptaculum animi Præcipit ergo Apoſtolus ut quilibet noſtrûm corpus ſuum proprium quod à Deo accepit, & quod ſibi ipſe Deus in templū delegit, quodq; nunc membrum Chriſti eſt (1. Cor. 6.) cum ſanctificatione & honore poſsideat. i. honeſtè, **mit zucht vnnd ehr.** Quia corpus ſuum probro & macula aſpergit, qui ipſum proſtituit ad ſcortationem, Roman. 1. Quare etiam 1. Corinth. 6. dicit, ſcortatorem in proprium corpus peccare. Hoc enim totum inquinat atque dehoneſtat. Quoniam autem ad poſſeſsionem vaſorum & inſtrumentorum (σκεῦος enim & vas, & inſtrumentum, ſeu quodcunq; organum ſignificat) præſertim precioſorū ſimul & fragilium, requiritur ſcientia, ad competen-

centem uſum pertinens: quæritur, quidnam honoris debeatur corporibus noſtris, ut iis legitimè utamur: id quod magnæ ſcientiæ res eſt? Reſpondetur. Legitimus eorũ honor eſt, primò, ſi pro ſua infirmitate ſerviant gloriæ Dei, à quo ſunt condita: deinde, ſi neceſſitatibus noſtris famulentur, ſecundũ quod à Deo ſunt diſpoſita: tertiò, ſi nullis peccatorum inquinamentis polluantur: poſtremò, ſi neceſſariis alimentis ac curis non deſtituantur, ſed eorum valetudo viresq; conſervantur, de quo corporali honore corporum, Rom.13. Coloſ.2. 1. Tim.5.

Paulus, quia oppoſita juxta ſe poſita, magis elucеſcunt, ſubjungit: Non cum affectu concupiſcentię, ſeu cupiditatis libidine: qua particula per oppoſitum ſanctificationis & honoris declarat, quomodo unuſquiſq; vas ſuum cum ſanctificatione & honore poſsidere debeat. Contrarii ſunt inter ſe affectus ſanctificationis, & affectus deſiderii ſeu concupiſcentiæ, quę eſt in carne corporũ noſtrorum, & gignit ſcortationem, adulteria, & omnis generis immundam libidinem. Eſt itaque corpora noſtra poſsidere cum ſanctificatione, non indulgere concupiſcentiis carnis, ſed affectus & paſsiones illarum internaſq; uſtiones reprimere ac mortificare, quo ſerviant non peccato, ſed voluntati Dei.

Et adddit exemplum non imitandũ, ſed fugiendum, dicens: Quemadmodum & gentes, quę non noverunt Deũ, ſcil. vera & recta

notitia, de qua Ioann. 17. Qui Deum porrò non noverunt, neque retributionis ſpem habent: itaque omnia ad voluptatem faciunt. Quam verò inconveniens eſt Chriſtianis, ſi ſimiles ſint gentibus immundis ac Deum ignorantibus, cùm ipſi ſint per ſanguinem Chriſti mundati, & ad cognitionem Dei perducti. Docet ergo Paulus hoc loco, ubi regnat vera Dei cognitio, domari oportere concupiſcentias; & quia ſanctitati nihil magis contrarium, quàm ſcortandi fœditas, hanc omnibus modis eſſe fugiendam: id quod etiam hoc Decalogi præcepto, Non mœchaberis, mandatur.

3 Hoc præceptum, quemadmodum & alia, tametſi non poſsimus perfectè implere in hanc carne; tamen propoſitæ ſunt nobis aliquot rationes, quibus iſtud ſic implere poſſumus, ut coram Deo verè pudici, caſti & ſancti judicemur. Primùm agenda eſt pœnitentia, quæ duabus partibus conſtat. Vna eſt, quòd debemus agnoſcere noſtram impuritatem & impudicitiam, & fateri quòd propter eam ſimus meriti æternam internecionem. Altera eſt, quòd debeamus agnoſcere Ieſum Chriſtum, & credere, quòd expiaverit noſtram impuritatem, & reconciliaverit nos cum Deo. Hac fide, Chriſtus filius virginis, qui nullam unquam ne cogitationem quidem impudicam habuit, donatur nobis cum omni ſua juſticia & pudicitia. Quare cùm credimus in eum, reputat nos Deus

Deus propter ipſum tam caſtos & pudicos, quàm ſi nos hanc legem perfectè impleviſſemus.

Deinde non eſt ſentiendum, quòd Deus donet nobis pudicitiam Chriſti in hunc uſum, ut liceat nobis deinceps impudicè vivere, ſed ut operam demus (quemadmodũ Brentius ſcribit) quo naturalem noſtram impudicitiam ſpiritu Chriſti compeſcamus, & non præbeamus membra noſtra ſerva immundiciei. Etſi enim talis compeſcentia non eſt per ſe perfecta impletio hujus legis, tamen Deus exigit eam, & delectatur ea propter Chriſtum filium ſuum. Cùm enim ipſe ſit mens caſtiſsima, vult etiam ut nos caſtitati ſtudeamus. Quare neceſsitas urget, ut exhibeamus noſipſos organa Spiritui ſancto, quo compeſcat impudicos motus cordis, & excitet in nobis pudicitiam.

Recenſeamus ergo, quę nobis facienda videantur, ut Spiritus ſanctus habeat organa excitãdæ in nobis pudicitiæ. Quanquam nõ ignoramus fore, ut non omnes huic doctrinæ obediant. Scimus enim multos conqueri ſe his doctrinis redigi in ordines Monaſticos. Sed ſciamus etiam non omnes conſequi hæreditatem cœleſtis regni. Multi, inquit Chriſtus vocati, ſed pauci electi. Et iterum, Lata eſt via & ſpacioſa, quæ abducit in exitium, multique ſunt qui ingrediuntur per illam. Et Paulus: Non eſt omnium fides. Etſi enim lex Domini & evangelion filii e-

jus prædicanda ſunt univerſæ creaturæ: tamen hi ſoli capiunt verum & cœleſtem fructum ejus, qui ex fide in Chriſtũ filium Dei reſipiſcunt, & ad cœleſtem hæreditatem tota mente atque omni animo aſpirant. Et hi, ſicut neceſſarium eſt eis, ut obediant huic legi, & ducant ſemper honeſtam ac pudicam vitam: ita etiam omne ſtudium ſuum in hoc conferent, ut obedientiam ſuam Domino ſervatori ipſorum probent. Reliqua turba præceps in ſuum ipſa exitium, furioſo impetu ruit. Quare in tanta hominum, inter quos & aliquot hæredes cæleſtis regni admixti ſunt, colluvie & impudicitia, danda nobis eſt opera, ut cùm non poſsimus omnes eripere, ſaltem eos, qui verè & ex animo tenentur ſtudio pietatis, eripiamus. Propheta Amos cap.3. dicit: Quomodo ſi ſervat paſtor de ore leonis duo crura, & extremum auriculæ, ſic eruentur filii Iſrael. Et iterum cap.4. Facti eſtis ſicut torris raptus ab incendio. Sic & nobis noſtro miniſterio conandũ eſt, ut in tanta morum corruptione, ſi non omnes, at ſaltem aliquos ex incendio, & ab ore leonis rapiamus.

Ante omnia igitur credamus & ſciamus, nos debere ſcortationem atq; adulterium fugere, & pudicitiam, caſtitatemq; ſectari: item Neceſſe habere, ac Poſſe. Debere quidem, quoniam æquum, juſtum & legitimum eſt. Nam Deus, qui noſter creator, pater, Dominus, maritus, paſtor & caput eſt, hoc manda-

da-

davit & prꝺcepit nobis, qui ſumus ejus creatura, filii, ſervi, ſponſa, oves, corpus atque ſubditi. Neceſſe autem habere: ut ne videlicet fidem perdamus, iram Dei provocemus, in ſtagnum ignis deijciamur. Poſſe verò, non ſanè propriis viribus ſine Dei auxilio, verùm ejus ope, apud quem omnia poſsibilia, & cujus præcepta natis ex ipſo non modò non impoſsibilia, ſed nec gravia ſunt, Matthæi 19. 1. Ioannis 5. Si enim impoſſibile eſſet homini fideli ſe caſtum & continentem præbere, non potuiſſent Ioſeph, Booz, Iob, Iudith, Sara, Suſanna, Corinthii, de quibus Geneſ. 39. Ruth. 3. Iob. 31. Iudit. 13. Tob. 3. Dan. 13. 1. Corinthior. 6. Et tales (nimirum impudici, ſcortatores, adulteri, molles, cinædi, &c.) quidem nonnulli eratis (inquit Apoſtolus) ſed abluti eſtis, ſed ſancti, ſed iuſti facti, per nomen Domini Ieſu, perque Dei noſtri ſpiritum. Quid dicam de Socrate, qui non fuit Chriſtianus, ſed Ethnicus? Hunc cùm Phyſiognomus quidam hominem incontinentiſsimum & libidinoſiſsimum eſſe dixiſſet, cæteris illum, ut arte ſua turpiter deceptum deridentibus, illum veriſsimè hoc dixiſſe Socrates quidem confeſſus eſt: talem enim ſe omnino eſſe natura, qualem ille ex facie indicavit: ſed addidit, mores naturæ ſimiles futuros fuiſſe, niſi hos philoſophiæ ſtudium emendaſſet. Quid de Auguſto Cæſare, qui cupidiſsimus mulierum erat, &

præſertim earum, quæ maritis nupſiſſent. Hunc enim Athenodorus gladio vibrato eò adegit, ut ſacramento præſtito polliceretur, nunquam ſe deinceps toros alienos contaminaturum : ut refert Michael Glycas Annal.par.3. Cæterùm, ut idem dicit, mirari deſine fuiſſe barbaros quoſdam, qui virtutis & honeſti amore ducerentur. Nam quum hominem fingeret Deus, eidem honeſti & pravi diſcrimen indidit. Quo factum eſt, ut non Platonis modò ſectatores vitam injuſtam & ſceleratam odio proſequuti ſint, verùm etiam homines barbari non pauci. Anacharſis natione Scytha tanto caſtitatis & exercitiorum virtutis amore tenebatur, ut etiam cubans labra verendaque ſuis ipſemet manibus comprimeret. Nimirum non vigilans modò, verùm etiam dormiens oſtendebat, quàm accurata cuſtodia duo iſtæc corporis membra indigeant. Ergo, ut Oecumenius cum Theophylacto ſcribit in hæc verba Pauli, Vt ſciat unuſquiſque veſtrûm, &c. caſtitas & continentia opus habet exercitio & diſciplina.

Quid igitur faciendum eſt, qui voluerit ſe caſtum exhibere? Nullus autem non volet, qui ſeriò cogitaverit, quàm id ſit non ſolùm honeſtum & laudabile, jucundum & ſuave, utile ac bonum: verùm etiam, ut dictũ eſt, legitimum ac juſtũ, neceſſarium & haud quaquam impoſsibile.

Initiò, diligenter incumbendum eſt preca-

cationi. Orandus eſt Deus,ut ſpiritu ſancto ſuo nos adjuvet, ad compeſcendos impuros motus cordis, & gubernet univerſam vitam noſtram. Pudicitia enim eſt ſingulare donum Dei, Sapient. 8. Paulus ad Galat. 5. numerat ἐγκράτειαν, hoc eſt, continentiam, quæ eſt genus pudicitiæ, inter fructus ſpiritus. Dona autem Dei impetranda ſunt ab ipſo precibus, Iacob. 1. & 4. Luc. 11. Quare cùm tentamur affectu impudicitiæ, properandũ eſt ad preces, & orandum, ne in tentationem inducamur. Iam & hoc affectu in nobis exardeſcente, non minus nobis periculi inſtat, quàm ſi capitalis hoſtis ſtaret ante nos vibrato gladio, & minaretur nobis præſentẽ mortem. Sicut ergo in tali periculo opportuniſſimum tempus eſt exclamandi ad Deum, & invocandi cœleſte auxilium: ita etiam in exardeſcente impudicitiæ affectu neceſsitas urgere nos debet, ut attollamus oculos noſtros ad Deum Patrem domini noſtri Ieſu Chriſti, & petamus, ut inter hæc Satanæ jacula nos illæſos conſervet. Oremus cùm Davide Pſalm. 51. & Siracide cap. 23. & cum diſcipulis Chriſti ac tota Eccleſia, Matth. 6. Luc. 11. Corda munda crea in nobis Deus, & innova ſpiritum rectum in viſceribus noſtris. Ne proijcias nos à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à nobis. Omne deſiderium pravum averte à nobis. Aufer à nobis ventris concupiſcentias, & concubitus concupiſcentiæ ne apprehendant nos,

Fiat voluntas tua, ô Pater cœleſtis, ut in cœlo, & in terra. Voluntas tua ſanctificatio noſtra eſt, ut abſtineamus à ſcortatione. Libera nos à malo, cum primis verò ſpiritu fornicationum, vom huren Teuffel. Wehr vnd ſteuß allem fleiſch vnnd blut/ Das wider deinen willen thut/ Amen.

Secundò fugiendæ atq; vitandæ ſunt cauſæ impellentes & allicientes ad immundiciem, libidinem & ſcortationem, eamq; foventes. Qua de re etiam Eraſmus Roterodamus ſcripſit in Enchiridio militis Chriſtiani, circa finem ferè, ubi agit de remediis contra ſpecialia quædam vitia, & primùm contra libidinem & libidinis incentivum.

Ac cùm luxuria ſit ignis (Iob. 31.) neceſſariò erit triplex remedium contra eam, ſicut contra ignem nimium, ein groſſe vnd grauſame Brunſt. Nam ſi olla, quæ juxta ignem eſt, adeò ebulliat, ut effundatur quod in ea continetur, aliquod horum trium fieri conſuevit: vel aqua frigida ollæ infunditur, vel de lignis ſubtrahitur, vel olla ab igne elongatur.

Primò igitur, ſi quis ſe uri ſentit igne luxuriæ, ad aquam recurrat, & aquam infundat. Quemadmodum enim meritò domum ſuam amitteret, qui videns domum ſuam comburi, aquam non quæreret: ſic meritò ignis luxurię eos cõſumit, qui ad aquã, quæ talem ignem extinguere valet, non currunt, cùm videant ignem hunc non veſtes, non

ſup-

ſupellectilem, non domum, ſed ſeipſos conſumere. Quæ eſt autem illa aqua, quæ in iſtiuſmodi incendio quærēda & haurienda eſt? Non iſta furtiva, quæ ex puteo anguſto hauritur, de qua Proverb. 9. & 23 Sed illa, de qua Prov. 5. Bibe aquā de ciſterna tua: & 1. Cor 7. Propter ſtupra vitanda, ſuam quiſq; uxorem habeat: & ſuum quæq; virum habeat. Fons miraculoſus in Epiro eſt, ut Auguſtin. ſcribit lib. 21. de Civ Dei, cap. 5. qui faces accenſas extinguit quidē ſicut alii fontes, verùm extinctas redaccendit, quod cum aliis commune non habet. Tale quid habet & ſcortatio, ut non tam extinguat, quàm redaccendat libidinis incendium. Non igitur talis aqua quærenda eſt, à Satana demonſtrata, des Teuffels fül vnd löſch waſſer: ſed ea quæ à Deo in ejus verbo oſtenditur. Legitur de Benedicto, quòd ſemel immerſerit ſe in gelidam aquam, propter vehementē tentationem carnis. Idem Bonavent. ſcribit de Franciſco, cap. 5. in ejus Legenda. Item de Bernardo, quòd propter ardorem luxuriæ inter ſpinas projecerit ſe, ac vulnerarit corpus ſuum, & ſic per vulnera carnis extinxerit ardorem libidinis. Et de alio quodam, qui tentatus à luxuria dixit: Si hoc egero, æternum ignem merebor. Ergo probare volo, utrum poſsim ſuſtinere, & ſic combuſsit ſibi digitos, ac ita compeſcuit in ſe luxuriam. Hoc aliquo modo eſt in ebullientem ollam, ſeu teſtaceum vas, hoc eſt, corpus ſive carnem

ſuam libidinoſam, infundere aquam tribulationis afflictionisque. Sed aqua tribulationis poteſt etiam alio modo uſurpari, ſi quando contingit aliquem luxuriæ peccato tentari: nempe ſic, ut quis cogitet de pœnis corporalibus & æternis, quæ debentur peccato luxurię, cujus oblivionem facit malitia unius horæ, teſte Siracida cap. 11. Dolor enim vulneris abſterget mala, Proverb. 20. Luc. 7. Repetendum ergo eſt memoria, quanto odio Deus hoc impudicitiæ peccatū proſequatur. Cùm enim Deus omnia peccata odio habeat, hoc peccatum ita deteſtatur & abominatur, ut puniat ipſum tam corporalibus, in hoc ſeculo, quàm ſpiritualibus & æternis, in altero ſeculo ſuppliciis. Itaq; Deus punit hoc peccatum, morbis, inopia, infamia, & multis id genus aliis malis. Homines ante diluvium, cùm deſignarent varia ſcelera, magnam dabant operam impudicitiæ. Itaque neceſſe habuerunt diluvio perire, Geneſ. 6. In Sodoma cives erant impuriſsimi: perierunt igitur incendio, Geneſ. 19. Iſraelitæ propter fornicationem proſtrati ſunt in deſerto, nec intrare potuerūt in terram promiſsionis, Num. 25. 1. Corinth. 10. Sacerdotis filia in ſtupro deprehenſa, flammis exurebatur, ſecundum legem, Levit. 21. Fornicans virgo in domo patris à populo lapidabatur, Deuteronom. 22. Fornicator Zambri occiditur à Phinees, Numer. 25. Samſon ſtuduit impudicitiæ: quare non ſolùm fortitudinem

dinem ſuam amiſit, verùm etiam captus eſt ab hoſtibus & cæcatus, Iud. 16. Beniamitæ defendunt impudicos adoleſcentes, qui con cubina Levitę turpiſsimè abuſi fuerát. Quare univerſa penè tribus deleta eſt, Iud. 19. Vide mihi Davidem: quàm horribiliter punitum eſt divinitùs adulterium ejus. Nec tantùm in populo Dei extant talia exempla, verùm etiam in hiſtoriis gentium, quæ teſtantur ſæpe politias, & regna propter impudicitiam non ſolùm mutata eſſe, verùm etiam omnino deleta.

Olim apud Cumanos erat mos, ut adulteræ imponerentur aſinis, & per civitatem, illis in ignominiam, ducebantur, de quo Plutarchus. Apud Germanos veteres ante natum Chriſtum, maritus adulteræ tondebat comam, & expellebat domo, tundebatque illam per plateas civitatis, ut Cornelius Tacitus ſcribit. Dionyſius quum intellexiſſet filium cui principatum relicturus erat, ingenui viri conjugem adulteraſſe, iratus interrogavit, an unquam tale quicquam in patre comperiſſet? Hic adoleſcens: Tu enim, inquit, non habebas patrem regem. Nec tu, inquit Dionyſius, filium regem habiturus es, ni talia perpetrare deſinas. Tyrannus in filio dignum exhæredatione crimen judicabat adulterium, qui hodie magnatum ludus eſt. Severitatem legis divinæ, quæ adulterum corpore & vita privat, Levit. 20. Deut. 22. imitata eſt lex Iulia apud Romanos. Per-

miſſum etiam legibus eſt, occidere adulterum in uxore deprehenſum.

Proverb. 7. comparatur adulter bovi ad victimam ducto, & avi ad laqueum feſtinanti: eò quòd neſciat, quòd de periculo animæ illius agitur. Quomodo enim ſciret, cùm adulterium hominem excæcet, dementet, cor & rationem ei auferat, ſitque opus tenebrarum? Hoſ. 4. Eccleſi. 19. Dan. 3. 2. Reg. 11. Roman. 1. Iob. 24. Hujus admonere voluerunt quoſvis, qui Cupidinem, Veneris filium cæcum pinxêre.

1. Corinth. 5. dicit Apoſtolus: Si quis cùm frater appelletur, fuerit ſcortator, cùm ejuſmodi ne cibum quidem capiatis: Er iſt nicht wirdig vnd wert/daß ein Biderman oder Chriſten mann mit jhm eſſe oder trincke.

Sed nec hoc prætereundum eſt, quod ſcribitur Prover. 6. Precium ſcorti, vix eſt unius panis: hoc eſt, ſcortatio tam maledicta eſt, ut ſcortatori, quamvis diviti, vix relinquat panem, ſed conijciat eum in extremam paupertatem. Et cap. 29. Socius ſcortorum perdet ſubſtantiam.

Deinde (quod maximum eſt) impudicitia punitur ſupplicio æterni ignis, niſi in Chriſto reſipiſcas. Ita enim ſcriptum eſt: 1. Corinth. 6. Neque ſcortatores, neque adulteri, neque molles accipient regni Dei hæreditatem.

Epheſ. 5. Scortatio & omnis immunditia, aut avaritia ne nominetur quidẽ inter vos, ſicut

ſicut decet ſanctos. Nam hoc ſcitis, quòd omnis ſcortator, aut immundus, aut avarus, qui eſt ſimulachrorum cultor; non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Ne quiſquam vos decipiat inanibus ſermonibus. Propter hæc enim venire ſolet ira Dei in filios inobedientes, Coloſ. 3. Rom. 1.

Galat. 5. Manifeſta ſunt opera carnis, adulterium, ſcortatio, immunditia: de quibus prædico vobis, quemadmodum & prædixi, quòd qui talia agunt, regni Dei hæredes non erunt.

Hebr. 13. Scortatores & adulteros judicabit Deus.

Apoc. 21. Scortatoribus & veneficis, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda. Et hoc loco: Dominus ultor eſt de omnibus his.

Hæc diligenter ſunt meditanda, ut commonefaciamus nos, quàm ſtultum, quàm inſanũ, quàm furioſum ſit (utinam crederemus) propter voluptatulam nõ admodum diuturnam abijcere felicitatem ęternã. Lyſimachus in Thracia ſuperatus à Dromacheta, quum ob ſitis impatientiam tum ſe tum exercitum dedidiſſet, poſteaquam bibit jam factus captivus, dicebat: O dii, quàm brevis voluptatis gratia me ex rege feci ſervũ? Quid ergo dicturos putamus eos, qui propter ſcortationem non poterunt introire in regnum Dei? Inhoneſtæ enim voluptati pa-

ratam eſſe comitem pœnitentiam ſignificavit etiam Demoſthenes, cùm diceret Laidi, quæ pro una nocte ſtipulabatur drachmarũ decẽ millia, οὐκ ἀγοράζω τοσούτου μεταvοῆσαι. i. Ego pœnitere tanti non emo. autor eſt A. Gellius in 1. noct. Attic. lib. cap. 8. Videris cap. 5. Sap. Atq; hæc de primo remedio.

Secundum remedium contra ignem luxuriæ eſt lignorum ſubtractio. Nam ſecundum ſylvæ ligna exardeſcit ignis, Ecclesi. 28. Qui vult ergo caſtè vivere, ſubtrahat ſibi de cibo & potu, præſertim tali, qui inflammat ad luxuriam, ut eſt forte vinum, cibus acuti ſaporis, &c. Si enim ebrietas Lothum, tam ſanctum virum, in tam deteſtandum vitium traxit, ut Geneſ. 19. legitur, quis ſecurè poſſet operam dare ebrietati? Ac quemadmodum deridendus eſſet ille, qui faculis ardentibus domum ſuam accenderet, ſi diceret, quòd combuſtio ejus ſibi diſpliceret: ſic deridendi ſunt, qui dicunt ſe velle continere, cum talibus cibis & potibus domos ſuas incendant. Sicut autem ebrietas ſubminiſtrat impuritati alimenta (Prover. 23.) ſic vita parca & ſobrietas libidinem extinguit: id quod exemplum adoleſcentis illius etiam oſtendit, qui per triduum incluſus fuit à muliere honeſta, quam concupiverat, & poſtea propoſita optione, potius comedere voluit, quàm ſuam libidinem explere. Nomine ſubtrahendorum lignorum intelligi poſſunt, & cætera irritamenta luxuriæ, veluti ſunt o-

ocium

cium & mollicies. Multam enim malitiam docet ocioſitas, Eccleſi. 33. Ezechiel. 16. 2. Regum 11. Item, contubernia & colloquia hominum impudicorum, Proverb. 7. Eccleſi. 42. Corrumpunt enim bonos mores, colloquia prava, 1. Corint. 15. Et vetus dictum eſt, Si juxta claudum habitaveris, diſces & ipſe claudicare. Dina filia Iacob, non continet ſe domi ſuæ, ſed evagatur ad alienas mulieres: itaque amittit ſuam pudicitiam, Geneſ. 34. Præterea oculorum jactus, Eccleſi. 9. Iob. 31. auditus obſcœnarum cantilenarum, contactus externus, impura lectio, & occaſio, &c.

Tertium remedium eſt, ut homo elonget ſe ab igne luxuriæ. i. à præſentia mulieris, cujus ſpecies gladius igneus eſt, teſte Hieron. Hoc remedium docet Paulus 1. Corinth. 6. inquiens: Fugite ſcortationem. Hoc uſus eſt Ioſeph, Geneſ. 39. Item Antiochus tertius, qui cùm Dianæ ſacerdotem vidiſſet ſupra modum eleganti forma, contiuuò ſolvit Epheſo, veritus ne vis amoris aliquid ipſum facere compelleret, quod phas non eſſet. At Iſraelitæ conveniunt cum filiabus Moab. quare primùm ſcortantur cum eis, deinde abducuntur ab ipſis in idolatriam. Et ſtatim ſequitur ſupplicium, quia multa millia interficiuntur, Num. 25.

Quæritur autem cur fugiendo pugnandum ſit cum hoc peccato, & cur non poſsit aliter melius vinci, quàm hac ratione, quemadmodũ Ambroſius dicit? Reſponſio: Quia

luxuria ignis eſt: homo autem fœnum aridum ac ſtipula, Ieſ. 40. Eccleſi. 21. Et quia luxuria peccatum eſt valde immundũ ac lutoſum, cum quo luctari ſine inquinamento, ſecurum non eſt, Eccleſi. 13. Item quia nõ eſt bonum cominus pugnare cum hoſte illo, qui ex propinquitate ſumit ac colligit vires. Talis eſt luxuria. Corpus enim noſtrũ, quod prius erat pacificum, convertitur in hoſtem. Si dixerit forſitan aliquis, ſe non fœnum, ſed ferrum, non ſtipulam ſed lapidem eſſe, atque ideo non oportere ſe timere familiaritatem mulierum: hic ſciat, quòd ignis etiam ferrũ ipſum immutet: & quòd ignis ex lapidibus quoq;, ſi invicem collidantur, exeat: quòd deniq; lapideus murus à candela juxta ſe poſità denigretur. De Auguſtino legitur, quòd nec cum ſorore habitare conſenſerit. Hieronymus ait, Memento ſemper, quòd paradiſi colonum mulier de poſſeſsione ſua ejecerit. Ne confidas propria caſtitate, Nec Davide ſanctior, nec Samſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Et Franciſcus Seraphicus, ut Bonavent. refert cap. 5. ſedulò hortatus eſt ſuos, ut mulierum conſortia & colloquia vitarent, & ne quidem intuerentur: ſiquidem hoc pacto infirmos frangi, firmiores infirmari diceret. Hinc Apoſtolus neceſſarium duxit etiam Theſſalonicenſes rogare, adhortari, admonere, obteſtari ad ſanctimoniam vitæ cuſtodiendam. Acceperant autem illi (in Chriſtum credentes ac

bapti-

baptizati) à Deo Spiritum ſanctum. Id enim Apoſtolus ipſe teſtatur, quum ait: Qui dedit Spiritum ſuum ſanctum in vos. Non eſt igitur ut dicamus: Cùm haberent in ſe Spiritum Dei ſanctum (quem impuritate perſequi, & injuria afficere ac contriſtare minimè decet, Epheſ. 5.) quorſum opus erat Apoſtolicis adhortationibus ad hoc, vt vas ſuum quiſque cum ſanctificatione & honore poſsideret? Agit quidem Spiritus Dei in credentibus: verùm non ſemper ſolo interno actu, ſed communiter utitur externo verbi miniſterio, ob quam cauſam Apoſtoli miniſtri ſpiritus vocantur.

4 Sequitur in Apoſtolo alterum præceptum, de innocentia videlicet, ne noceamus proximis noſtris fraude, deceptione, avaritia, rapacitate, contra illud, Exod. 20. Non furtũ facies: ſed potius eos juvemus aut ſublevemus. Dicit enim: Ne quis opprimat ac fraudet in negocio fratrem ſuum. Laborant nonnulli, quomodo particulam hanc cum præcedenti conjungant. Conjungendam enim illi eſſe ob id putant, quod ſequitur: Non enim vocavit nos Deus immunditiæ cauſa, vel ad immunditiam, ſed ad ſanctificationem. Ex his eſt Chryſoſtomus, qui ſic exponit: Bene dixit, Ne quis ſupergrediatur (**Daß keiner vbers Höglein/oder/mit dem einem fuß in bach trette**) unicuiq; Deus uxorẽ deputavit, terminos poſuit naturę, cõmixtionem illam quæ eſt cum una Itaq; ſi quis

miſceatur alteri, tranſgreſsio eſt, & latrocinium & nimia cupiditas, ſeu fraudulentia: vel ut ipſe loquitur, παράβασις ἐστι καὶ λῃστεία, καὶ πλεονεξία. Et paulò pòſt: Hic de adulterio loquitur, ſuprà verò de omni ſcortatione. Sententiam hanc Theophylactus & Oecumenius ſequuntur, & hanc particulam quoque de alienis uxoribus non appetendis exponunt. Sed hoc nimis coactum eſſe videtur. Verba Pauli nihilominus optimè cohęrent. Docet enim ſanctitatis partem eſſe, ut juſtè & innocenter agamus cum proximo. Ac ducitur hæc adhortatio tanquam rivus ex ſanctificationis doctrina. Deinde quod in præcedenti denunciatione dixit: Hæc eſt voluntas Dei, id hîc quoque ſubintelligendum eſt. Illic, Hæc eſt voluntas Dei, inquit, ὁ ἁγιασμὸς ὑμῶν. Hîc repete, Hæc eſt voluntas Dei, τὸ μὴ ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ ἐν τῷ πράγματι. Non ſimpliciter dicit, μὴ ὑπερβαίνειν: ſed quemadmodum illic, ὁ ἁγιασμὸς ὑμῶν: ita hîc, τὸ μὴ ὑπερβαίνειν: ut intelligas alteram denunciationem ſubijci præcedenti, quæ & ipſa profecta ſit ex voluntate Dei.

Eſt autem fratrem in negocio ὑπερβαίνειν & πλεονεκτεῖν, modum æquitatis ad detrimentum illius excedere, plus ab illo petere vel extorquere, quàm per æquitatem liceat: vel, ſuperbè premere fratrem (à Græco enim ὑπερβαίνειν vox ſuperbus venit, mutato denſo in S literam) & defraudare eum plus nobis commodi rapiendo, quàm nobis jure debetur:

tur: mit fůſſen vber ein gehen/ vnd mehꝛ wöllen haben dann billich iſt / oder jemand vbertrengen vnd verfoꝛtheilen. Cùm igitur negociatio in rebus mortalium ſit neceſſaria, & licita Chriſtianis inter ſe, & cùm ἑτεροπίστοις: præcipit Apoſtolus, ut in ea omnis abſit fraus, vis, ars, mendacium, avaritia, atque dolus malus, ut juſtè & ſecundum æquas leges contrahamus, elocemus, omniaque negocia noſtra inſtituamus. Sub negocia enim referimus venditionem, emptionem, mutuum, locationem, & ſi quæ hujus generis alia ſunt, quæ pertinent ad commertia hominum.

Regula verò agendi ſanctè & juſtè in negociis eſt, Quod tibi nolis fieri, alteri ne feceris: &, proximum tuum ſicut temetipſum dilige. Propheta David Pſalm. 15. hominem illum qui cum proximo ſuo apertè, & ſine damno & dolo egerit, beatum prædicat. Cæterùm ſi quis non hoc nomine voluerit ſtudere ſanctimoniæ & innocentiæ, neque ideò quod audit Deum hoc velle eſſeque id honeſtum, pulchrum, & conſentaneum vocationi noſtræ: contrarium autem turpe & illaudatum: is ſaltem damno pœnisque perterreatur, & à peccatis abſterreatur. Addit enim minas, ſeu rationem, aut demonſtrationem ab ira & vindicta Dei, cujus manum ac virgam nemo poterit effugere, & in cujus manus incidere horrendum eſt, teſte Scriptura, Hebr. 10. Propterea quòd ultor eſt (in-

quit) Dominus omnium iſtorum. q.d. Etiamſi impunè iuxta ſeculum fieri poteſt, ut quis ſcortetur, aut in negotio circumveniat fratrem, non fiet tamen impunè coram Deo, qui omnia videt atq; ultor eſt non modò poteſtate, ſed & ipſo opere, & qui in fine mundi iudicabit vivos & mortuos, atq; reddet unicuique ſecundum quod geſsit in hac vita, ſiue bonum, ſiue malum,

Quemadmodum & antè diximus vobis, ac teſtati ſumus) hoc eſt, ſeriò & additis comminationibus hęc vobis prædiximus. Quod inprimis notandum nobis eſt. Tanta enim eſt hominum tarditas, ut niſi acriter perculſi, nullo divini judicij ſenſu tangantur: Non ergo frigidè ac defunctoriè debēt paſtores in hominum ſcelera invehi, ſed conſtanter & intrepidè, non ſine comminationibus in verbo Dei contentis adverſus improborum flagitia vindictam Dei opponere. Rurſus verò auditores, ejuſmodi admonitiones & objurgationes amicè accipere debent, ac boni conſulere, juxta illud Hebr. ult. Obſecro vos fratres, ſufferte ſermonem exhortationis: &, Parete iis qui præſunt vobis. Hoc autem eò & libentius & diligentius facturi ſunt ſine dubio, ſi cogitaverint, ſe à Deo vocatos & electos eſſe ad ſanctitatem & juſtitiam, & miniſtros Dei ac verbi ejus, nõ eſſe qui loquuntur, ſed ſpiritum Patris cœleſtis, qui loquitur in illis, ſive per os illorũ. Sanctus Deus, qui vocavit nos, ſanctificet nos totos integri

que

que noſtri ſpiritus & animæ, & corpora criminis expertia conſerventur in adventum Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui nos de manu inimicorum noſtrorum liberavit, ut ſine timore ſerviremus ipſi cum ſanctitate & juſtitia coram ipſo, cunctis diebus vitæ noſtræ: cui ſit honor in ſecula, Amen.

CONCIO LV.

1. Timot. 2.

Volo igitur orare viros in omni loco ſuſtollentes puras manus, abſque ira & diſceptatione. Conſimiliter & mulieres in amictu modeſto, cum verecundia & caſtitate ornare ſemetipſas, nõ tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veſtitu ſumptuoſo, ſed quod decet mulieres profitentes pietatem per bona opera. Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione. Cæterùm mulieri docere non permitto, neq; authoritatem uſurpare in viros, ſed eſſe in ſilentio. Adam enim prior formatus eſt, deinde Eva. Et Adam non fuit deceptus, ſed mulier ſeducta, obnoxia facta eſt tranſgreſſioni: ſalva tamen fiet per generationem

liberorum, ſi manſerint in fide ac dilectione & ſanctificatione cum caſtitate.

1 Quemadmodum univerſi mortales ante omnia pro omnibus orare debent: ſic etiam conjuges (Geneſ. 25. Tob. 8. 1. Corinth. 7. 1. Petr. 3.) non tam pro aliis, quàm pro ſe invicem, idque omni tempore, & omni loco: ut nimirum benedictionem à Deo conſequantur. Sicut enim domus multum jurantis maledictionem habet, (Ecclesi. 3. & 23.) ſic domus rectè orantis benedictionē. Nam propè eſt Dominus omnibus invocantibus eum in veritate, Pſal. 145. Tollitur autē hiſce Pauli verbis, In omni loco) ſuperſtitio loci: doceturque ſublatam eſſe illam Iudaicam, olimque mandatam obſervationem de adorando Hieroſolymæ, aut verſus Hieroſolymam, Ioann. 4. Reliquis verbis oſtenditur, qualis debeat eſſe oratio . Elevandæ enim ſunt manus ad cœlum, elevandæ & mentes, juxta illud Thren. 3. Levemus corda noſtra cum manibus ad Dominum in cœlos. Geſtus eſt ſeriò ad Deum orantium, & ceremonia uſitata omnibus ſeculis, manus extendere ac levare in ſublime, cœlum verſus; quia natura nobis hic ingenitus eſt ſenſus, quum Deum quęrimus, ſurſum aſpicere, ut & Chriſtus fecit, Marc. 7. Ioann. 11. & 17. Sic Moſes Exod. 17. & David in Pſalmis, & Salomon in dedicatione templi, manus ſuas inter orandum

dum ad Deum levaſſe leguntur. Sed & idololatræ, quum alioqui Deum affigerent ligneis & lapideis ſimulachris, morem tamen in cœlum tollendi manus retinebant. Ceremonia eſt veræ pietati congruens, modò reſpondeat veritas, quæ per eam ſignificatur: nempe ut admoniti Deum in cœlo quęrendum eſſe (quò & Chriſtus Ieſus nos remittit, quum ait: Sic igitur orate vos: Pater noſter, qui es in cœlis, &c. Matt. 6.) primùm de ipſo terrenum vel carnale nihil imaginemur: deinde exuamus affectus carnales: ne quid impediat quominus animi noſtri ſupra mundum aſſurgant. Obliviſcamur rerum terrenarum, ut cœleſtia tantùm cogitemus. Præterea ſuppliciter gratiam Dei imploremus, ac toti à cœleſti ope pendeamus. Quoniam verò & facilis eſt hic geſtus, & ſæpenumero ſimulatur ab hypocritis, non ſimpliciter dicit Apoſtolus, Suſtollentes manus: ſed, Suſtollentes puras. i. innocentes manus, mundas à ſanguine, Ieſ. 1. ab ira. i. impatientia, vel injuriarum recordatione, & vindictæ cupiditate, Matth. 5. & diſceptatione, id eſt, dubitatione, vel hæſitatione, Iacob. 1. vel mundas ab avaritia, à rapina, à cæde, à verberibus, eleemoſyna florentes ac plenas. Atq; hoc virorum eſt.

2 Conſimiliter autem & mulieres, ſcilicet in publicis conventibus orent, ſicut viri, attollẽtes manus ſine ira & diſceptatione, manus, inquam, ſanctas, non rapaces, non ava-

ras. Cùm enim maritum cogit uxor gemmas ei prębere & ornamenta aurea, is autē aliena rapit, ipſa omnino rapinæ eſt obnoxia. Pręſcribit ergo Apoſtolus mulieribus ituris in ſacrum cœtum, quomodo ibi ſe gerere debeant, nempe ne nimium ſeſe ornent, ſicut ſolent plerunq; illæ in templum omnesque publicos cœtus convenire, potius oſtentandæ formæ & ornamentorum quàm pietatis cauſa, ſicut Poeta inquit:

Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur ut ipſæ.

Primùm igitur affirmativè earum honeſtum ornatum deſcribit: ponitq; duplicem Christianarum mulierum ornatum. unum qui ſit in amictu honeſto (& pro decoro perſonæ compoſito) cum verecundia & caſtitate, ſeu modeſtia, ſeu frugalitate, quæ virtutes vel maximè muliebrem ſexum decent. Alterū qui ſit ex bonis operibus. Honeſtus amictus (qui Gręcè καταστολὴ κόσμιος vocatur) eſt, quo mulieres honeſtè circumquaq; ad pedes uſq; amiciuntur. Non vult ergo mulieres ſeminudas cōparere in cōventibus eccleſiaſticis, ſed honeſtè ac decenter opertas. Bona verò Chriſtianæ mulieris opera ſunt, ſi ſit obſervans mariti, ſi liberos gignat & educet, ſi domum fideliter adminiſtret, ſi ſit hoſpitalis, ſi ſanctorum pedes lavet, ſi afflictis ſubminiſtret: & in ſumma, ſi ſit in quolibet opere bono aſsidua. Hoc genus bona opera maximo ſunt ornamento Chriſtianæ & honeſtæ mulieri, redduntq; eam multo il-

luſtriorem, quàm ſi omnia illius auro, margaritis ac veſtitu holoſerico ſplendeant. Rectè igitur Phocionis cognométo Probi uxor (frugalitatem ſuam excuſatura aliis matronis objicientibus quòd parum pro dignitate culta eſſet) dicere ſolebat, ſuum mundum eſſe præclara geſta mariti. Rectius autem Cornelia Grachorum mater, quum Campana matrona illius hoſpitio utens, ornamenta ſua, quibus illud ſeculum nihil habebat pulchrius, ipſi oſtenderet, traxit eam ſermone, donec liberi redirent è ſchola: Tum & hæc, dicebat, ornamenta mea ſunt. Sentiens matronæ nihil eſſe pulchrius neque precioſius, quàm liberos rectè educatos.

Non eſt autē præter rationem, quòd mulierib. de honeſtate amictus prȩſcribit. Solēt enim illæ natura ſua ſtudioſiores eſſe ornandi corporis, & appetētiores intemperati, vani, & inhoneſti, quàm decentis & honeſti ornatus: haud memores juſtarū cauſarum veſtimentorum, quȩ ſunt neceſsitas, utilitas & honeſtas. Et quoniá ſolenne eſt mulierculis, ut ſeipſas ornēt: nō vetat hoc Apoſtolus, ſed corrigit abuſum: & docet quomodo ſeipſas ornare debeant. Admittit ille quidem, ut habitu ornato ſint pro ingenio muliebri, non deniq; ſordido amictu, quo abominatio ſint maritis, & occaſio forſitan exteros adamandi: ſed modum præſcribit, idque non ſolùm affirmativè, dum jubet, ut ornentur eo amictu, qui pudorem, qui pudicitiam vitæque

integritatem teſtetur, & muliebrem verecundiam deceat, ſed etiam negativè, dum addit: Non cincinnis, aut auro, aut margaritis, aut ſumptuoſo veſtitu. Quibus verbis vanitas & luxus, faſtus & exceſſus in cultu muliebri reprehenditur & damnatur: ſicut & Ieſai.3. 1.Pet.3. Porrò ſi quæ divitiarum tantùm ſunt indicia, prohibet Paulus, multò magis curioſa & perverſa, veluti ſunt infectiones genarum, picturæ oculorum, &c. quibus Iezabel ſe ornavit, 4.Reg.9. ignorans pulcherrimum colorem eum eſſe, ut Pythias Ariſtotelis filia dicebat, quem in ingenuis gignit pudor.

Legitur cap.12. Exodi: Qui aperuerit ciſternam, aut foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos aut aſinus in eam, reddet Dominus ciſternæ pretium jumentorum. Et dicit ibi Gloſſa: Ciſterna aperitur, quando mulier ornatur. Tunc bos vel aſinus incidit in eam, quando homo per ornatum illum illaqueatur: tunc mulier illa reddet rationem de anima illa. Si quis faceret foveam in via (inquit ille) & eam non cooperiret, non toleraretur. Mirum ergo eſt, quomodo hoc toleratur inter fideles (qui θεοσέβειαν & Chriſtianam pietatem profitentur) quòd mulieres ſic præparent ſe ad interfectionem animarum. Memorabile eſt exemplum S. Agathæ, quæ cùm eſſet ex nobili genere, in ſervili veſte inceſsit, & de hoc reprehenſa, gloriabatur ſeſe ancillam Chriſti.

3 Cęterùm quoniam Apoſtolus in oratione non diſcernit inter mulieres & viros, ne in omnibus etiam reliquis pares illas viris facere videatur: duo jam ſubijcit, in quibus à viris diſcerni debeant: quorum unum eccleſiaſticum eſt, alterum domeſticum, & ad conjugii ſtatum pertinens. Eccleſiaſticum eſt, quod dicit: Mulier quietè diſcat, ſumma cũ obedientia. Mulieri verò docere non permitto. Domeſticum verò, quod mox ſubijcitur: Nec authoritatem ſibi vendicare in virum, ſed quietam, ſeu in ſilentio eſſe, id eſt, ſe continere intra ſuum ordinem. Nomen ſilentii repetit, quia hoc genus hominum natura garrulum eſt (1. Timoth. 5.) faſtuoſum & recalcitrans, volens habere noviſsimum verbum. Non ſolùm ergo expetit honeſtas eſſe mulieres, ſed & taciturnas ac ſubjectas. Æqualitas viri & mulieris erat quidem ante lapſum in ſummis rebus, par ſplendor & dignitas: id quod inde liquet, quia perpetrato peccato Eva inferior conſtituitur, hanc ob cauſam potiſsimum, quòd primùm aures ſerpenti præbuiſſet. Ipſum lapſum autem dignitatis muliebris imminutio ſubſequuta eſt. Nam Deus inquit Geneſ. 3. Sub viri poteſtate eris, ipſeque dominabitur tui, eaque res pœnæ loco mulieri imponitur: ut poſtea quoque dicetur.

Sed quomodo mulier in ſilentio diſcere debet cum omni ſubjectione? In 1. ad Corinth. 14. ſic legimus: Mulieres veſtræ in ec-

cleſiis ſileant: Nec enim permiſſum eſt illis, ut loquantur, ſed ut ſubditæ ſint, quemadmodum & lex dicit. Quòd ſi quid diſcere volunt, domi ſuos viros interrogent. Nam turpe eſt mulierib. in cœtu loqui. Quibus verbis idem quòd hîc tractat. Non quòd auferat Paulus mulieribus munus docendę familię, aut ſeorſim inſtruendi alios, id quòd Priſcilla fecit, (Actor. 18.) ſed tantũ hoc vult, ut eas â munere docendi publicè aut in cœtu arceat, quod ſolis viris Deus mandavit. Si quis autem Deboram, & ſimiles obijciat, quas aliquando gubernando populo Dei mandato præfectas legimus (Iud. 4.) reſponſio eſt facilis, extraordinariis Dei factis non everti communem politiam, cui nos voluit alligatos. Ergo ſi aliquãdo prophetandi & docendi locum tenuerunt mulieres, idq; Dei ſpiritu excitatæ, potuit hoc qui ab omni lege immunis eſt: ſed quia hoc ſingulare eſt, nõ pugnat cum perpetua & uſitata politia. Docere non eſt eorum, qui aliis ſunt ſubjecti. tales autem ſunt mulieres. Quare non convenit illis ut loquantur ac doceant in eccleſia: ſed ut pro conditione ſubjectorũ ſilentium teneant, ſilendóq; audiant, & audiendo diſcãt, cum omni ſubjectione, quæ requiritur à diſcentibus. Niſi enim illa ſit, audientis animus doctrinę capax eſſe nõ poterit. Quemadmodum enim in vaſculũ infundi poterit nihil, niſi ſit ſubmiſſum ac ſubjectũ: ita nec in animum audientis doctrina poterit infundi, ſi non

non ſit erga doctorem ſubmiſſus, ſed elatus. Et ipſe cœleſtis doctor ſpiritus ſanctus, non amat elatos, ſed humiles: ideoq; non illuminat niſi humiles ac ſummiſſos. Deniq; qui elati ſunt, non appetunt veritatis cognitionē, ſed vel aliàs illam ſibi vendicant, vel ſuperbè faſtidiunt.

Quid verò eſt autoritatē uſurpare in viros? Græcè eſt αὐθεντεῖν ἀνδρὸς, quod verti poteſt, dominari in virum, nec modò autoritate & poteſtate, ſed propria poteſtate uti, id quod eſt dominorum. Non convenit autem mulieri imperitare, ac ſuapte poteſtate quicquam agere more dominantium. Eſſet enim hoc ordinem à Deo inſtitutum pervertere, quo jubetur mulier eſſe ſub poteſtate viri, unde & intolerabilis confuſio ordinis domeſtici naſceretur. Illud quoq; vel maximè repugnat obedientiæ (ut Io. Iovianus ait) conjugaliq; concordię, velle id uxorem, ut conſilio arbitrioque ſuo vivatur à viro, quod arrogantis eſt, penituſque intolerabilis. Satis ſit mulieri, ſi ſit ſub tutelà ac protectione mariti ſui: gubernationem rerum permittat marito tanquam capiti & ſuperiori. Illud tamen obſerva, quòd non ſimpliciter dicit, neq; authoritatem uſurpare, ſed addit, in virū. Licet ſub viro in ſilentio eſſe debeat uxor, neque quicquam præſumere illo invito, nec imperium in illū rapere: quatenus tamen materfamiliâs eſt, & גבירה rectè ſupra liberos & familiam poteſtate utitur, pręſertim abſente

marito, perinde atque lunam videmus præſente ſole eſſe in ſilentio: abſente verò dominari nocti ac ſtellis. Sicut enim illa ſocia eſt ſolis, ſic & uxor ſocia eſt mariti ſui, ad hoc illi conjuncta, ut adjuvet eum, nõ ut imperio ſuo ſubjectum habeat.

Deinde non dicit: Nec loqui viro, ſi quid in illo deſideret. Notum eſt exemplum Saræ Geneſ. 21. Admonere virum, ſi opus eſt, & ſi quæ facienda ſunt, non fecerit, non eſt illicitum uxori, modò id fiat non imperiosè, ſed cum debita modeſtia ac reverentia: quemadmodum Sunamitis maritum ſuum monet, ut Eliſæum hoſpitio excipiat, eique cœnaculum ædificet, 4. Reg. 4. Et Eſther Aſſuerum regem & maritum orat ut parcat Iudæis innocentibus, & crudelia edicta aboleat, cap. 7.

4 Porrò mulieres ſilentium ac ſubjectionem decere, Paulus duplici argumento probat: altero, ratione creationis, quòd ſcil. Adam prior formatus ſit Heva: ergo vir eſt præſtantior muliere. Videtur reſpicere ad jus primogenituræ, quo qui primogeniti ſunt, reliquorum ſunt fratrum ſuorum domini. Sic Adam, quoniam prior formatus erat, dominus erat Hevæ: ideoque non licebat Hevæ, αὐθεντεῖν in ipſum. Hoc argumentum 1. Corint. 11. in duo reſolvitur: quia vir non ſit ex muliere, non etiam propter mulierem, ſed contrà. Propter hoc, inquit, mulier debet habere poteſtatem in capite (.i. velamen

tamen, quod ſignificet eam ſub poteſtate viri eſſe) propter angelos. Nobilius verò præſtantiusque tum, id eſt, ex quo tanquam origine aut cauſa aliud oritur, tum id propter quod, tanquam ultimum finem, aliud veluti famulans ſubſerviensque illi conditur. Alioqui in nuda temporis ratione nõ ita multum ſitum fuiſſet: nam & plantæ ac bruta ſunt ante hominem creata.

Poſterior cauſa eſt, quia non Adam, ſed mulier ſit prior ſeducta, Eccleſi. 25. quod tum ex quadam majore mulieris imbecillitate provenit: nam mulier poſtea adjuvit ſatanam in ſeducendo viro, ſiquidem ipſa ei dedit non ſine aliquibus verborum illecebris: tum etiam idipſum meretur eam pœnam, ut ſit viro ſubjecta, ſicut Deus ei diſertè tunc hanc mulctam ſervitutis imponit, Geneſ. 3. Cùm igitur initio ei munus docendi virum malè ſucceſſerit, negat permittendum, ut mulier porrò doceat publicè. Semel docuit, & omnia ſubvertit. Ipſa experientia docuit, quàm ſit noxium, ſi mulier præſumat habere poteſtatem in virum. Quia ergo mulier exitiale conſilium dederat, digna fuit, quæ ab alieno jure & arbitrio pendêre diſceret: quia virum abduxerat à Dei imperio, digna fuit, quæ omni libertate privata ſub jugum redigeretur. Sic Anshelmus inquit in 14. cap. 1. ad Corint. Duabus de cauſis jubetur mulier eſſe ſubjecta: quia ex viro eſt, & per ipſam intravit peccatum. Iure enim ta-

ceat inter viros, quæ cùm loqueretur viro ſuo, ſuaſit peccatum. Hoc agnoſcens S. Monica viro ſuo tacuit & ceſsit. Aliis verò mulieribus, quæ à viris verberabantur, dicebat, Oportere memores conditionis ſuæ, non ſuperbire contra dominos ſuos, quandò recitatis tabellis matrimonialibus intelligere debuerant, ſe ancillas eſſe factas.

Ne autem nimium mulierum ſtatum extenuaſſe, & quaſi omnẽ ſpem ſalutis eis ademiſſe videretur Apoſtolus: dicit eas nihilominus ſervatum iri, utcunq; ſuſtineant pœnam temporalem, & ſimul eis genus vitę aut mores ſanctos, in quibus potiſsimum verſari, Deoque ſervire debeant, præſcribit. Q.d. Audiſtis quantam muliebris ſexus ſibi inuſſerit maculam: ſed hæc non ideo dicuntur, quò in deſperationem aut ſuſpicionem pertrahantur mulieres, quaſi à ſalutis conſortio dejectæ & excluſæ ſint. Nam etſi ut in concione quid agant non permitto: habent tamen domi ſuæ functionem, in qua Deo placere poſſunt, ſi ſcilicet officio non defuerint: quod eſt liberos gignere & educare, fidẽ erga Deum & maritũ ſervare, utrunq; diligere, ſanctè, caſtè & pudicè vivere. Non eſt ergo ut de ſalute ſua dubitent. Tranſgreſsio nanq; Hevę non ſic facit ad condemnationẽ muliebris ſexus, ſicuti ad ſubjectionẽ illius facit. Pręterea lapſus ille non Hevæ tantùm, ſed & Adæ per mediationem Chriſti ſublatus eſt, ne faciat ad condemnationem cre-

dentibus in Chriſtum: qui Chriſtus & virorum & fœminarum ſervator eſt. Hominis autem liberatio (teſte Auguſtino lib. 83. Queſt. q.xj.) in utroq; ſexu debuit apparere. Ergo, quia virum oportebat ſuſcipere, qui ſexus honorabilior eſt, conſequens erat, ut fœminei ſexus liberatio hinc appareret, quòd ille vir de fœmina natus eſt. Huic viro & forti Deo, ſit honor, benedictio, & gloria in omne ævum, Amen.

CONCIO LVI.

1. Timot. 3.

INdubitatus ſermo: ſi quis Epiſcopi munus appetit, honeſtum opus deſiderat. Oportet igitur Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris maritum, vigilantem, ſobrium, modeſtũ, hoſpitalem, aptum ad docendum, nõ vinolentum, non percuſſorem, non turpiter lucri cupidũ: ſed æquum, alienum à pugnis, alienum ab avaritia, qui ſuæ domui bene præſit, qui liberos habeat in ſubjectione cum omni reverentia. Quòd ſi quis propriæ domui præeſſe non novit, quomodo Eccleſiam Dei curabit? Non novitium, ne in-

ſtatus in condemnationem incidat calumniatoris. Oportet autem & bonum habere teſtimonium ab extraneis, ne in probrum incidat & laqueum calumniatoris.

1 Non incongruè poſſet hęc Epiſtola Pauli, vocari Chriſtianæ diſciplinæ eccleſiaſticæ ordinatio: quia in ea, non ſolùm in genere quid credendũ & agendum omnibus Chriſtianis ſit, verumetiam quid ſingulariter cuique in ſua vocatione, docetur. Quemadmodum in hoc Capite primùm deſcribitur officium Epiſcopi ſeu ſpeculatoris. i. miniſtri, vel paſtoris, vel presbyteri: deinde diaconorum: tertiò uxorum, &c. Nam quoniam mulieribus interdixerat officium docendi cap. præcedente, ſumpta inde occaſione de Epiſcopatu ipſo diſſerit: primò quò melius appareat quàm non ſine cauſa mulieres admittere noluerit ad ipſum exercendum; deinde ne ſolas mulieres arcendo, viros omnes promiſcuè admittere videatur. Tertiò quia expediebat Timotheum, & alios admoneri quanta in eligendis epiſcopis religio ſervanda eſſet. Epiſcopatus eſt opus eximium & arduum atque officium præclariſsimum. Neque enim leve eſt, in tanta adminiſtratione ſuſtinere perſonam Filii Dei, ubi agitur de regno Dei erigendo ac propagando, ubi de animarum ſalute curanda, quas ſanguinis

nis ſui pretio Dominus ipſe dignatus eſt, de regenda Eccleſia, quæ eſt Dei hæreditas. Igitur oportet etiam perſonam ad illud deligendam, eſſe prorſus præſtantem, & omnibus virtutibus ornatiſsimam. Quia quod honeſtum eſt, honeſtè quoque peragi debet. Non poteſt autem honeſtè peragi, quod ab inhoneſtis, infamibus & multis modis culpabilibus peragitur. Quemadmodum enim impura manus res puras contrectando inficit, ita & vir inhoneſtus gerendæ rei honeſtatem obſcurat. Etſi verò liberum ſit iis, qui ſe idoneos arbitrantur, ſuam operam Eccleſiæ modeſtè deferre: tamen eoſdem maximè decet, ut ſe examini & judicio Eccleſiæ ſubijciant. Ait enim Apoſtolus: Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus appetit (modò plurium juvandorum gratia, & non propter gloriam appetat) Sed addit:

Oportet ergo epiſcopum eſſe ἀνεπίληπτον: vel, ut ad Titum cap. 1. dicit (ubi ſimilis deſcriptio perſonę Epiſcopi habetur) ἀνέγκλητον, ὡς θεοῦ οἰκονόμον, hoc eſt, irreprehenſibilem & inculpatum ſeu inculpabilem: non ita, ut non reprehendi debeat, ſi quid peccat (1. Timoth. 5.) aut ut neminem prorſus habeat, qui ei maledicat (impii enim vel optimè meritos de pietate calumniis gravare conſueverunt) aut ut coram Deo etiam ſit prorſus immunis à peccatis (1. Ioan. 1.) ſed tam ſit vitæ inculpatæ coram hominibus, ut nullo jure reprehendi, nec ut manifeſtè flagitioſus

in jus vocari queat. De criminibus enim ſeu ſceleribus, & impudentiore converſatione hic Pauli locus intelligendus eſt, ut videlicet in Epiſcopo exigat ſummum innocentiæ ſtudium, ne quod rectè & ſanctè docet, prava & impura vita deſtruat. Qua enim fronte, aut etiam fructu is alios reprehendet, cui dici poterit, Medice cura teipſum? Turpe enim valde eſt doctori, cùm culpa redarguit ipſum. Atque hoc quidem generaliter dictum eſt à Paulo. Subijcit autem ſpecificationem quandam, çùm vitiorum, tum virtutum, quæ habendæ ſunt & exercendæ ab Epiſcopo. Neque verò omnia vitiorum genera recenſet, ſed ea tantùm, quæ apud eas gentes præ cæteris invaluerant, & vulgariora erant.

Notandum ſimul quòd pleraque omnia, quæ hîc exiguntur ab Epiſcopo, exigantur quoq; alibi nõ ſolùm à patrefamiliâs (qui id eſt in ſua domo, quod Epiſcopus in eccleſia: Nihil enim, juxta Theophylactum, aliud eſt domus, quàm parva eccleſia) ſed etiam ab omnibus fidelibus, quorum ſinguli ſuas animas habẽt, pro quibus vigilare debẽt. Dum enim ea quæ damnabilia ſunt, ſingulariter quibuſdam prohibentur, haud ſic prohibentur, ut ſolis illis illicita cenſeri debeant: ſed ut certis de cauſis potiſsimum illis vitanda eſſe ſignificetur. Magna ratione potiſsimum à magiſtratu requiritur, Exod. 18. quod in genere requiritur ab omnibus. Conſimili modo

do ſentiendum eſt de iis, quæ hic Epiſcopo præcipiuntur.

2 Requiritur autem ut eligendus in Epiſcopum ſit unius uxoris maritus. Quem locum quidam (ſed ut Theophylactus ſcribit, citra omnem rationem) non de conjugio Epiſcoporum, ſed de Eccleſia potius & ſacerdotio exponunt, quòd videlicet Paulus nolit epiſcopo uni plures cõmitti eccleſias, aut illũ ab una migrare ad aliam. At hîc & mox in Diaconorum deſcriptione, item Tit. 1. nominãtur etiam filii, & præſens uxor, quæ jubetur eſſe honeſta. Ex quo manifeſtè apparet non agi hîc de metaphorica aut ſpirituali uxore, ſed carnali ſanctaq́;. Iam quod objiciunt, Apoſtolos quidẽ habuiſſe uxores, ſed nõ circumduxiſſe ſecũ in miniſterio, cõfutatur ex hoc loco, qui palàm quid fieri debeat præſcribit, nõ quid geſtũ ſit exponit. Epiſcopus verbi Dei miniſter eſt. At hunc oportet unius uxoris maritũ eſſe, eò ſcil. quia Epiſcopus eſt, ſanctumq́; connubium aliis cõmendare, & à fornicatione abſterrere debet. Deinde clariſsimis verbis ipſe Apoſtolus 1. Corin. 9. An non habemus, ait, poteſtatem ſororem mulierẽ circumducendi, quemadmodum & cęteri Apoſtoli Domini, & Cephas? Hunc in modũ convicti cõminiſcuntur aliud, quibus contendere, quàm veritati obſequi jucundius eſt. Primum enim matrimonium admittunt, repetitum damnant, vel improbant: hinc à Paulo difertè unius uxoris maritũ, u-

nius, inquam dictum putant. Quaſi verò ſecundæ nuptiæ primis ſint pollutiores, & Paulus verum non dixerit, cùm 1. Corinth. 7. inconjugatis & viduis præſcripſit bonum eſſe ſi ſic manſerint: cæterùm ſi ſe non contineant, contrahant matrimonium. Vide Hieron. ad Oceanum.

Vnius ergo uxoris maritum eſſe debere ait, ut, teſtibus Chryſoſtomo, Cajetano, Bullingero, Flacio, excludat eos, qui vel ſimul habuerunt plures uxores, quod in Aſia ſemper fuit uſitatiſsimum, non ſolùm apud Iudæos, ſed etiam multò magis apud Gentiles: tum ut etiam illos excludat, qui una extra caſum adulterii dimiſſa, temerè aliam duxerunt, tum qui concubinas habuerunt, aut alioqui impurè vixerunt, ut fuit tunc ingens horum vitiorum licentia & frequentia, tum denique ut ſanctum & juſtum matrimonium ſtabiliat, quod non inter plures, ſed duos tantùm conſit. Id quod & Dominus Matth. 19. docuit: & Paulus 1. Corinth. 6. Epheſ. 5. Itaque Polygamia (cujus primum exemplum Lamech, qui ex poſteris Caini fuit, contra inſtitutum Dei, vel ex libidine vel cupiditate dominandi invexit, Gen. 4.) hîc nominatim à Paulo damnatur, quæ tunc apud Iudæos pro lege ferè obtinuerat, ut hodie apud Turcas. Partim hoc habebant ex perverſa patrum imitatione (nam legebant Abraham, Iacob, Davidem, & ſimiles pluribus ſimul uxoribus fuiſſe conjugatos, idem ſibi

ſibi quoque licere arbitrabantur: contra quã κακοζηλίαν quid ſcripſerit D. Auguſt. videris cap. 12. libri 3. de doct. Chriſt.) partim hanc corruptelam ex vicinis gentibus traxerant. Nunquam enim apud Orientales, qua decebat religione & fide culta fuerunt conjugia. Quicquid ſit, Polygamia vulgò invaluerat, & in uſu erat tam inter Iudæos, quàm inter gentes (ut teſtis eſt Athenæus lib. 13. δειπνοσοφιστῶν.) ex quibus colligebatur eccleſia: & probabile eſt, multos polygamos perinde atque monogamos fidem in Chriſtum recepiſſe, & eccleſiæ fuiſſe conjunctos. Neque enim legimus fuiſſe eos ab Apoſtolis repulſos. Cùm igitur eſſent in eccleſia non ſoli monogami, ſed & polygami, nec in ea adhuc deteſtatione eſſet polygamia inter fideles, in quà poſtea eſſe cœpit: ideoque fieri poſſet, ut perinde polygami in Epiſcopos eligerentur, atque monogami, diſertè hic pręſcribere voluit, eligi debere Epiſcopum non polygamum, ſed monogamum, h. e. non plurium, ſed unius tantùm uxoris maritum. Quare hoc? Ne ſit ſuſpectus de impudicitia. Deinde quia Polygamia ſecundum pluralitatem uxorum œconomiam requirit multis curis, ſumptibus, negociis impeditiorem, quàm convenire poſsit Epiſcopo, cujus humeris omnis eſt Eccleſiaſticarum rerum impoſita gubernatio. Adhæc non ſunt gravandæ eccleſiæ ſumptibus, quos Epiſcopalis domus jure officii poſtulat, non mediocres ac tole-

rabiles, ſi polygamus ſit Epiſcopus, ſed multò majores quàm ſi ſit monogamus.

Videtur autem planè ſeriò exigere Apoſtolus ut pius preſbyter ſit uxoratus, ſicut & Tit. 1. Hîc enim ait: Oportet, ibi verò dicit: Sit imperativè, nempe vitandi ſcandali cauſa, & ne tentet eum Satan 1. Cor. 7. prçſertim cùm miniſtri eccleſiæ multum etiam cũ mulierculis cõferre & agere in functione cogantur. Sic Flacius annotavit. Haud diſsimilia his quoq; Muſculus ſcribit. Et Vvigandus probat in Levit. 21. ſacerdotibus & ſummo pontifici non modò cõceſſum, ſed etiam imperatum eſſe conjugium à Deo. Poteſt quidem (inquit ille) etiam ſine uxore inculpatè vivere epiſcopus in domo Dei: verùm multis interea cõmodis & adminiculis deſtituitur, quibus adjuvatur ille qui uxorem habet, in ſuſcipiendis peregrinis, inviſendis ac curandis ægrotis, juvandis pauperibus, viduis & orphanis, ubi multa ſunt, quę negligi nõ debent, & tamen longè melius per uxorem, quàm per ſeipſum peraget Epiſcopus. Neq; enim talium Epiſcoporũ domus ſic erant opibus & famulitio inſtructæ, quemadmodum ſunt Epiſcoporum Papę, in quibus quæ bona pauperũ ſunt inutilium hominũ ventres, canes, aſini, equi, nũnunquã & leones & urſi magno numero abſumũt. Deinde quoniam Epiſcopus liberã habet poteſtatẽ conveniendi ſingulos, non viros tantùm, ſed & mulieres, domusq; illarũ viſendi: ne liber-

tas

tas hæc occaſionem, vel certè ſuſpicionem mali gignat, ſi ſit ſine uxore, atq; ita Chriſtiana honeſtas labefactetur: diſertè ſtatuit, eligi oportere Epiſcopũ, non hominẽ ἄγαμον, qui ſine uxore vivat, ſed unius uxoris maritum, quò omnis occaſio auferatur Satanæ, Epiſcopos eccleſiarũ Dei ad intolerabile ſcandalum in turpia flagitia præcipitandi. Cura hæc longè majore ſerio pectus Apoſtoli ſollicitavit, quàm poſterorum Epiſcoporũ animos, unde cœperunt ordines Eccleſiaſtici uſque adeò corrumpi ſcortationibus, adulteriis, ſtupris, & aliis libidinum generibus, ut jam olim graveolentiam turpitudinis ſuæ ipſi non ſentiant. Bene inſtitutæ Reſpublicæ, in quibus publicæ honeſtatis habetur cõdigna ratio, non eligunt in conſules eos, qui honeſtum conjugium faſtidientes ſine uxoribus vivunt. Prudenter enim cavent, ne publica poteſtas oblatis occaſionibus ad ſollicitandum matronarum virginum ac viduarũ pudicitiam permoveatur: cujus rei exempla in medium adferre poſſemus, ſi neceſſarium eſſet. Quantò magis hæc cautio neceſſaria eſt Eccleſiis Chriſti?

Cęterùm cui divinitùs datum eſt, ut cœlibem & puram vitam vivat (quemadmodum rectè Iodo. Vvilichius monet) non eſt propterea reijciendus, ſed magis diligẽdus: modò caveatur ne quis πορνείᾳ ſit locus: quo nomine fœdas & vagas libidines quaſlibet comprehendimus. Alioqui Epiſcopi deſignati

fornicationis inſimularentur, & eſſent reprehenſibiles. Illis quoque dictum eſt, ut quiſque ſuam ducat uxorem, ad vitandam fornicationē. Item, Melius eſt nubere, quàm uri, 1. Corint. 7. Et, Honorabile connubium, & thorus immaculatus in omnibus, Hebr. 13. Id tamen ſemper excipiendũ eſt, niſi quis ſingulari fuerit dono continentiæ. Non enim reijciendi ſunt, qui vel ex utero matris nati eunuchi, vel ab hominibus, vel à ſeipſis propter regnum Dei caſtrati, nuptiis abſtinent, & tamen eccleſiis Chriſti utiliter ſerviunt, Matt. 19. Vnde Theophylactus Chryſoſtomi abbreviator ait: Porrò non ut legem ſanciat, hoc dicit, quòd omnino oporteat Epiſcopum uxoratum eſſe. Quî enim iſtuc ſtatuerit, cùm aliàs dicat, Volo vos omnes eſſe ſicut meipſum? verùm quia tempus ita tum poſtulabat. At ſi contingat, inquit, ſit unius uxoris vir, ſeu maritus.

Hinc verò manifeſtum eſt (diſertè enim mariti mentionem facit Apoſtolus) conjugium non pugnare cum ſacerdotio, neque illud prohiberi miniſtris Evangelii, & conjugium horum eſſe non ſolùm honeſtum, ſed & Apoſtolica ſanctione ſacroſanctum. Quare tyrannicum eſt, quod Epiſcopis conjugium interdicitur, & eiſdem cælibatus perpetuus injungitur, etiamſi impuriſsimè vivatur: ut Gratianus, & poſt eum plures pontifices contra omnia jura divina & humana, contra conſuetudinem, ſine ullo diſcrimine

ſanxerunt. Quorum veſtigiis etiam nunc quidam inſiſtunt, atq; hodie in quibuſdam locis in maritos ſacerdotes ita graſſantur, ut nihil ſuprà: quaſi Græca eccleſia & Latina idem jus non ſemper confirmaſſent: quarũ poſterior uſque ad tempora Gregorii quàm diligentiſsimè conſervavit. Poſtea tamen nihil non mutatum eſt contra omnia jura, ut ab officio mariti ſacerdotes ſemoverentur. Eò amentiæ tyrannis pontificia venit. Ignoratur enim id decretum de cœlibatu eſſe diabolicum, ſicut in hac epiſtola Paulus cap. 4. eoſdem autores fore prædixit. Neque dubitavit doctrinam dæmoniorum pronunciare, ut qui tam turpes libidines ſumma opera defenſuri eſſent. Quo conſilio adductus Siricius ejuſmodi conjugia in Hiſpania dirimere ſtuduit, ſicut in Sicilia Gregorius. Idem in Germania quoque tentatum eſt: ſed Epiſcopi Auguſtanus, Moguntinus & Curienſis Hildebrandi edicto reclamarunt, & legem de cœlibatu nunquam approbarunt, ſed Epiſcopis licere eſſe maritos ſemper permiſerunt. Sanè planum eſt non modò ex monumentis veterum, ſed neotericorum quoq;, omnes Galliarum & Germaniæ Epiſcopos ſerò tandem profeſsionem cœlibatus recepiſſe, feciſſeq;. Ab antiquo enim uxores habuiſſe longè certiſsimum eſt. Id quod & Lambertus Schaffnaburgenſis hiſtoricus in rebus Germanicis luculenter exponit, eo præcipuè in loco ubi geſta præ-

clara anni 1074. deſcribit. Mira tum erat in Epiſcopis ejus temporis conſtantia. Confidenter enim & negligebant & damnabant ſanctiones & decreta Romani præſulis, uxóresque ſecundum verbum Domini retinebant. Gangrenſis anno Domini 333. & ſexta univerſalis ſynodus, ut citatur Diſti. 31. can. acriter defendit conjugium ſacerdotum: ſicut & Nicæna pro eo contra neceſsitatem cœlibatus concluſit anno ſalutis 313. His & Panormitanus inſignis juriſconſultus aſſentit. c. cùm olim, de Cleri. conjug. Chryſoſtomus in Epiſtolam ad Titum verba Apoſtoli, Si quis eſt ſine crimine unius uxoris vir, ſic exponit: Obſtruere prorſus intendit hæreticorum ora, qui nuptias damnant: oſtendés eam rem culpa carere, imò ita eſſe precioſam, ut cùm ipſa etiã poſsit quiſpiam ad ſanctum Epiſcopatus ſolium ſubvehi. Pius ſecundus, priuſquam Pontifex factus calicem ſcortationis Babylonicæ Regibus porrigendum in manus ſumpſiſſet, palàm dixit: Sacerdotibus magna ratione ſublatas nuptias, majori reſtituendas videri. Quare ergo cùm pontificatum eſſet adeptus, non reſtituit Eccleſiis, quod tam gravibus de cauſis reſtituendum eſſe ſciebat? Scilicet, non eſt hoc Romanorum pontificum, ut quod juſtum & æquum eſt, imò neceſſarium eccleſiis, ſtatuant: ſed ut ne ab aliis tale quid tentetur, totis viribus, igne, gladio, &c. impediant.

3 Sed

Sed videamus, qualem prætereà eſſe oporteat Epiſcopum. Vigilantem eſſe vult, qui in omnibus ſuæ functionis partibus advigilet, ne quicquam mali eccleſiæ Chriſti ſibi commiſſę contingat, nève inſidiator ille obrepat, ac de Chriſti caſtris quid intercipiat. Itẽ Sobrium, vel potius temperantẽ, & ſana mente præditum. Eſt enim *σωφροσύνη*, ſive *σωτηρία τῆς φρονήσεως*, ſive *σώζουσα φρόνησις*, integra & illæſa mentis conſtitutio, ne qua ſit parte vel odio, vel invidentia, vel pravo aliquo ſtudio, aut aliàs incurabili defectu intelligentiæ ac judicii vitiata.

Modeſtum, vel compoſitũ, bonis ſcil. moribus decoratum, qui & frugalibus atque decoris utatur veſtibus.

Hoſpitalem, vel potius amantem hoſpitum, id eſt, qui hoſpites ac peregrinos amanter complectatur, & omnibus modis foveat.

Porrò ſobrietatem, modeſtiam & hoſpitalitatem etiam eos habere oportet, quibus præeſt (quemadmodum Oecumenius annotavit.) Addidit ergo Apoſtolus, quod magiſtri proprium eſt:

Aptum ad docendũ, qui videl. ſciat quid, quibus, quatenus & quomodo docenda ſint quęlibet, ut ſcitè ad uſum populi accommodetur Dei verbum: quique non tantùm artibus ad id neceſſariis ſit excultus, ſed etiam donum Dei tale habens, denique in hoc diligentiam adhibens.

Non vinolentum, ſeu obnoxium vino, qui vino potando impenſius delectetur, illiq; frequentius ac diutius aſsideat. Vinum enim dementat & pervertit ſenſum, adeò ut ne membra quidem corporis ſuo fungantur officio. Hac ratione vetuerunt Canones, ne miniſtri Eccleſiæ tabernas vinarias ingrediantur. Vide in concilio Loodicenſi can. 24.

Non percuſſorem, hoc eſt, vel acerbum & ſævum objurgatorem & minacem, qui ſit Martii caloris, aut qui fratrũ percutiat conſcientiam. Quanto enim ludibrio ſe exponant, notum eſt, qui ad infligendum pugni ictum (ne dicamus ad gladium exerendum) ſunt promptiores, quàm ad pacandas ſua gravitate aliorum lites.

Non turpis lucri cupidum, vel nimium avidè lucra captantem. Nam tametſi hoſpitalitas ab Epiſcopo requiratur, attamen hujus prætextu nullum ſectabitur lucrum inhoneſtum: quod faciunt, qui cum pietatis & religionis detrimento munera accipiunt, deinde rebus turpibus, inhoneſtis, illiberalibus & Epiſcopo indecoris quærunt victũ.

Sed æquum, qui de ſuo jure multum remittat, conſiderata proximi conditione, tenuitate, neceſsitate, impoſsibilitate: non rixas nec turbas dantem, non pertinaciter ſuum debitum, aut jus efflagitantem, etiam convitiis quotidianis. Eſt enim ἐπιεικὴς, homo ſic moderatus, ut in rebus gerendis nihil tribuens affectibus, id ſequatur, quod videtur

detur eſſe decens, ęquum & probabile.

Alienum à pugnis, id eſt, abſque jurgio, & litigandi contendendíve ardore, 2. Timoth. 2. quique fugiat contentiones & certamina, dirimat potius ea & pacificus ſit. Veritas enim nimia contentione amittitur.

Alienum ab avaritia, id eſt, ab argenti amore & cupiditate alienum. Avaritia enim præcipuè nocet iis, qui verſantur in adminiſtratione: & quidem nocet multis modis. Hæc ex Apoſtolo Chriſti, fecit proditorem Chriſti. Hæc eſt radix omnium malorum. Avari facilè expugnantur pecunia in judiciis: item ſtudio cumulandi privatas facultates negligunt miniſterium, negligunt ſtudia doctrinæ (ſicut nunc ſæpe apparet, paſtores magis ſervire rei familiari, quàm Eccleſiæ) quò fit ut avarus Epiſcopus & alios & ſeipſum defraudet. Itaque duplici nomine fuerit iniquus.

Bonum ac frugi œconomum, qui (ut inquit Apoſtolus) ſuæ domui bene ac honeſtè præſit, eamque rectè gubernet. Nam quemadmodum avaritia vitio datur Epiſcopis, ita & profuſio & rei familiaris neglectus. Vterque enim in extremis hæret, & culpabilis eſt: qui verò medium tenet, is juſtè ambulat.

Bonum item & probatum patremfamiliâs, qui liberos (qui parentum ſunt, quaſi viva ſimulachra) habeat in ſubjectione cum omni reverētia, ſeu gravitate. i. familiam tum

obedientem, tum & omnibus modis honeſtam. Hoc duplici de cauſa requiritur in Epiſcopo, tum ne ejus familia ſit aliis malo exemplo aut ſcandalo, tum ut inde ingenium ejus cognoſcatur ac judicetur, an videatur rectè præfuturus domui Domini, qui ſuæ bene maléve præfuerit. Nam ſi quis (inquit) domui propriæ præeſſe non novit, quomodo Eccleſiam Dei curabit? Qui non poteſt faciliora, quomodo is curabit majora? Qui ſua propria negligit, multò magis aliena negligit. Qui liberos non amat, quos natura chariſsimos, conjunctiſsimosq; eſſe voluit, quomodo alios amabit? Qui ſuos non coercet, multò minus coercebit alienos. Interea tamen fatendum eſt, nonnunquam uſuvenire, ut curam ac diligentiam patrisfamiliâs invincibilis quædam liberorum protervia (taceo nunc ſuperbam contumaciam nonnullarum uxorum) vincat, illis prẹſertim locis, ubi communi corruptione juventus perit & obruteſcit. Sed quod rarum & extraordinarium eſt, communem legem atque regulam non infringit.

Non novitium, ſeu recens plantatum vel inſitum, intellige, in fidem & eccleſiam Dei, vel recens in Catecheſi inſtructum. Ratio hujus conſilii eſt, Ne inflatus, & quaſi faſtu dementatus (uſitatum enim eſt, ut inexperti, ſubitoq; in ſummam dignitatem elati inſoleſcant, juxta illud, Honores mutant mores) in judicium incidat diaboli, hoc eſt, ne perin-

perinde ruat, ſicut diabolus, qui per ſuperbiam ex angelo Dei factus eſt hoſtis & adverſarius Dei, & calumniator fratrum: aut ne in ejus quaſi jus, laqueos, poteſtatemque incidat. Superbi enim non quærunt à Deo opem, eoque ab illo deſeruntur, & tranſeunt in poteſtatem Satanæ. Eſt hoc ingenium ſuperbiæ, ut ex Epiſcopis faciat Diabolos, ex paſtoribus lupos, ex patribus oppreſſores ac tyrannos.

In ſumma D. Paulus adeò illuſtrẽ ac conſpicuam innocẽtiam vitæ Epiſcopi eſſe vult, ut ne gentes quidem. i. infideles ac impii habeant, quod de eo blaterent, aut jure obijciant flagitium. Oportet, inquit, illum habere bonum teſtimonium ab extraneis, ſeu alienis à religione. Additur autem ratio: Ne in probrum incidat, & laqueum calumniatoris, ſeu diaboli: h.e. Ne fiat infamis, atq; ita habeat diabolus, quò eum reddat contemptibilem, omniaque ejus rectè facta conatusque, tanquam laqueo quodam infamia ſuffocet: vel etiam ne turpiter lapſum ſubinde ex alio peccato in aliud pertrahat, ut ille ſolet, ubi aliquem ſemel in aliquod tetrum facinus pertraxit.

Haud ab re porrò fuerit hîc quærere (juxta Theophyl.) cujus rei cauſa, qui â vulgaribus & laicis poſtulet, Col. 3. Occidite membra veſtra. quæ ſuper terrã ſunt: & iterũ Gal. 5. Qui verò ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerũt; nunc verò ab epiſcopo requirit exi-

gua quædam, ac tanto faſtigio indigna, Ne ſit vinolentus, neque percuſſor, &c. Atqui Chriſtus etiam jubet, ut crucem tollamus, Luc.9. Et, Paſtor, inquit, bonus, animā ſuam ponit pro ovibus ſuis, Ioan.10. Debebat igitur Paulus ab Epiſcopo potius, ut angelicam viveret vitam, exigere, quæ affectibus careret, quantum ad dignitatis ſummitatem attinet. Audi igitur, Quoniam paucos exactæ hujuſmodi vitæ liceat invenire: Epiſcopis autem multis in quavis urbe opus erat, qui aliis præeſſent, propterea moderatam ab eis virtutem poſtulavit, quæ in multis inveniri potuit. At nunc, proh dolor, quò excidimus Epiſcopi, ut adeò ne umbram quidem adeò moderatę virtutis in nobis deprehendi liceat? O parce nobis Domine. Hæc ille.

Quid verò nos hodie dicemus Domino Deo noſtro, cujus gloria & Evangelium propter nos malè audit, & propter quorum flagitioſam & ſcandalis plenam vitam plurimorum ſalus impeditur, quæ per nos promoveri debebat? O Chriſte Ieſu, paſtorum princeps, ac magne ovium paſtor, miſerere tum noſtri, tum gregis tui, precioſo ſanguine tuo redempti: paſce & cuſtodi tu nos & gregem tuum, qui in nobis eſt, & emunda nos ab omni peccato, & da nobis omnibus & ſingulis ſpiritum tuum ſanctum, qui nos ducat in omnem veritatem, regat in omnibus actionibus, ſermonibus, cogitationibus:

bus: conſoletur in omni tentatione & afflictione: ſuſcipe animas noſtras nunc & in hora mortis, Amen.

CONCIO LVII.

1. Timot. 4.

Spiritus autem certò loquitur, quòd in poſterioribus temporibus deſciſcent quidam à fide, attendentes ſpiritibus impoſtoribus, ac doctrinis dæmoniorum, per ſimulationem falſiloquorum, cauterio notatam habentium conſcientiam, prohibentium contrahere matrimonium, jubentium abſtinere à cibis, quos Deus creavit ad ſumendum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs qui cognoverunt veritatem, quòd quicquid creavit Deus, bonum ſit: & nihil reijciendum, ſi cum gratiarum actione ſumatur. Sanctificatur enim per ſermonem Dei ac precationem.

1 Apoſtolus Paulus his verbis in genere prædicit venturos prophetas falſos, ſicut & Chriſtus Matth. 24. Et Petrus cap. 2. Epiſt. 2. id quod ſignum erit præcurrens adven-

tum Domini: qui non adveniet, niſi venerit defectio prius, 2. Theſſal. 2. Animadvertere ergo hic licet, quantam Eccleſiæ ſuæ curam agat Deus, dum ita maturè occurrit periculis.

De Apoſtaſia autem, ſeu defectione ita hoc loco ſcribit Apoſtolus.

Spiritus autem) ſcil. Dei, cujus oculis omnia patent.

Certò loquitur). i. diſertè, clarè, palàm, & non adumbratè nec ambiguè, per eos quos afflavit: qui audiendi ſunt tanquam Chriſtus, Luc. 10. ſicut fugiendi pſeudoprophetę, Matth. 7. Suntque hęc verba inſtar præfationis, authoritatem aut certitudinem vaticinii de ventura apoſtaſia indicantis: quæ ipſa certitudinis inculcatio gravem admonitionem de cavendis iſtis erroribus continet. Igitur author indicatur Spiritus ſanctus, qui per Paulū loquutus eſt: certitudo eſt, quòd diſertè id, non obſcurè teſtetur. Non eſt quidem dubium quin reliqua ex eodem ſpiritu hauſerit Paulus: quemadmodum paſſim non ex ſe, ſed ex ſpiritu Dei loqui affirmat, 1. Corinth. 7. 1. Theſſ. 4. Verùm, utcunque ſemper audiendus ſit tanquam Chriſti organū, tamen in cauſa magni ponderis peculiariter voluit hoc teſtatū, nihil ſe proferre quàm ex ſpiritu prophetiæ. Sequitur jam ipſum vaticinium, complectens circumſtantias, tempus, defectionem à fide, ſeductores & errores, eorumq; primarium inventorem.

Quòd

Quòd in poſterioribus temporibus) ſequentibus Apoſtolorum videlicet ſeculum, & ad judicii uſq; diem procurrentibus: quæ tempora etiamnum hodie durant regnante Antichriſto, 1. Ioann. 2. Ergo poſteriora tempora non tam ſignificat illud tempus, quod mox Apoſtolos conſecutũ eſt, quàm quod aliquot ſeculis poſtea, ut vox ipſa ſonat. Quare perperam hæc Papiſtæ exponunt de illis primis hæreticis, ut mentes piorũ avertant, ne quid tale de ipſorum abominationibus ſuſpicentur. Licet autem ſemper fuerint hæreſes, tamen inſurgente Antichriſto & plures & periculoſiores & diuturniores, ac deniq; latius ſævientes exorti ſunt, idq; in ipſo Dei templo, & ſub prætextu ſummæ pietatis. Illa etiam ipſa vox in plurali numero poſtremis temporibus videtur indicare duratioñe erroris per plura ſecula: quòd nõ uno breviq; tempore, ſed multis temporibus exiſtent, quod ipſum quoq; indicat iſta non de primis illis fanaticis (tantùm) ſed (&) de Papatu prædicta eſſe. Quocirca vigilandum ac diligenter circumſpiciendum, ne ſeducamur.

Deſciſcent quidam) imò multi (quod horrendum eſt auditu) Matth. 24. At non omnes, quod conſolatione plenum eſt. Novit enim Dominus pios è tentatione eripere, 2. Petr. 2.

A fide) à vera religione & doctrina Apoſtolorum: ſeu fiducia & vera noticia Chriſti,

quæ ſtatuit, quòd propter Chriſtum habeamus remiſsionem peccatorum fide, quòd Deus velit coli fide, & invocari, non externis obſervationibus, quòd regnum Chriſti ſit in ſpiritu, nova juſticia & nova vita, non ſit foris diſsipatio conjugiorum, & ſimilium ordinationum corporalium. Vbi autem ſemel vitiatus eſt cultus Dei, nihil amplius integrum aut ſanum: imò tota fides periit, quę non niſi cum puro Dei verbo retineri poteſt. Quemadmodum enim fidès ex auditu verbi Dei oritur, Roman. 10. ita ex neglectu verbi patitur naufragium. Quoniam igitur omnium malorum cauſa eſt (teſte Chryſoſt.) à fide diſcedere: maneamus nos fideles uſque ad mortem, Apoc. 2.

Attendentes ſpiritibus impoſtoribus) avertentes aures à veritate, & cõvertentes ad fabulas (2. Timoth. 4.) & patefactiones dæmoniorum, auſcultanteſque pſeudoprophetis ſpiritum jactantibus. At non omnes ſpiritus idem inſtigat: igitur probandi ſunt ſpiritus an ex Deo ſint. 1. Ioan. 4.

Ac doctrinis dæmoniorum) Exponit ſeipſum Paulus. q. d. Attendentes pſeudoprophetis & diabolicis eorum dogmatibus, à quibus ut ſeducátur omnino digni ſunt, qui Chriſtum. i. veritatem audire nolunt. 2. Theſſal. 2. Obſervandum autem, quòd clarè & nominatim teſtatur, quòd diabolus ſit author malarum opinionum, & traditionum, ſeu fictitiorum cultuum, quibus vera pietas ob-

obruitur. Quantopere attenderint Papiſtæ ſpiritibus ſeductoribus, apparet ex eorum propriis infinitisque hiſtoriis. Vt quamprimùm aliqua ſpectra apparuerunt, ſive miſſas aut quippiam ſimile præceperunt, mox eis obtemperatum eſt, neglecto penitùs viventis Dei verbo ac expreſſo mandato, id prohibente, & contraria præcipiente. Sequuntur porrò notæ quædam & proprietates antichriſti & ejus ſeductorum.

Per ſimulationem falſiloquorum) Malo enim ſpiritu imbuti doctores in hypocriſi & data opera loquuntur ac docent mendacia, id eſt, à ſcripturis aliena, quæ videlicet inſpirat impoſtor ſatanas, qui & ipſe in lucis angelum ſe transfigurare poteſt. 2. Corint. 11. Quantum verò omnibus ſeculis fucata illa ſimia hypocriſis & ſimulata religio potuerit in veritatem, ab ipſo Caino Adæ filio uſque ad præſens facilè videmus. Quare diligenter caveamus, ne ſinamus nos ſeduci ab illis, qui apud ſimplices quidem ſe venditant perſona ſanctimoniæ, ſed interim nugas pro fidei doctrina obtrudunt, & totam ſanctitatem in externis exercitiis collocant: cùm tamen Deus nunquam ritè illis colatur, Matth. 15. Rom. 14. Col. 2. Nam veri cultores eum adorant in ſpiritu & veritate, Ioan. 4. D. Auguſt. lib. quæſt. nov. & vet. Teſta. quæſt. 127. egregiè de hypocritarū iſtiuſmodi verſutia ſcribit: Talis eſt enim (inquit) quorundam verſutia: quia ut ſanctitatis &

caſtimoniæ amatores eſſe ſe ſimulent, nuptias eſſe dicũt damnandas, ut per hoc commendentur, & populum à veritate avertant: & ut abſtinentiæ ſe ſtudere fingant, temperandum à cibis tradunt, ut per hoc ſe alienos à mundo ad cœleſtia regna feſtinare oſtendant, per quod mentes hominum illicientes, deinceps illicita doceant licere, & licita quaſi inconceſſa damnare. Hæc ſunt præſtigia Satanæ, &c.

Cauterio notatá habentium conſcientiá) Hoc eſt, qui malè ſibi conſcii ſunt, tanquam malefici corá Deo, utut foris ſanctimoniam ſimulent. Nam apud nos candenti ferro notátur malefici ſtigmatis impreſsis cuti, quẽadmodum olim ſervis fugitivis notæ inurebantur. Ambroſius cauteriatá conſcientiam exponit, ſimulatione corruptam: alii inſyncerani & compunctam: alii ita aduſtam & corruptam, ut malè judicet: alii proi ſus amputatam (ut candẽte ferro teſticuli equorũ, boum & arietũ caſtrátur) ut nihil ſentiat, aut judicet. Solent etiam illa aduſta loca aut partes cruſtá quandam cõcipere ſenſu omni carentẽ, quę etiá metaphora nõ malè conveniret impiis, ſenſu omnis cõſcientię carẽtibus.

2 Prohibentium matrimonium) Iam ſpeciatim ſubjungit quædam dogmata, ex quibus quę jam propoſuit, manifeſta fiant, & reliquæ prophetarum doctrinæ æſtimentur. Bina autem (ſecundum Bullingeri ſententiam) exempla proponit: alterum quidem, quòd

quòd conjugio, & alterum quòd cibis interdicturi ſint. His tertium addit Flacius, quia (inquit) Apoſtolus nomine ciborum etiam dierum obſervationem prædixit & damnavit, ſicut & alibi in Epiſt. iſta cōjungit. Sunt enim illa ex hypocriſi, quæ relicta vera ſanctitate, alienos colores in fucū accerſit. Nam qui ab ambitione, odio, avaritia, crudelitate, aliisq; ſimilibus non abſtinent, earum rerū abſtinentia, quarum libertatem permiſit Deus, juſticiam acquirere ſibi tentāt. Quorſum enim iſtis legibus onerantur conſcientiæ, niſi quia perfectio extra Dei legem quæritur? Hoc autem non fit, niſi ab hypocritis, qui ut impunè tranſgrediantur cordis juſticiam, quā lex requirit, interiorē ſuam nequitiam obſervatiunculis iſtis tegere: quaſi velis oppoſitis, tentant. Ac quod ad primum attinet, ſcimus non multò poſt Apoſtoli mortem extitiſſe Encratitas, qui nomen ſibi à continentia indiderunt, Tatianos, Catharos cum ſua ſecta, & tandem Manichæos, qui teſte Auguſtino nuptias & damnarunt, & has omnino pares fecerunt fornicationibus. Idem & Apotactici, id eſt, Extraordinarii fecêre. Acceſsit & Hierax, qui uſus eſt hoc argumento: Evangelium debet habere aliquod proprium præceptum ſupra Decalogum. Nullum repetitur proprium præceptum ſupra Decalogum, niſi de Caſtitate: ergo Evangelium præcipit cœlibatum. Denique Papa prohibuit

conjugium ſuis ſpiritualibus prorſus. In Laicis autem id horribiliter inſectatur, ut impurum ac carnale, immundumque vitæ genus, ſicut Syricius dicit, iſtud eſſe in carne vivere. diſt. 82.

Quid autem veritas de hoc ſentit atque pronunciat? Honorabile eſt, inquit Heb. 13. inter omnes conjugium, & cubile impollutum. igitur prohibere conjugium ſeu matrimonium (quod ex eo ſic appellatum eſſe Auguſtinus dicit, quòd non ob aliam cauſam debeat fœmina nubere, quàm ut mater fiat) non ſolùm eſt contra permiſsionem Dei, ſed etiam contra ejuſdem inſtitutionem & approbationem. Conjugium enim Deus ipſe per ſe inſtituit & benedixit, idque in paradiſo, & in ſtatu innocentiæ. Conjugium enim Deus ſuo verbo in quinto præcepto (in quo omnis poteſtas humana ſuperior, qualis & maritorum eſt, præcipitur honorari) confirmavit: & in ſeptimo probè munivit, ac quaſi muro quodam ſepivit. Chriſtus Ieſus Dei filius de Beata quidem Virgine, ſed quæ eſſet in ſtatu matrimonii, naſci voluit. Idem præſens eſſe voluit nuptiis unà cum matre & diſcipulis ſuis, atq; ibi primum ſignum, quo ſuam divinitatem oſtendit, edere: &, ut Cyrillus ait, nativitatis noſtræ principium, quantum ad carnem attinet, ſanctificare. Idem ſe & Eccleſiam ſuam conjugibus comparavit: & regnum cœlorum nuptiali ac regio convivio ſimile eſſe pronun-

nunciavit. Vſus eſt etiam comparatione de mulieris partu: amplexatusque eſt pueros, & juſsit eos ad ſe venire. Spiritus ſanctus per organa ſua & miniſtros & Apoſtolos, præſcribit conjugibus præcepta & regulas vivendi in hoc ſtatu: quo manifeſtè declarat ſe nō improbare, ſed approbare conjugium. Idem multis egregiis teſtimoniis & hiſtoriis in ſacris Bibliis illuſtravit. Quocirca ſancti patriarchæ etiam poſt lapſum hominis ſanctè matrimonium conſervarunt uſque ad tempus Moſis: quo tempore etiam aliquot leges de hoc latæ ſunt, ut videremus Deo cum primis curæ eſſe, quomodo in eo vivamus. Videris Exod. 20. 22. 24. Levit. 12. 15. 18. 20. Numer. 5. 30. 36. Deuteron. 20. 21. 22. 24. 25. In novo deniq; Teſtamento conjugium manifeſtiſsimè approbatur, commendatur, inſtruitur, idque plurimis in locis; ut Matt. 19. 1. Corinth. 7. Epheſ. 5. Col. 3. &c. Petrus 1. Epiſt. 3. non ſolùm conjugibus ſua bona opera præſcribit, ſed etiam mulieres patriarcharum ſanctas appellat, & uxores cohæredes gratiæ dicit.

Nullum igitur dubium eſt, prohibitionē conjugii (ſicuti & ciborum, de qua mox) doctrinam eſſe dæmoniorum: id quod novem rationibus Apoſtolus hoc loco probat, quēadmodum Flacius Illyricus collegit. 1. Quia iſti, qui hoc faciunt, de re aliena Dei creatoris ſuo arbitrio ſtatuunt. 2. Quia contra ejus voluntatē ordinant. 3. Quia hoc facto dam-

nant ipſum opificem omnium. 4. Quia col locant cultum in rebus externis. 5. Quia invertunt finalem cauſam creationis in ſummam creatoris contumeliam. 6. Quia libertatem Chriſtianam reſtringunt, atque adeò in ſervitutem commutant, quam Chriſtus ſuo ſanguine acquiſivit. 7. Quia Deum ſpoliant debita laude gratiarum actionis, quam ex uſu ciborum exigit. 8. Quia ſpoliant fideles neceſſario uſu rerum. 9. Quia veram notitiam fidelium invertunt, eosq; à vera fide abducunt in meram apoſtaſiam.

3 Iubentium abſtinere à cibis) Alterum exemplum eſt de cibis, ſeu ciborum delectu, quem non ſemel Apoſtolus contra Iudæorum conſtitutionem, vel apud D. Petrum (qui Legis Moſaicę ſervitutem nondum planè exuerat) reliquum damnare & reprehendere ſummo ſtudio conatus eſt. Attamen Manichęi, Apotactitę & Eſſeni (quorũ haud diſsimiles ſunt Carthuſiani) eundem non ſine magno conſcientiarum detrimento repetebãt, & tanquam neceſſarium urgebant. Neque etiamnum in pontificum decretis & diplomatibus intermittitur, quum neutiquam is in Eccleſia Dei, tanquam Antichriſtianæ doctrinæ ſymbolum, tolerandus eſſet. Quare non immeritò Papiſtis hodie obijcimus hanc prophetiam, quando cœlibatum & ciborum abſtinentiam ſeverius urgent, quàm ullum Dei præceptum. Nam omnino in his rebus ſanctimoniam locant:

de-

deinde falſum & adulterinum Dei cultū inſtituunt: poſtremò conſcientias alligant neceſsitati, à qua debebant eſſe liberæ. Nam fides & religio ſinceră tradit liberum eſſe homini cuilibet ducere uxorem, aut nubere viro, hoc vel illo cibi veſci. Sed videamus quomodo ipſe Paulus refutet prædictos errores, eorumque ſimiles, ſimulq; probet illas verè eſſe doctrinas dæmoniorum, ut dixit.

Quos Deus creavit ad ſumendum) vel participandum, id eſt, ut illis fruantur homines in uſum nutricationis, non voluptatis. Participatio enim (inquit Oecumenius) mediocrem acceptionem ſignificat. Neq; ex hoc ſtatim (ut rectè Tertullianus lib. de jejunio ſcribit) quia libertas ciborum conceſſa, luxuria permiſſa eſt: nec quia liberalius nobiſcum Evangelium geſsit, continentiam ſuſtulit. Argumentatur Paulus ab efficiente & finalibus cauſis. Cibi enim ſunt creaturæ Dei, conditæ ad uſum fidelium: id quod piis omnibus inæſtimabile gaudium eſt, quum ſciant alimenta omnia, quibus veſcuntur, ſibi de manu in manum à Domino porrigi: ut purus ſit ac legitimus illorum uſus.

Quanta verò hominum arrogantia eſt, eripere quod Deus largitur? An cibos ipſi crearunt? An Dei creationem poſſunt irritam facere? Semper itaq; nobis in mentē veniat, eum qui creavit liberum quoque uſum feciſſe, quem fruſtrà impedire conantur ho-

mines. Hanc libertatem probè intellexit Spiridion Tremithuntis Cypriorum Epiſcopus, de quo libro 1. Hiſtor. Eccleſiaſt. Tripartit. cap. 10. ſic legimus: Qualis autem circa peregrinorum ſuſceptiones fuerit hinc apparet. Inſtante jam quadrageſima, quidam ex itinere venit ad eum, quibus diebus conſuerat cum ſuis continuare jejunia, & die certo comedere, medio die ſine cibo conſiſtens. Videns itaque peregrinum valde defeſſum: Perge (inquit filiæ ſuæ) lava peregrini pedes, & cibos appone. Cumque virgo dixiſſet, nec panẽ eſſe, nec ἄλφιτα, id eſt, farinas (quarum rerum ſolebat nihil habere reconditum propter jejunium) orans primùm, veniamque petens, filiæ juſsit ut porcinas carnes, quas domi ſalitas habebat, coqueret. Quibus coctis, ſedens cum peregrino poſitis carnibus comedebat, & rogabat, ut unà cum eo ederet peregrinus. Quo refutante, Chriſtianumque ſe profitente: propterea magis, inquit, refutare non debes. Omnia enim munda mundis, ſicut ſermo divinus edocuit.

Altera hiſtoria etiã huc faciens apud Euſeb. lib. 5. cap. 3. recitatur. Fuit Alcibiades de numero martyrũ eorum, qui ſub M. Antonino Vero in Galliis paſsi ſunt. Is cũ antea nimium parcè vixiſſet, pane ſolo & aqua in cibum utens, ne in carcere quidem aliam ſervare victus rationem voluit. Attalus verò Romanus, nobiliſs. martyr, poſt ſupplicia

quæ

quæ in amphitheatro multa & varia miraculoſè ſuſtinuerat, in carcerem reductus, viſione monitus eſt, peccare Alcibiadē, quòd à creaturis Dei abſtineret, aliisque occaſionem offendiculi præberet. Ita igitur per Attalum Alcibiades admonitus, & meliora doctus, eò tandem perductus eſt, ut ſine formidine & cum gratiarum actione creaturis Dei indifferenter uſus in poſterum ſit. Audet porrò Ignatius ad Philadelph. ſcribere: Si quis aliquam eſcam putat execrabilem, cohabitatorem habet Draconem apoſtatam.

Cum gratiarū actione) hoc eſt, ut cognoſcamus cibos eſſe verè ipſius Dei dona, & à Deo petamus & expectemus, & viciſsim glorificemus eum tanquam authorem & datorem. Nihil enim Deo pro ſua liberalitate rependere poſſumus, quàm gratitudinis teſtimonium. Porrò non poteſt eſſe gratiarum actio ſine ſobrietate & temperantia. Neque enim Dei beneficentiam verè agnoſcit, qui ea perperam abutitur.

Fidelibus) quibus ſolis, propriè loquendo, Deus tanquam filiis ſuis, creaturarum uſum, imò totum mundum, & quicquid in mundo eſt, deſtinavit, Roman. 4. non impiis ac infidelibus, qui velut alienum furantur aut prędantur, quodcunq; uſurpant. Quoniam inſalutato creatore ea uſurpant, & rapiunt cum ejus cōtemptu. Ac quòd impij & infideles ſine omni jure abutantur creaturis Dei, & quòd eæ aliquādo exturbatis im-

piis, filiis Dei tantùm ſervituræ ſint, Paulus Roman.8.docet.

Et iis qui cognoverunt veritatem) Definit hic quos vocet fideles, nempe qui notitiam habent ſanæ doctrinæ. Neq; enim fides niſi ex verbo Dei, Roman.10. Porrò veritas eſt, quòd quicquid creavit Deus, per ſe ſuaque natura bonum ſit, quòd fidelibus omnia ſint licita, quòd legis umbræ adveniente Chriſto ceſſaverint, &c. Qui igitur hanc veritatem cognoſcit, poteſt tranquilla conſcientia quibuſlibet cum gratiarum actione veſci.

Nam quicquid creavit Deus) & verò etiam ordinavit, ut conjugium (Creatura enim pro ordinatione etiam capitur, 1. Petr. 2.) bonum eſt, & nihil reijciendum: ſi cum gratiarum actione ſumatur) cujus ſemper meminiſſe debemus, 1. Corinth. 10. Ioann. 6. Actor. 2.

Sanctificatur enim) Id eſt, ita purum & ſanctũ fit, ut eo uti poſsimus bona conſcientia, tanquam de manu patris noſtri cœleſtis, cum ejus benedictione, ritè accepto.

Per ſermonẽ Dei) ſcilicet nõ pronunciatum tantùm, ſed etiam creditum. vel per filium Dei, per quem omnia nobis benedicuntur. vel per inſtitutionem Dei.

Ac precationem) id eſt, tum petitionem favoris Dei benedictionisq; alimenti, tum celebrationem Dei & gratiarum actionem, uſumq; fidelem. Ita ſententia erit. Ipſum e-

nim

nim Domini verbum, ipſa inquam Dei conceſsio, & ſententia, qua pronunciat omnia eſſe puris pura, fides item recipientis, & gratiarum actio fidelis, facit ut nihil impuritatis habeat cibus Chriſtianorum.

Concidunt ergo hîc ſemel quęcunq; mercatores Romani præceperunt de ciborum delectu, de temporum & dierum diſcrimine. Chriſtiano enim licet quovis tempore veſci cibis, Matth. 15. Actor. 10. Coloſs. 2. Diſcimus prętere a quanta cum reverentia ad menſam accedere, & ab eadē debeamus recedere. Eſt enim belluinus veſcendi mos, quum homines ſine ulla precatione ad menſam ſe ingerunt (qui mos tamen valde uſitatus eſt in nuptiis, quibus nullus verbi miniſter intereſt) ac bene ſaturi, ſepulta Dei mentione aliò ſe proripiunt: illorúmve imitatores fiunt, de quibus ſcriptum eſt: Sedit populus ut ederet ac biberet, & ſurrexerunt ad ludendum. Atqui convivæ Domini ſumus, Dominus paſcit nos, in hujus oculis verſamur, illius munificentia alimur. Precandum ergo & gratias agendas eſſe ante & poſt cibum, nemo eſt qui nō videat, ſed & ita in menſa, ut in oculis Dei verſandum, quemadmodū piè M. Heinrychus Bullingerus pię memoriæ, monet. Aberit itaq; omnis amaritudo, contumelia, calumnia, rixa, obtrectatio, denique luxus & ebrietas, obſcœnitas & intemperantia omnis: nihil fœdum dictu, aut auditum turpe in menſa proponatur, ſed quod hone-

ſtum,pium ac jucundum ſit. Reverentia hoſpitis, qui præſens eſt, & nos alit perpetuò, retineat in officio & diſciplina ſancta. Idem nobis adſit ſua gratia, ſuoque ſpiritu, ut poſſimus omnia, ſive edamus, ſive bibamus, ſive matrimonium contrahamus, ſive quid faciamus, in gloriam ejus facere, per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum, Amen.

CONCIO LVIII

Tit. 2.

TV verò loquere quæ decent ſanam doctrinam. Senes ut ſobrii ſint, graves, modeſti, ſani fide, charitate, patientia. Anus itidem, ut in habitu ſint qui religionem deceat, non calumniatrices, vino multo ſervientes, ut honeſta doceant, quo poſſint modeſtas reddere adoleſcentulas, ut maritos ſuos diligant, ut liberos ament, ut ſobriæ ſint, puræ, domus cuſtodes, bonæ, ſubditæ ſuis viris, ne ſermo Dei malè audiat. Adoleſcentes ſimiliter adhortare, ut ſobrii ſint, per omnia teipſum præbens formam bonorum operum in doctrina, integritatem, gravitatem, ſermonem ſanum, irreprehenſibilem:

lem: ut is qui repugnat, rubore ſuffundatur, nihil habens, quod de vobis dicat mali.

1 Etſi Apoſtolus hoc loco videtur duntaxat officium evangelici concionatoris (ſi referatur ὑπόθεσις ad θέσιν) præſcribere, quemadmodum & principium & finis contextus indicare videntur: tamen interim quoq; de aliarum perſonarum officiis agit, veluti ſenum vetularum, juvencularum & juvenum. Eſt autem Doctoris Evangelici, ſanam doctrinam de fide in Chriſtum & bonis moribus urgere apud omnes ordines & ætates: & optimo exemplo ſanctæ vitæ aliis prælucere, malosque refutare. Inquit enim: Tu verò loquere, quæ decent ſanam doctrinam, h. e. non nugas, non fabulas Iudaicas, non ſomnia propria, in tui & aliorum perditionẽ, non humanas conſtitutiones, non ſpeculationes, quæ oſtentationi ſerviunt magis, quàm ædificationi, ſed ſermonem Dei, qui animas verè paſcit, & ſanat atque ſalvat omnem credentem, eumque ad veram pietatem erudit, Matth. 4. 8. Pſalm. 107. Rom. 1. 2. Tim. 3. Tametſi nullam dictis tuis adhibeant fidem, & reprobi ſint, tu tamen quod tua intereſt, facito, nihil obticeas, Ezech. 3. Sed quoniam nihil prodeſt aliquem (ut ait Hieron.) exercitatum eſſe in dicendo, & ad loquendum triviſſe linguam, niſi plus exemplo docuerit quàm verbo: vult inſuper A-

poſtolus, ut Titus & quilibet epiſcopus ſeſe τύπον, id eſt, formam & exemplar aut ſpeculum præbeat omnis virtutis ad doctrinam, ut ſcilicet inter docendum præſtet integritatem animi nullis corrupti cupiditatibus, gravitatem quoque morum, non illa nimis auſteram & tetricam, quæ arceat auditores & doctorem reddat exoſum, ſed conjunctam lenitati ac humanitati, quæ eum efficiat venerandum ſimul & amabilem. Ita quoq; ſermonem & colloquia inſtituat omnia, ut nihil in his omnibus reprehendi poſsit, imò ne hoſtis quidem quod ſugillet inveniat, ſed rubore potius ſuffundatur, ſi optimo viro malè loqui & obtrectare cœperit, 1. Petr. 2. 3. Et ſanè, ſi paſtores omnes vitam viverent vocatione ſua dignam, etiam hoſtibus terrori eſſent. Verumenimverò tales non multi reperiuntur. Quare autem hoc? Si mihi licet dicere quod ſentio, duas referá rationes haud poſtremas, ob quas ejuſmodi non habemus. Quarum prior colligi poteſt ex verbis Iacobi, cap. 4. ubi ait: Non habetis, propterea quòd non poſtulatis: Altera ex verbis Pauli 1. Theſſalon. 5. ubi dicit: Rogamus autem vos fratres, ut agnoſcatis eos qui laborant inter vos, & qui præſunt vobis in Domino, & admonent vos, ut habeatis illos in ſummo precio, per charitatem propter opus illorum, pacem habete cum illis, &c. Si enim Eccleſiæ rogarent dominum meſsis, ut extruderet operarios in meſſem ſuam: & ſi fi-

deles

deles ac prudentes operarios ad ſe miſſos agnoſcerent, iisque parêrent: utique res earum optimè ſe haberent. Sed de his ſatis.

2 Videamus nunc quid unamquamque ætatem & ſexum deceat. Generalis enim doctrina minus afficit: ubi autem paucis exemplis propoſitis ſinguli vocationis ſuæ admonentur, nemo eſt cui non promptum ſit colligere, ſibi à Domino ſatis mandari negocii, in quo ſe exerceat: adeò ut non opus ſit vel hunc monachum, vel iſtam nonnam fieri.

Eſt igitur Evangelicorum ſenum munus, primùm ut ſobrii ſint, & ad officia pietatis advigilantes, non temulenti, non ſomnolenti: ut eorũ conſilio juventus uti, & exemplo ad virtutis amorem induci poſsit. Omnibus quidẽ prohibetur crapula & ebrietas (Luc. 21. Epheſ. 5.) ſed ſenum hîc mentionem fecit Apoſtolus, quos jubet eſſe νηφαλιους: quia plerunque ſunt bibaculi, & torpidi: ſicut proverbium Αετου γῆρας, cujus & Terentius in Heavtont. meminit, ubi Syrus ait, Viſa verò eſt, quod dici ſolet, aquilæ ſenectus, non fruſtra uſurpatur, & exemplum Noachi & Loti teſtatur.

Deinde, ut ſint graves, honeſtatem prę ſe ferentes, ut ſint venerandi omnibus, non leves, & contra ætatis decorum juveniliter ineptientes, ut ſint ridiculi, atque ita juventutem omni verecundia ſolvant: quod malum ex vinoſitate multum oriri ſolet.

Tum eorũ eſt, ut ſint temperantes, vel modeſti ſive moderati, ne ſint nimium Demeę, id eſt, ſeveri & moroſi, vel iracundi. Alii vertunt pudici, ut Hieronymus; nę videlicet in aliena ætate luxurient, id eſt, ne frigido jam ad libidinem ſanguine exemplo ſint adoleſcentibus ad ruinam. Tales enim odit ſapientia, Sira. 25. Alii prudẽtes. Græcè vocátur σώφρονες, παρὰ τοῦ σώας ἔχειν τὰς φρένας, ut Theophylactus ait, id eſt, eò quòd ſalvas & incolumes mentes habeant. Sunt enim inter ſenes etiam qui inſaniant ac dementes ſint: alii quidem ex vino: alii verò ex puſillanimitate.

Prętere a, ut ſint ſani fide ergą Deum, charitate erga proximum, ita ut etiam inimicos diligant: patientia in communi vita & variis injuriis ac difficultatibus, ita ut perdurẽt in omni tentatione uſq; in finem, nullis cedentes adverſis. Senibus verò hoc præcipitur non ſolùm, quia plerunque ſunt ſuperſtitioſi, attenti ad rem, & moroſi: ſed etiam, ut ipſi reliquos ſanitatem fidei, quæ ſit in Deum per Chriſtum, doceant.

3 Anuum & provectæ ætatis matronarum idem officium eſt. Et inſuper quoniam illæ (ut plurimum videre eſt) aut laſcivè adhuc ſe colunt, aut aliquid habent in veſtitu ſuperſtitioſum: raro medium tenent: utrique vitio ocurrere Paulus voluit, modum præſcribens, qui & decoro & religioni congruat, aut (ſi mavis ſimplicius) quò ſanctas & pias

pias ſe eſſe teſtentur: unde Lutherus vertit: Daß ſie ſich ſtellen / wie den Heiligen zimet. Quod genus per ſpecies quaſdam declarat: quarum prima eſt, ne ſint calumniatrices, ut plerunque ſolent malevolè pravos ſermones de aliis ſpargere. Ita fit ut ſæpenumerò calumnioſa garrulitate quaſi face ardenti multas domos inflamment.

Secunda, ne ſint multo vino deditæ, ſed ſobriæ. Frigida res eſt ſenectus, quare vinum deſiderat: deinde cùm non poſsit ſuſtinere, ut imbecilla, ſuccumbit & vincitur, non ex moderato vino, ſed à multo: ex hoc autem & ad calumnias & criminationes fiunt propenſiores.

Tertia, ut doceant, non in templo aut cœtu (1. Corinth. 14. 1. Tim. 2.) ſed domi & privatim, virgines & juvenculas mulierculas, non aniles fabulas, ſomnia, deliria, carmina amatoria, nugas de obſervationibus ſuperſtitioſis, de miraculis, benedictionibus & exemplis neſcio quibus: ſed pia & ſalutaria præcepta, quæ ad morum honeſtatem pertinent: ut ſint temperantes, modeſtæ & graves.

4 Virtutes autem junioribus mulierculis præſcribendæ, tum à vetulis, tum & à paſtore, ſunt illæ. Prima, ut ſint amantes maritorum: id quod caput eſt domeſticorum bonorum. Nam ſi hoc affuerit, ſequentur etiam reliqua, nempe proſperitas domus, facultatumque copia & abundantia: quemad-

modum è diverſo, ſi abſit amor maritalis, omnia quæ affuerint, diffluent ac peſſum ibunt. Exemplũ Abigail docet etiam ſtultos maritos amandos eſſe. Ita enim ad Davidem ait, 1. Reg 25. Ne ponat oro, dominus meus rex cor ſuum ſuper virum iſtum iniquum Nabal: quia ſecundũ nomen ſuum ſtultus eſt, & ſtultitia eſt cum eo. Hieronymus Vvellerus in Libello de officio Oeconomico, &c. loquens de officio Conjugis, oſtendit duobus exemplis quomodo Satan hanc dulciſſimam στοργὴν & benevolentiam uxoris erga maritum multis & variis modis ac technis impedire conetur.

Secunda, ut ament liberos. Nam quæ radicem ſeu patrem amat, etiam & ramos & fructus, ſive filios amabit. Amant autem, qui liberos probè curant, & in pietate diſciplina Dei ſanctè erudiunt. Nam nolle eos contriſtare (ut ait Hieronym.) docendo quæ bona ſunt, & libertatem tribuere peccandi, non eſt amare filios, ſed odiſſe.

Tertia, ut ſobriæ ſint. Nam temulentæ facilè ſui copiam faciunt, & ſeſe proſtituunt.

Quarta, ut puræ ſeu caſtæ, fideique conjugalis obſervátiſsimæ, tam in verbis, quàm corporis geſtibus pudicæ ſint. Quid enim ſalvi eſt in muliere amiſſa pudicitia? Ita olim dicebat Lucretia.

Quinta, ut domus cuſtodes. Non enim debét domeſticatim vagari mulieres (quod vitium etiam 1. Timoth. 5. notatur) ſed ſe

do-

domi continere, & ut inquit Homerus) telam columque tractare: vel (ut Theophyl. exponit) optimè rem domeſticam diſpenſare, nil prorſus vel luxui, ſupervacaneis ſumptibus, & ornamentis impendere. Atque huc pertinet, quod veteres (ut Phidias Elienſibus, referente Plutarcho in præceptis conjugalibus) matremfamiliâs deſcripturi, pinxerunt Venerem nudam, inſiſtentem teſtudini, admonentes convenire matribus familiâs, domum curare, neq; publicis ſe immiſcere negociis. Quemadmodum enim ſumma teſtudini voluptas eſt in ſua deliteſcere cavea: ita proba materfamiliâs domus cuſtodia nihil habet antiquius. Et ut teſtudo caput, ſummitatemque pedum non exerit è corte, niſi hoc corporis cura flagitet: ita proba materfamiliâs non niſi ob domeſticas res excedit in publicum. Et ſanè vera matronarum probitas longinquas à domo peregrinationes, choreas, compotationes, diſcurſus frequentiores & confabulationes privatas nedum odit, ſed abominatur etiam. Apud Ægyptios patrius mos fuit, ne calceis uterentur mulieres, ut ipſa quaſi neceſsitas illas domi manere cogeret. Neque iſta ſine gravi ratione homines ſapientiſsimi inſtituerunt. Quàm facilè enim pudicitiæ & honoris ſui jacturam faciant, quæ licentioſius vagantur, exemplum Dinæ Iacobi filiæ docet, quam ea occaſione conſtupravit Sichemi princeps, quòd ut filias Chananitides

ſpectaret, incautius egreſſa fuerat, Geneſ. 34.

Sexta, ut ſint bonæ, hoc eſt, ſuaves, commodæ, benignæ, placidæ, mites, non acerbæ, rixoſæ, reſponſatrices, pro imperio decertantes, maritis ſuis obſtrepentes. Valeat Xantippe. Debent & in maritis vitia quædam tolerare aut diſsimulare, ſi qui ipſis inciviliores & parum humani contigerint. Exemplo ſit Abigail uxor Nabal, de qua 1. Reg. 25.

Septima, ut ſubditæ ſint ſuis viris, ne divitiis & nobilitate inflatæ Dei non meminerint ſententiæ, per quam ſubjectæ ſunt viris, qui illarum dominentur ex Dei mandato, Geneſ. 3. Quod mandatum ſi mulieres diligenter perpenderent, & cogitarent hoc præſtando, ſe non hominibus, ſed Deo ſervire, & eundem Deum in viris (nam vir imago & gloria Dei eſt, 1. Corinth. 11.) agnoſcerent, haud difficile eſſet illis morem gerere maritis ſuis.

Addit autem Apoſtolus & aliam rationẽ præſcriptorum officiorum: quæ omnes & ſingulos Chriſtianos impellere debet ad officium ſuum faciendum. Nam gloriæ divini nominis noſmetipſos & noſtra omnia debemus. Et, ſi curæ nobis eſt ſalus noſtra, ſtudebimus illam per omnia & in omnibus promovere & ornare. Dicit enim: Ne ſermo Dei malè audiat. i. ne detur ſcandalum, & præbeatur impiis occaſio calumniandi veram doctrinam. Mox enim impii ſolent perſonarum vitia religioni, Deoque vero imputare.

Hanc

Hanc rationem etiam Chriſtus proponit Matth.5. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videntes veſtra bona opera, glorificent patrem veſtrum cœleſtem.

5 Porrò adoleſcentum & juvenum virorum eſt, ut ſobrii ſint. i. pudici in omnibus, tam ſcil. mente quàm corpore, tam opere, quàm cogitatione, ut nulla ſit in adoleſcēte ſuſpicio turpitudinis. vel, temperantes, non ſolùm nempe à potu & cibo, ſed etiam ab affectibus & cupiditatibus pravis. Poſſunt ergo ſuperiora quæ de ſenibus dicta ſunt, & ipſis juvenibus accommodari. Niſi quis dicere malit, Apoſtolum præcipere ut juvenes tantùm ad temperantiam inſtituantur: quia hæc virtus (ut docet Plato) totam hominis mentem ſanat. & in hac virtute facilè omnes aliæ comprehendi queunt, quemadmodum & Cicero eam valde latè expandit. Ergo perinde eſt, ac ſi diceret, bene compoſitos & rationi obtemperantes: meſſig vnd vernünfftig. Theophyl. hanc rationem reddit, quòd juvenes hujus potiſsimum admoneri Apoſtolus velit, ut ſint ſobrii: quia juvenilem, inquit, ætatem ignis abſurdarum voluptatum maximè interturbat, quem oportet extinguere, & ad ſobrietatem & temperantiam feſtinare. Oecumen. ait: Nihil adeò hoſtile eſt juventuti, ſicut amor corporum. Iidem autores ſcribunt: Adoleſcentulis ſenio confectas doctrices attribuit, fœminas fœminis: junioribus autem viris ipſum Titum præ-

ficit, virum viris: decorum enim ubique ſervat. Vt autem & viri & fœminæ, tam juvenes, quàm ſenes officio ſuo fungi queant, atque ita doctrinam ſervatoris noſtri Dei ornare in omnibus, largiatur nobis gratiam ſuam, qui plenus eſt gratia & veritate, quæ id nos doceat, propter nominis ſui gloriam, Amen.

CONCIO LIX.

Hebr. 13.

Honorabile eſt inter omnes conjugium, & cubile impollutum. Scortatores autem & adulteros judicabit Deus, &c.

1 Quid ſentiendum ſit tum de conjugio ſive nuptiis, tum de ſcortatione & adulterio, docet etiã hîc ſacra ſcriptura, idq; brevibus quidẽ, ſed graviſsimis verbis. Diſſerit enim Apoſtolus de caſtimonia adverſus incontinentiam. Illius dignitatem laudibus effert: hujus verò fœditatem indicat. Ac quò tantò efficacius à vagis libidinibus auditores dehortetur, collationem inſtituit inter ordinationem divinam conjugii, & turpitudinem à diabolo profectam.

Quale igitur eſt conjugium? Bonum & ſanctum, utile & neceſſarium: neque hoc ſolùm, verumetiam, ut hîc ſcriptum eſt, hono-

rabile, ſive honeſtum. Non enim criminis maculam, ſed virtutem habet adjunctam.

Quomodo aut quare bonum? quia à Deo ipſo inſtitutum, Gen. 2. Matt. 19. Sed & præceptum quintum, Honora patrem tuum & matrem tuam: & ſeptimum, Non mœchaberis, docent conjugium eſſe ordinationē Dei. Cùm igitur conjugium ſit ordinatio divina, neceſſe eſt in piis hoc genus vitę eſſe caſtum & ſanctum, & conſuetudinem conjugalem, & totam illam maris & fœmellę conſociationem placere Deo. Sic enim inquit Scriptura: Maſculum & fœminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite & multiplicamini. Quia igitur benedicit, & jubet creſcere & multiplicari, adprobat hoc vitæ genus. Vnde & Apoſtolus hoc loco dicit thorum conjugalem eſſe impollutum, id eſt, moderatum in connubio coitum non reputari pro peccato. Ignatius ad Philadel. inquit: Si quis corruptionem & coinquinationem vocat legitimam commixtionem, & filiorum procreationem, hujuſmodi habet cohabitatorem Draconē apoſtatam. Et Paphnutius in concilio Niceno caſtitatem eſſe dixit, concubitum cum propria conjuge. Magna igitur cōſolatio propoſita eſt piis conjugibus, cū ſciunt ſe verſari in tali genere vitæ, quod & à Deo ipſo inſtitutum eſt, & cui benedicit, quod approbat, tuetur & conſervat, ſicuti & Pſalm. 128. inquit: Ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum.

Cur aut quomodo utile & neceſſarium? Quia ideo inſtitutum eſt à Deo, primùm, ne homo ſit ſolus, ſed habeat ſociam & adjutricem conjunctam in tota vita, nec ſolùm in procreatione, ſed etiam in educatione liberorum, in regenda familia, in parandis & tuendis rebus ad hanc vitam neceſſariis, ut partem laborum & moleſtiarum ſuſtineat, & ut omnis fortunæ ſociam, & quaſi ſolatium & levamen multarum miſeriarum hujus ærumnoſæ vitæ habeat. Geneſ.2. Eccleſ. 4.9. Neque enim in ærumnis remedium ullum ſuavius & dulcius eſt, quàm præſentia & conſociatio piæ & prudentis conjugis: Sicuti & Proverb.31. dicitur: Cui contigit proba uxor, ea præſtat gemmis, confidit ea cor mariti, & res familiaris non deficiet. Et Eccleſi.26. Mulier comis exhilarat maritum: & cùm humaniter eum tractat, recreat cor ejus. Item cap.37. Mulier formoſa exhilarat maritum ſuum. Et cap.40. Vt amicus commodè congruat cum amico, vir tamen & uxor concordes utriq; præferendi ſunt. Hinc Auguſtinus de bono Conjugali cap. 3. ait: Quòd (bonum conjugii bonum) mihi non videtur propter ſolam filiorum procreationem, ſed propter ipſam naturalem in diverſo ſexu ſocietatem. Alioqui non jam diceretur conjugium in ſenibus, prę ſertim ſi vel amiſiſſent filios, vel minimè genuiſſent. Nunc verò in bono licet annoſo conjugio, etſi emarcuit ardor ætatis inter maſculum & fœmi-

minam, viget tamen ordo charitatis inter maritum & uxorem, &c. Eſt autem & eſſe debet legitima conjunctio maris & fœminæ talis, in qua (ut Theogena Agathoclis regis conjunx dicebat) non proſperæ tantùm, ſed omnis fortunæ contrahatur ſocietas. Vnde meritò laudatur Teſcha Dionyſii Syracuſani ſoror nupta Polyxeno, quæ poſteaquã maritus metu tyranni profugerat, & rex ſororem accuſaret, quòd conſcia fugæ mariti non indicaſſet: Adeóne, inquit, Dionyſi, me vilem, abjectique animi fœminam judicas, ut ſi ſenſiſſem illum moliri fugam, non me illi navigationis & omnium fortunarum comitem additura fuerim? Talem etiam fidem promittebant ac præſtabant olim uxores Germanorum ſuis maritis, quemadmodum Chronographi referunt in recenſendis Germanorum moribus ante nativitatem Chriſti, ut Sebaſt. Franck, Iacobus Vvimphelingius, &c. Præterea cùm muliebris ſexus per ſe ſit imbecillis, maximè opus habet duce ac capite, hoc eſt, viro, ex quo defenſionem & præſidium habeat.

Deinde inſtitutum eſt matrimonium, ut ex legitima conjunctione propagetur genus humanum, ex quo Eccleſia colligatur & excerpatur in omnem æternitatem victura cum Deo, quæ ei ſit copulata & conjuncta indiſſolubiliter. Quòd matrimonium non ceſſabit, niſi prius impleatur numerus electorum & vocatorum ad nuptias filii Dei:

quo impleto demùm, amplius non nubent, neque ducent, ſed erunt ſicut angeli Dei in cœlo, Matth. 22. Luc. 14. Generant & concubinarii & ſcortatores, ſed de hujuſmodi generatione glorientur ſpurii & conjugii contemptores. Nec voluit Deus per inordinatam hanc & liberam libidinem & turpitudinem propagari genus humanum. Et fures ſatiantur de pane furto acquiſito, & veſte furto ablata refocillantur. Nemo tamen dixerit, furto quærendum eſſe victum & amictum;

Tertiò inſtitutum eſt, ut hoc modo vagæ libidines, adulteria, ſtupra, ſcortationes, & omnes immunditiæ, quas Deus ut mens caſta & ſancta extremè abominatur, vitentur, ſicut ſcriptum eſt, 1. Corint. 7. Nam ſine conjugii remedio, promiſcuæ & vagæ libidines coerceri nequeunt. Vnde & Theophyl. Ecce, inquit, precioſas nuptias, honorabile matrimonium nominat, quòd in temperantia hominem conſervet. Et Metellus Numidicus, A. Gellio teſte in 1. cap. 6. Si (inquit) ſine uxoribus poſſemus eſſe, omnes ea moleſtia careremus (ac, ut Cato dicebat, vita noſtra non eſſet abſq; diis) ſed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis ſatis commodè, nec ſine illis ullo modo vivi poſsit, ſaluti perpetuæ potius, quàm brevi voluptati conſulendum eſt. Multos hodie à conjugio abſterret domeſtica cura, & tribulatio quæ conjuges comitatur. Sed ſi ſaperent, multo melius eſſe judi-

judicarent conjugium cum moleſtia temporali conjunctum, quàm ſcortationem æterna morte & privatione regni cœleſtis dignam. Adde quod contra tentationem de victu & amictu, & timorem afflictionum, Apoſtolus hoc loco præclarè loquitur: Sint mores alieni ab avaritia, contenti iis, quę adſunt. Siquidem ipſe dixit: Non te deſero, neque derelinquo, ut fidentes dicamus: Dominus (qui matrimonium inſtituit & benedixit: & ſcortationem prohibuit & maledixit) mihi auxiliator, nec timebo quid faciat mihi homo.

Quartò inſtitutum eſt, ut unius maris & unius fœmellæ corporalis conjunctio in hac vita ſit imago aut typus, & commonefactio illius mirandi fœderis, quo Deus ſibi eccleſiam copulavit, & ſummi ac inenarrabilis amoris divini erga ſponſam eccleſiam, de quo Hebr. 2. Ioann. 1. 15. Epheſ. 5. Hoſ. 2. Ezech. 16. Ierem. 2. & 3. Pſalm. 45. & in Cant. canticor. Hoc enim myſterium ſtatim in creatione hominis & conjunctione Adæ & Evæ ſignificatum fuit. Quemadmodum enim Adam obdormiſcit, & ex dormientis latere, ſeu coſta ex latere ſumpta, ædificatur mulier, quæ cùm ſit os ex oſsibus eius, & caro de carne ejus, ita arctè illi copulatur, ut una ſint caro: ita Chriſtus ſponſus Eccleſiæ obdormiſcit in cruce, & ex dormientis latere promanat ſanguis & aqua, quo ſanguine primùm Eccleſia ædificatur & redimitur, quæ antea

ſub peccato, ſub ira Dei & regno Satanæ erat: deinde mundatur & ſanctificatur per verbum & aquam: Sicque Eccleſia ex latere Chriſti ædificata, & mundata per verbum & aquam, ſincera ſponſione, & fide copulatur ſponſo Chriſto.

Sicut autem Deus unam coſtarum tulit ex Adæ latere: ſic una tantùm eſt Eccleſia, unumque corpus, Epheſ. 4. 1. Corint. 12. Galat. 3. Et ſicut unam de coſtis Adæ tulit, & pro ea carnem replevit: ſic eccleſia fortitudinis, juſticiæ & ſapientiæ Chriſti particeps facta eſt. 1. Corinth. 1. & Chriſtus languores ac dolores Eccleſiæ portavit, proque ea Dei iram, pœnam & mortem in ſe tranſtulit, Ieſa. 53. Matth. 8.

Vt vera Eva dicitur ædificata: ſic Eccleſia domus, templum & ædificatio Dei dicitur, 1. Corinth. 3. Hebr. 3.

Sed quemadmodum adducta dicitur Eva ad Adam: ſic nemo venit ad filium, niſi pater traxerit eum, Ioan. 6.

Vt porrò Adam agnovit Evam pro carne ſua: ita Chriſtus Dominus ſeipſum perſecutionem pati dicit, quando patitur eccleſia, Actor. 9. Zach. 2. Matth. 25.

Vt enim ab Adam viro denominatur Eva virago: ſic à Chriſto filio Dei, eccleſia Chriſtiana.

Quemadmodum denique homo relinquit patrem & matrem, & adhæret uxori ſuæ: ita etiam Chriſtus. Patrem enim reliquit,

reliquit, teſte Auguſtino, Tractat. 9. in Evangel. Ioann. non quia deſeruit & receſsit à patre, ſed quia non in ea forma apparuit hominibus, in qua ęqualis eſt patri: matrem verò, dum ſynagogam deſeruit Iudæorum, de qua ſecundum carnem natus eſt. Vxori adhæſit, inhærendo Eccleſiæ, quam ex omnibus gentibus congregavit. vel, dùm aſſumpſit humanitatem. In hac aſſumptione humanæ naturæ, & ſancto fœdere, quo ſibi eccleſiam copulavit, egregiè cernere licet illa quinque, quæ in conjugio eſſe debent, videlicet, Amor mutuus, Fides, Societas bonorum & ęrumnarum, Generatio & Defenſio: de quibus Georg. Major in Enarr. Epiſt. Pauli ad Epheſ.

2 Quæ cùm ita ſe habeant: quis negare poterit, conjugium eſſe rem & ordinationem non ſolùm ſanctam, ſed etiam cumprimis utilem & neceſſariam? adde & honorabilem, quemadmodum hoc loco Apoſtolus teſtatur. In conjugio enim non tantùm opera honeſta laudeque digna, tam à viris, quàm à fœminis fieri poſſunt, ut ſunt opera dilectionis, patientię, & reliqua, de quibus modò dictum eſt: verumetiam in eo vivere, & à ſanctis & à gentibus, jam olim honeſtum & laudabile judicatum eſt. Honorem quidem matrimoniis apud gentes habitum eſſe, idque ob favorem publici commodi, liquet ex hiſtoriis, poetis & legibus: apud ſanctos verò, ex vetere & novo Teſtamento. In hoc ſtatu

vixerunt patriarchæ, prophetæ, ſacerdotes, Apoſtoli, Evangeliſtæ, &c. Omnibus enim hominibus eſt conceſſus, non vulgo hominum tantummodo permiſſus. Clarè enim pronunciat Apoſtolus: Honorabile eſt in omnibus, aut inter omnes, conjugiũ & cubile impollutum. Adeò precioſa res eſt matrimonium (ut Theophyl. ſcribit in Epiſt. Pauli ad Tit. cap. 1.) ut poſsit cum eo ad ſanctum thronum Epiſcopalemq; ſedem aſcendere. Quòd conjugati fuerint Apoſtoli, teſtantur ipſorum diſcipuli, Ignatius in Epiſt. ad Philadelphicum, & Clemens quem Euſebius citat in Eccleſ. hiſt. lib. 3. cap. 30. Valeat igitur iniquum atque impium pontificis Romani decretum, quo connubia ſacerdotibus inhibuit, & ſcortationem admiſit. Paulus enim Chriſti ſervus ad ſuam prophetiam (1. Tim. 4.) reſpiciens, opponit hîc ordinationem Dei, ad omnes ordines extenſam, doctrinis dæmoniorum: atque ut prævertat ſeductorũ objectionẽ jactantium ſuam virginitatẽ & caſtitatem, dicit hanc quoq; Dei ordinationẽ eſſe caſtitatẽ. D. Chryſoſt. ait quidẽ ſynceram virginitatẽ eſſe primũ gradũ caſtitatis, ſed addit, ſecundũ gradũ eſſe fidele conjugium. Sed & Theano Pythagorę uxor rogata quando mulier eſſet munda à viro, reſpondit: A ſuo ſemper, ab alieno nunquam.

Sunt qui particulam, ἐν πᾶσι, variè exponant, ut ſit perinde quaſi dicatur vel in omnibus ætatibus, id eſt, non in ſolis provectioris

ris ætatis hominibus, ſed etiam in juvenibus: vel in omni tempore, id eſt, in afflictione & relaxatione: vel omnibus modis, id eſt, non in hac quidem parte precioſum & honoratum, in illa verò ſecus: ſed integrè, perfectè, & totum per omnia precioſum, honorabile & impollutum eſt. At ſimplex ſenſus eſt, nullum eſſe ordinem, qui à conjugio prohibeatur. Nam quod Deus generi humano in univerſum conceſsit, omnes ſine exceptione decet, omnes (inquam) qui conjugio apti ſunt, eoque opus habent. Hoc autem diſertis verbis exprimi oportuit, ut ſuperſtitioni occurreret, cujus tunc jam fortè ſemina occultè jaciebat Satan, conjugium rem profanã eſſe, aut certè à Chriſtiana profeſsione procul remotam. Nam ſpiritus illi impoſtores, de quibus vaticinatus erat Paulus in Epiſtola ad Timotheum, mox extiterunt, prohibentes conjugium. Ergo ne quis ſtultè imaginaretur conjugium vulgo duntaxat hominum permitti: qui autem in eccleſia excellunt, debere eos abſtinere, omnem exceptionem tollit Apoſtolus: neque tantùm docet per indulgentiam concedi (ut quidam cavillantur) ſed honore dignum eſſe aſſerit.

Interim autem diſcamus, matrimonium, quoniam licitum, honorabile & ſanctum eſt, ſanctè etiam eſſe colendum, & ideo officium conjugum eſſe, nuptias honeſtè agere, & hac ordinatione Dei in ejus timore, ſanctè, &

in gloriam ipſius, alteriusque conjugis ac liberorum utilitatem uti. Ab honeſtis nuptiis omnia turpia & obſcœna (qualia ſunt cantiones, tibię, choreæ, ebrietates, verba laſciva) tollenda eſſe, cenſet Chryſoſtomus in 1. Corinth. 4. Hom. 12. & in 5. cap. ad Epheſ. Modum ſervandum eſſe in ſumptibus nuptiarum docere nos debet juxta ſcripturas, exemplum Henrici Tertii, qui ut habetur in Chron. Magdeburg. in nuptiis ſuis Ingelheim actis prohibuit, tibicinibus, mimis & ſcurris, quorum ingens caterva confluxerat, cibos, veſtes & pecuniá aut alia munera dari: ſed ciborum reliquias pauperibus diſtribui juſsit. Dicitur enim, honorabile conjugium inter omnes (ubi quidem intelligi poteſt non ſolùm, Eſt, ſed etiam, Eſto) & cubile impollutum: vel, intemeratus lectus: q. d. Honorabiles quidem erunt nuptię, ſi thorus conſervetur immaculatus, id eſt, ſi non ſerviatur voluptati, ſi cuſtodiatur pudicitiæ fides, ſi charitas & concordia. Nam propter hæc omnia, ſcil. generandi ordinationem, fidem & connubii ſacramentum, honorabiles ſunt nuptiæ, ut dicit Auguſtinus. Sciant itaque conjugati non quidvis ſibi licere, ſed uſum thori legitimi debere eſſe moderatum, ne quid alienum à conjugii pudore & caſtimonia admittant. Vnde Aben Ezra illud Proverb. 5. (ubera ejus inebriabunt te, &c.) putat ſic intelligendum, ut etiam amor uxoris ſit reſtringendus, ne erres in præceptis

Dei,

Dei, ſi nimium uxori animus tuus ſit affixus. Rabi Levi quoque in eundem ferè ſenſum exponit: Si errare, inquit, poteris in uxore, quantus erit error, ſi alienæ ſis affixus?

3 Porrò ſicut conjugium tanquam divinã ordinationem & rem honeſtam Apoſtolus laudat: ita contrà omnes vagas libidines tanquã opera diaboli atq; res turpes vituperat, & ab eis dehortatur, proponens etiã divinas minas. Cùm enim ſocietatem viri & uxoris à ſe inſtitutam Deus benedixerit, ſequitur quamlibet ab ea diverſam ab eo damnari & maledici. Ait igitur: Scortatores autem & adulteros puniet Deus. Et meritò, ut dicit Oecumenius. Nam ſi conjugium permiſſum eſt, & ſine peccato licet ad explendam cõcupiſcentiam, quis erit excuſationis prætextus ſcortatoribus & adulteris? quorum illos quidem non injuria quis contemptores nuptiarum: hos verò thori temeratores appellarit. Vtrique à ſancto Dei inſtituto diſcedunt, imò illud violant atque evertunt, promiſcuè ſe miſcendo: quum una ſit conjunctio legitima, quæ Dei nomine & auſpiciis ſancitur. Quàm verò fœda res ſit omnis vaga Venus, abundè monſtrat Apoſtolus 1. Corinth. 6. Etſi enim alia quædam peccata (veluti homicidium, &c.) majora ſunt hac: tamen hæc totum etiam corpus inquinat, adeò ut qui ſcortatus eſt, ad ſe lavandum properet (ut ille ait) quod avarus aut raptor non facit.

Quare non adulteris tantùm, ſed ſcortatoribus quibuſlibet pœna denunciatur. Verbum enim Dei per copulam, &, hoc loco eos in pœna conjungit. Licet autem omnes pœnę, quæ etiam per magiſtratum infliguntur, divinæ pœnæ ſint: tamen hoc non ſine ſingulari quadam emphaſi dicitur, quòd talia peccata Deus ipſe judicabit, id eſt, damnabit ac puniet. q. d. quem omnino nihil latet, quique ſolus verè & perfectè punire poteſt. Cujus denique judicia minimè ceſſant, etſi nemo hominum manum admoveat. Fortè etiam ſimul reſpicit ſummam negligentiam magiſtratus in puniendis talibus flagitiis, ac ſi diceret: Nolite propterea ſecuri eſſe, quòd non punimini à magiſtratu, ob turpitudines, aut quia etiam ipſimet magiſtratus ſeſe eis contaminant, easque non improbant. Erit enim profectò, qui tales omnes ſeveriſſimê puniat: juxta illud πολυθρύλλητον, Gott richt/wenn niemandt ſpricht, 1. Corinth. 11. Sic Epheſ. 5. inquit: Propter talia venit ira Dei ſuper filios inobedientiæ. Et Propheta Malac. 2. ait, Excindet Dominus virum, qui hoc fecerit, &c. Sic olim diluvii aquis conjugii prophanationem, & quæ ex illa enata fuerũt ſcelera, eluit, cum nemo eſſet, qui de illis tollendis cogitaret. Idem ſuam manum illis intulit, qui Madianitarum filiabus commixti fuerant. Taceo quæ ex prophanis hiſtoriis adduci poſſent exempla, & quæ ipſi adulteris & fœdis conjugii prophanatoribus indies

dies accidere videmus. Punit illos Deus, conjugii vindex, morbis, egeſtate, orbitate, & ferè illorum poſteritas extinguitur, qui ſpuriis ſuis urbes totas replere videbantur. Miſericors & omnipotens Deus convertat nos ab omni immundicitia ad veram ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Dominum (Hebræorum duodecimo) ut liberemur ab ira ventura, per Ieſum Chriſtum Dominum, & caſtiſsimæ virginis filium, Amen.

CONCIO LX.

1. Petri 3.

SImiliter uxores ſubditæ ſitis veſtris viris, ut etiam qui non obtemperant ſermoni, per uxorum converſationem abſque ſermone lucrifiant: dum conſiderant cum reverentia conjunctam caſtam converſationem veſtram, quarum ornatus ſit non externus, qui ſitus eſt in plicatura capillorum, et additione auri, aut in palliorũ amictu: verũ occultus, qui eſt in corde homo, ſi is careat omni corruptela, ita ut ſpiritus pla

cidus ſit ac quietus, qui ſpiritus in oculis Dei magnifica ac ſumptuoſa res eſt. Nam ad eum modum olim & ſanctæ illæ mulieres ſperantes in Deo, comebant ſeſe, & ſubditæ erant ſuis viris, quemadmodum Sara obedivit Abrahæ, dominũ illum appellans, cujus factæ eſtis filiæ, dum benefacitis, & non terremini ullo pavore. Viri ſimiliter cohabitent ſecundum ſcientiam, velut infirmiori vaſi muliebri impartientes honorem, tanquam etiam cohæredes gratiæ vitæ, ne interrumpantur preces veſtræ.

1 D. Petrus poſtquam tradita fide bona opera ceu fidei fructus & ſigna docere cœpiſſet, & ſingulorum ordinum officia præſcribere: nunc oſtendit quid conjuges facere debeant. Quandoquidem multum bonæ frugis in matrimonio eſt, ſi rectè inſtitutum ſit in timore Dei. Nam & calamitates variæ, & ſcelera innumera oriuntur ex conjugio malo. Qui hactenus de operibus bonis ex pontificiorum parte ſcripſerunt, verè bona opera neglexerunt, fictitia quædam laudibus extulêre. Nam monachiſmum, ceremoniarum ſtudium, jejunia, ſtolida, & preculas ſuperſtitioſas laudavêre: interim vera Chriſtianorum officia neglexêre prorſus. Neque putaverunt eos labores, quos perferunt ſervi,

vi, vel conjugati, ullum inter opera bona habere locum. At D. Petrus his primùm aſsignat. Sed & Chriſtus ipſe hæc officia vel maximè ornat, cùm mandatum de dilectione proximi ait eſſe ſimile primo, h. e. Deum obedientiam in utroque genere ſimul poſtulare, & utriuſque generis officia cultus Dei eſſe. Eſt enim Dei cultus, opus mandatum à Deo, quod principaliter eò fit, ut Deo præſtetur obedientia & honos: ac fit cum agnitione Chriſti hac fide, quòd propter eum Patri placeas, 1. Pet. 2.

Quia ergo Deus verbo ſuo inſtruit conjuges, certum eſt, non ſolùm quòd conjugium ſit honorabile, & ſtatus Deo placens, atque minimè vituperandus aut prohibendus, Heb. 13. 1. Tim. 4. item, quòd & conjuges pertineant ad vitam æternam: ſed etiam quòd ea opera quæ faciunt ex præſcripto Dei, ſint cultus Dei, ſi fiant propter mandatum Dei.

Vt autem qui medicus fieri vult, ea quæ de re medica & medicorum officio ſcripta ſunt, diligenter legit atque diſcit: ſic & qui conjux fieri cupit, ea quæ ad Chriſtianum conjugem pertinent, ſcire debet. Nam ſi monachi ſuorum ordinum regulas non ſolùm noverunt, ſed etiam ſervant: multò magis qui in conjugio, à Deo inſtituto ſunt, ſuam regulam & noſſe & ſervare debent.

2 Audiant igitur primùm fœminæ (iſtæ enim doctrina & admonitione cumprimis

indigent: nam mater earum Eva prior peccavit, Geneſ. 3. Eccleſi. 25. 1. Timoth. 2.) quid Deus ipſas facere jubeat per eximium ſervũ & apoſtolum ſuum Petrum. Similiter, inquit, uxores ſubditę ſint ſuis viris. Adverbium, Similiter, reſpicit ad præceptum ſuprà cap. 2. datum ſubditis erga gubernatores, & porrò ſervis erga heros, ac ſi diceret: Sicut illis præcepi ſubjectionem erga ſuos ſuperiores: ita & vobis uxoribus ſimiliter prçcipio, quia & vos ſpecies ſubditarum perſonarum eſtis. Loquitur autem Petrus in præſentiarum de uxoribus, quę eo tempore adhuc infideles habebant maritos, adeoque plus coloris ad excutiendum jugum habere videbantur: ſicut rurſum de fidelibus maritis, qui Ethnicas etiamnum habebant uxores. Sæpenumerò enim eo tempore uſuveniebat, ut inter Ethnicos Apoſtoli evangelion prædicarent, apud quos unus conjugum ad Chriſtum convertebatur, altero in errore perſeverante. Si igitur tum præcipiebatur hoc, ut uxores maritis eſſent ſubditæ, quantò magis convenit id hodie præſtare? Si enim maritis impiis mulieres obedientiam debent, multò promptiores ad obſequium eſſe convenit, ſi maritos habeant fideles. Atque hoc & Lex dicit, & Evangelium docet, Geneſ. 3. 1. Corinth. 14. Epheſ. 5. Coloſs. 3. Imò hoc præcepti, ut morigera marito uxor ſit, Deus tam firmiter voluit obſervari, ut maritis poteſtatem fecerit uxorum vota, ſi diſ-

diſplicuiſſent, diſſolvendi caſſandiq́;, Num. 30. nulla alia de cauſa, quàm ut domi tranquillè & in pace viveretur. Vnde & Ioann. Iovianus Pontanus lib. 3. de obedient. cap. 2. Cùm, inquit, conjugium ex viro conſtet & uxore, ſitque uxor in re præſertim domeſtica (in alienam enim conceſsit domum.) viro ſuo inferior, & propter naturæ excellentiam, & propter leges, quæ hoc jubent, erit maritis jus poteſtasque præcipiendi uxoribus. Quę ſi utilibus & honeſtis illorum pręceptis parêrent ſemper, & genialis tori legibus adverſari nollent, nunquam ſapientes quidam viri de ducenda uxore dubitaſſent, nec fortunatum putaſſent illam non habere. Ex inobedientia enim & contumacia lites oriuntur, ac pleraque conjugiorum mala, quibus utinam ne eſſent etiam fortunatiſsimæ domus oppletæ. Et paulò pòſt: Omnis igitur penè rei uxoriæ moleſtia ortum habet ab inobedientia, quæ totam ſæpiſsimè rem familiarem intervertit, conijcitque ipſos patresfamiliâs in ærumnas quàm graviſsimas.

Officium itaque uxoris, inquit D. Petrus, eſt, ut ſubdita ſit marito ſuo, etiamſi infidelis & ethnicus exiſtat: nimirum in iis quæ religioni Chriſtianæ prorſum adverſa non ſunt. Paulus enim 1. Corinth. 7. loquens de impari connubio, Si quæ mulier (inquit) maritum habet infidelem, & hæc aſſentitur ut habitet cum ea, ne dimittat eam: item, Si

quis frater uxorem habet infidelem, & hæc aſſentitur ut habitet cum illo, ne dimittat eam. Cauſam cur id fieri oporteat, Petrus reddit, inquiens: Vt etiam ij qui verbo non credunt, per converſationem uxorum, ſine verbo lucrifiant. Revera magnum lucrum obedientiæ: nimirum bona æmulatio eorũ, qui alieni ſunt à fide (quæ etiam ex noſtri ſubjectione erga principes generatur) & Dei laudatio propter nos ab ipſis profecta: quod etiam in magnam cedit laudem Chriſtianorum, nempe quòd propter nos non malè audiat: ſed benedicatur nomen Dei.

Quòd dicit, Abſque ſermone lucrifiant, non id vult, fidem cuiquam ſine doctrina cœleſti contingere poſſe (fides enim ex auditu, Rom.10.) ſed quòd prima occaſio converſionis & inclinatio animi illorũ non propriè à doctrina, ſed ab honeſta ſanctaque uxorum converſatione exorta ſit, accedentibus earum piis colloquiis & admonitionibus. Intelligit ergo per ſermonem potiſsimum publicam prædicationem, quam infideles non facilè adibant: tali tamen piarum uxorum vitæ ſanctitate, piisq; admonitionibus primùm nonnihil flectebantur, ut poſtea etiam publicas conciones adirent, atque ita plenè converterentur: huc etiam nonnihil appellente affectu maritali, ut qui thori conſortes ſunt, velint & profeſsionis eſſe ſocii. Significat ergo Petrus, mulieres ſanctè & honeſtè vivendo hoc poſſe conſequi, ut etiam

tiam tacentes præparent maritos ad amplexandam Chriſti fidem, quam vident tantarum virtutum eſſe altricem. Et ſanè perquã acres ſtimulos habet ſincera probitas, quæ plus ferè poteſt apud adverſarios non omnino perverſos, quàm docta diſputatio. Sed & vita improba plus nonnunquam diruit, quàm ſana doctrina ædificare poſsit. Legimus de D. Monica matre D. Auguſtini, quòd ſua innocentia ac pietate, maritum ſuum ante mortem ad Chriſtum perduxerit, poſtea etiam filium Auguſtinum. Extant & alia exempla, quæ docent uxorum prudentia & pietate viros vel Deo adductos, vel ſaltem commodiores factos eſſe. Pertinet huc quod de Heſthere in ſacris literis traditur. Et in Francorum hiſtoriis legimus, Clodoveum Magnum (qui poſtea Ludovicus primus dictus eſt) uxoris ſuæ Gothildis Burgundicę colloquiis eruditum fuiſſe, ut in ancipiti contra Alemannos prælio Chriſti opem imploraret, ſeq; Chriſtianum fore voveret, ſi victoria potiretur. Neque irritum fuit votum hoc, quando & victoriam ab hoſtibus retulit, & idem Francis recipiendæ Chriſtianæ religionis author fuit.

Declarat autem nonnihil cauſam iſtam, quomodo ſine ſermone, conſuetudine mulierum aliqui lucrifieri queant: nempe, inquit, ſpectando mulierum timorem Dei ac mariti, caſtitatemque earum. Per haſce autem præcipuas intelligit etiam alias virtu-

tes illis adjunctas, non excluſis earum pijs colloquiis.

Porrò confirmata ſubjectione mulierum erga maritos, deſcribit etiam ornatum eis convenientem, tanquam partem honeſtæ ſanctæq; cõverſationis, & boni exempli maritos ad pietatem permoturi. Siquidem non parũ momenti habet, qua quis ſit veſte amictus. Neq; enim temerè apud veteres & noſtri ęvi homines Adagium increbuit, Ex veſte æſtimari hominem. Vnde & Eccleſiaſticus cap. 19. inquit: Suus cujuſq; habitus, ac rictum diducens, riſio, inceſſusq; hominis, quomodo ſit animatus arguunt. Credimus enim pleriq; varii & inconſtantioris animi indicium eſſe veſtem varicolorem, corrupti aut lacerandi cupidi laceratam ſive conſciſſam, arrogantis & impudentis plus nimio exquiſitam & procacem. Proinde Petrus adverſus muliebrem luxum (quem ſibi velut cognatũ habens) differit: modeſtiam & vitæ ſanctimoniam commẽdat. Ac primùm quidem oſtendit, ſicut & Paulus 1. Tim. 2. à quo fortaſsis (ut Marloratus ex Bullingero refert) hęc verba mutuatus eſt Petrus (& quod ſanctos Dei viros nunquã puduit, inter ſua retulit) oſtendit, inquam, qualis non debeat eſſe ornatus ſanctarum matronarũ, nempe ille externus nimiusq; in contextu, ſive criſpatura capillorum, in precioſitate veſtitus, & aliorum ornamẽtorum poſitus. Certum enim eſt argumentum, parum admodum ſpi-

ſpiritus eam aſſequutam eſſe, quæ in externum ornatum multum inſumit. Nam ſi fides ac ſpiritus verè adeſſent, citius calcarent eum pedibus, quàm eo oblectarentur, ut Heſther, cap. 14. Deinde verò poſitivè indicat, piarum mulierum ornatum eſſe illum internum novumq; hominē, ad imaginem Dei regenitum, reformatumq;. Hunc etiam expreſsius deſcribens vocat incorruptum (opponitur autem incorruptio rebus fluxis & caducis, quæ ad corporis ornatum ſerviunt) manſuetumque & quietum ſpiritum. Talis enim debet eſſe pia mens aut anima renata piorum (quam hîc vocat occultum hominem cordis) præſertim autem mulierum, quas etiam magis modeſtia & manſuetudo ſimplicitasque decet, quàm viros.

Hunc igitur talem internū hominem, ornatum, aut ſpiritum, dicit eſſe precioſum coram Deo, quod eſt primum argumentum hujus hypotheſeos, de forma modoq; ornatus mulierum. Omnes enim pii ea debent ſpectare & ſectari, quæ ſint precioſa, quæq; eos reddant formoſos acceptosq; corā Deo, non quæ coram ſtultis hominibus. Eſtque hæc antitheſis exterioris & interioris hominis diligēter notanda. Dicebat Cato, qui anxiè occupantur in corporis cultu, animi cultum negligere: ita Petrus cohibendę mulierum cupiditati hoc remedium affert, ut excolendis animis ſtudiū potius ſuum addicat. Quod fiet ſi fœmina ſit animo mēteq; in-

corrupta, nihil agat ex affectibus muliebribus, nihil intemperantiæ, iracundiæ, rixis, ambitioni, arrogantiæ vel procacitati tribuat: ſed mitis, placida, tractabilis, & manſueta ſit. Nihil enim eſt quod hunc ſexum magis deceat, quàm placidum & ſedatum ingenium. Scimus enim quàm importunum ſit animal imperioſa & refractaria mulier Secunda ratio ſumpta eſt in genere ab exemplo veterum ſanctarum mulierum (at exemplis ad permovendum auditoris animum nihil evidentius) quarum duo primaria ſpiritualiaque ornamenta nominat, ſpem in Deum, & ſubjectionem erga maritos. Nominatim verò producit exemplum Saræ, quæ cùm ſit mater fidelium, præſertim apud ſuum ſexum, honore & imitatione digna eſt, Ieſ.51. Hujus tres primarias virtutes nominat: primùm, quòd maritum ut ſuum dominum, non ſolùm nominavit (Gen.18.) ſed etiam reipſa coluit. Non enim moratur Deus iſtos titulos ſine re: & fieri interdum poteſt, ut quæ maximè petulans fuerit & immorigera, hanc appellationē lingua uſurpet, ut regina Vaſthi, Eſther 1. Secundò, quòd fuit benefica: tertiò, quòd fidens Deo, non muliebriter trepidaverit in tot illis mariti peregrinationibus, jactationibus & crucibus: ſicut alioqui illæ plerunque ſolent in adverſis nimium pavidæ impatientesque eſſe, & etiam ipſos maritos languefacere, & trepidos impatientesque red-

reddere, ac excruciare, ut Iobum ſua uxor. Præterea quum ſuperſtitio ſolum ſit genus muliebre, & idcirco in rebus nihili frequenter exanimetur (timens ſibi ubi nihil periculi, & credens, quæ ſunt ſuperſtitioſa minimeque credenda) jubet ut poſito illo inani pavore, totas ſeſe Deo dent. Sexus enim imbecillitas facit, ut magis ſuſpicioſæ ac timidæ ſint mulieres, ideoque magis moroſæ: quia verentur ne, ſi viris ſe ſubijciant, magis contumelioſè ab illis tractentur. Hunc pavorem Petrus abeſſe cupit. q. d. Libenter ſubijcite vos virorum imperio, nec vos timor ab obſequio impediat, quaſi deterior futura ſit veſtra conditio, ſi patientes ſitis.

Poſſet etiam magis generalis eſſe ſententia, ne turbas domi concitent. Nam ut ſunt ad conſternationem proclives, ſæpe ob rem frivolam tumultuantur, ſeque & familiam fruſtra turbant.

3 Cæterùm Apoſtolus Petrus non modò uxores inſtruit, verumetiam viciſsim quoque maritis, quid facto opus ſit, præſcribit. Sunt enim qui abutuntur authoritate ſua, putantes, viri in uxorem imperium eſſe tyrannidem. Hi clamitant, Scriptum eſt, uxoris caput eſt maritus, 1. Corint. 11. Equidem: ſed numquid caput in reliquum corpus tumultuatur? An non magis cæteris membris ſervit omnibus? an non regit & conſulit omnibus? Ita & maritus uxoris caput eſſe debet, id eſt, jucundus convictor, conſultor, &

vitæ dux commodus. Id ſi negligat, non magis titulo capitis dignus eſt, quàm patris nomine, qui in filios carnificem potius agit quàm patrē: aut capitis quidem nomine dignus exiſtit, ſed ita, quemadmodum caput illud, quod, ut in fabulis eſt, vulpes inventum iſto notavit dicterio, O quale ſine cerebro caput! Petrus itaq; importunam quorundam refrenans audaciam & intemperiem, unico verbo iſtud negocium totum cōplectitur, & dicit, Viri cohabitate uxoribus cum ſcientia: id eſt, **ſind vernünfftig vnd verſtendig gegen jhnen**. Exigit enim à viris prudentiam, quæ opponitur affectibus, tyrannidi, iræ, & moroſitati. Et ſanè multæ ineptiæ viris ferendę ſunt, devoranda multa tædia, & ſimul cavendum ne ſua indulgentia ſtultitiam foveant: ſed in pietate uxores inſtituant, errantesq́; moderatè corrigant: quemadmodum Iob, cap. 2. uxorem ſuam ſibi exprobrantem miſerias ſuas, reprehendit, inquiens, Quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es: Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala cur non ſuſtineamus? Quare non eſt ſupervacua Petri admonitio, ut ſcienter cohabitent viri, nō ſtultè. Hæc verò ſcientia ſolida & juſta facilè reſtinguit intemperiem animi: contrà verò, tyrannidis, arrogantiæ & injuriarum cauſa eſt barbaries illa quæ nihil rectè ſinit ſapere, imprudentia adeoq; ſtultitia & ſtupiditas, quæ facit ne ulla quidem beneficia agnoſcamus, imò ne nos quidē noverimus amplius.

Alii

Alii illud *Συνοικεῖν κατὰ γνῶσιν* ita exponunt, quaſi Petrus dicere velit: Vos viri cohabitate uxoribus nõ ſimpliciter, ſed ſecundũ ſcientiam, id eſt, non ſecundũ paſsiones & ſenſum, tantummodò voluptatis cauſa (ut ſeptem primi mariti Sarræ, quam poſtea in uxorem duxit Tobias) nihil diſcernentes inter uxorem & meretricem: nam ſic & beſtiæ cohabitant, & gentes, quæ non noverunt Deum, 1. Theſ. 4. Inſpicite igitur uxores veſtras non oculo concupiſcentiæ, ſed ſcientiæ ac cognitionis: ſcitote illas quoque eſſe & Dei vaſa inſtrumentáve, & Dei filias hæredesque. Oecumenius duplicem interpretationem affert, inquiens: Viri in cognitione cohabitantes, hoc eſt, experimento diſcentes fœmineam levitatem ac vecordiam in omnibus ac lubricitatem in puſillanimitate, patientes eſtote erga illas, non exactè rationem repetentes eorum, quæ circa familiam tradita illis erant in cuſtodiam. Hoc autem, quò liberalius perſeverent in largiendo erga pauperes, admonet viros ne ſint exacti diſquiſitores. Mihi tamen profundius aliquid videtur per hoc inducere, & venuſtius ac caſtius, quã Paulus innuere de actu conjugali. Siquidẽ Paulus apertè clamat, 1. Cor. 7. Ne fraudetis invicẽ, niſi ſi quid ex cõſenſu, &c. hic autem magis pudicè, ut diximus, cognitionem dicens, & per hoc rem ipſam deſignans, admonet, quũ magis ad hoc lubricus ſit ſexus muliebris, ne per objurgationẽ cum aſperitate

ab ipſis diſcedant, ſed primùm quidem clementer eis utantur tanquam imbecillioribus: deinde ſuadeant, ut cum aliqua parcitate abſtinentiam à talibus ſuſcipiant, &c. Hæc ille.

Sed videamus argumenta, quibus Petrus utitur, ut viris perſuadeat, ſcienter, honeſtè & comiter tractandas eſſe uxores, inq; convenienti ipſis honore (quæ pars eſt ejus prudentiæ, de qua meminit) habendas. Nihil enim eſt quod magis dirimat vitę ſocietatem quàm contemptus: nec poſſumus verè amare, niſi quos habemus in precio. Primùm ait: Muliebri vaſi, ut infirmiori, tribuentes honorem. Hoc argumentum ductum eſt ab imbecillitate muliebri, quam is ipſe ſexus fatetur apud Græcum vatem his verbis: γυναῖκες ἐσμὲν ἀθλιώτατον φυτόν. Eandem innuit etiam Moſes, quũ teſtatur in adjutorium viri conditam eſſe mulierem. Huc etiam videtur facere, quòd apud Hebræos appellatione viri eſt litera Iod, quæ decem valet, qui numerus eſt perfectiſsimus: in nomine verò mulieris eſt tantùm He, quinarium numerum repræſentans, qui ad decem in proportione relatus, imperfectionem mulieris denotat. Propria enim appellatio viri eſt איש & mulieris אשה quæ vox à maſculino abjecto Iod, & repræſentante Dages defectum ejus, derivatur. Quamvis illud Dages ſecundum alios repræſentet literá Nun, ut dicant אשה quaſi אנשה à radice אנש quæ ſignificat infir-

firmitatem ac imbecillitatē: quod & ipſum appellationi fœminæ bene quadrat. Porrò vaſis nomine quodvis organum in ſcriptura deſignatur: eidem quoque peruſitatum, ut & homines, præſertim ipſa corpora, vocet vaſa. Ergo vir organum & vas Dei eſt, ſed fortius: unde & vir (à quo virtus) nominatus, teſte Lactantio, quòd in eo major vis eſt, quàm in fœmina: quæ quidem etiam vas & inſtrumentum eſt ipſius Dei, at imbecillius, non id corpore tantùm, verumetiam animo, quo eſt infirmiore atque timidiore. Proinde ita tractanda eſt, ſic cum ea agendū, ut poſsit ferre. Hîc non ſecus res temperanda eſt, atque oportet & circa alia inſtrumenta, quibus ad efficiendum aliquid utimur: ut ſi quis acutum velit ſervare cultellum, certè nullos lapides eo ſecuerit. Si igitur etiam mortua externaque vaſa aut inſtrumenta, quantò ſunt infirmiora, tantò ſunt magis ſcienter cauteque contrectanda, qualia ſunt vitrea vel teſtacea, ne frangantur: utique & uxori, tanquam ſexui infirmo ac imprudenti, variisq; affectibus nimium abnoxio, nimia rigiditate, importunitate & imprudentia, aut contrà etiā nimis remiſſa lentitudine negligentiaque regiminis, non eſt converſandum. Sic Paulus Roman. 12. & 1. Corinth. 12. ait, Infirmiora membra (quæ plerunque omnium utiliſsima magisq; neceſſaria ſunt cæteris) tantò magis honoranda foveādaq; eſſe. Nec mihi dicas (inquit Theo-

phyl. in cap. 5. ad Epheſ.) Hunc & hunc defe-ctum habet uxor mea. Nam & tu in carne tua defectus habes, veluti manum mutilam, pedem claudum, oculum ſtrabum: ſed minimè abſcindis hæc, ſed majore illa cura dignaris. Grave pondus uxorum eſt (ut Hieronymus ſcribit in cap. 19. Matth.) ſi excepta cauſa fornicationis eas dimittere non licet. Quid enim ſi temulenta fuerit, ſi iracunda, ſi malis moribus, ſi luxurioſa, ſi guloſa, ſi vaga, ſi jurgatrix, ſi maledica, tenēda erit iſtiuſmodi? volumus, nolumus, ſuſtinenda eſt. Cū enim liberi eſſemus, voluntarie nos ſubjecimus ſervituti. Ac quemadmodū facilius pueris ignoſcimus, ſi quid per ætatis imperitiam delinquunt: ita ſexus infirmitas facere debet, ne tam rigidi & auſteri ſimus erga uxores. Porrò hac de re nulli poſsūt certi canones dari, ut Lutherus ſcribit, Deus cujuſlibet prudentiæ id committit, ut uxorem tractet cum ratione, ut ingenium cujuſlibet requirit.

Sequitur alterum argumentum, quod ducit Petrus à dignitate mulierum, ſeu honore quo dignatur eas Deus. Ait enim: Tanquam etiam cohæredibus gratię vitæ, vel ut alii legunt, ut multiplicis beneficii & vitę cohæredes. Propter communem ergo illum herum aut patrem, communemq; dignitatem & communem ſpem ęternę beatitatis, in honore & precio habendæ ſunt uxores, & familiarius tractandę. Etſi enim peccavit mu-

lier,

lier, & peccatum in mundum induxit: tamen ſanguine Chriſti mundata eſt: in quo omnes unus ſumus, 1. Tim. 2. Gal. 3. Non eſt ergo quòd ob ſexũ contemnat uxorem, aut lapſum imputet maritus. Tametſi autem aliquę mulieres à ſpe ſalutis alienæ ſunt, quia tamen ipſis non minus ac viris à Domino offertur, hoc ad ſexus honorem ſufficit.

Tertium argumentũ ab utili trahitur: quia dicit, Ne interrumpantur aut impediantur preces veſtræ. Quid ſibi vult D. Petrus his verbis? Hoc, ſi nolis cũ ratione omnia, ſed ut libuerit importunè & cõmotè agere, ac pręfractus ſemper cuncta pro tuo arbitrio exigere, proq; leviſsimis rebus tragœdiam excitare: tum uxor quoq; ſuos morbos habeat, & neuter alteri aliquid condonare aut concedere ſuſtineat, vel boni conſulere, quod ſibi ab altero factũ fuerit: haud poteritis precari & dicere: Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus. Hac precatione contra dæmonem nobis pugnandum eſt: ideo oportet, ut inter nos cõveniat. Nam ritè invocari Deus nequit, niſi tranquillis ac ſedatis animis. Vbi jurgia, lites, verbera: ibi nullę preces purę. Proinde maxima concordia inter maritũ & uxorem fovenda eſt. Hos enim alloquitur hîc Petrus, dum jubet concordes eſſe, ut ſimul Deum uno animo precẽtur. Origenes lib 8. in Epiſt. ad Rom. orationes ſanctorũ conjugũ hoſtias vocat Deo placentes. His bona cõjugii, liberi, domus, impetrãtur,

Geneſ. 17. 30. 1. Regum 1. Tob. 6. Luc. 1. Pſalm. 61. Sed generalis hinc doctrina colligi poteſt, neminem ad Deum accedere poſſe, niſi qui fratribus ſuis conjunctus eſt, Matthæi 5. 6. Marc. 11. Ergo ſicuti hæc ratio domeſticas omnes turbas & jurgia debet componere, ut in ſingulis familiis invocetur Deus: ita in communi omnium vita ad rixas omnes cohibendas quaſi frænum eſſe debet. Sumus enim plus quàm inſani, ſi viam nobis ad invocandum Deum ſcientes ac volentes præcludimus: quum ſit hoc unicum ſalutis noſtræ aſylum. O Ieſu Chriſte fili Dei unigenite, qui vis cunctos homines ſalvos fieri, & jubes nos invocare nomen tuum, da quod jubes, ac doce nos orare, & effunde ſuper nos ſpiritum gratiæ & precum, ut tum precari, tum ſalvari poſsimus in nomine tuo ſancto & ſalutifero, Amen Amen .·.

Se-

Sequuntur porrò XL themata ejuſdem argumenti cum LX præcedentibus partim ex vetere, partim ex novo Teſtamento deprompta : ſicuti converſa leguntur in Latinum à M. Sebaſtiano Caſtalione: in quo legendo majorem ſe percipere fructum olim dicebat Ioannes Checus, vir doctus, & equeſtris ordinis (teſte Chriſtophoro Carleilo Anglo) quàm in evolvendis omnium ſcriptorum commentariis.

THEMA LXI.

ADamus autem cum Eva uxore rem habuit, quæ gravida facta Cainum peperit: ſic ideo nominatum, quòd illa eum enixa dixiſſet, Adepta ſum virum à Iova. Peperit præterea ejus germanum Abelem. Hic Abel opilio, Cainus fuit agricola. Aliquanto tempore pòſt, cùm Iovæ munus libaviſſet Cainus de terræ frugibus: Abel autem de pecorum ſuorum primigenis, & maximè opimis, reſpexit Iova Abelem, & ejus mu-

nus: Cainum, ejusq́ munus non reſpexit, quam rem ita acerbè tulit Cainus, ut ei facies ſublabaretur. Geneſ. 4.

LXII.

Iudas autem aliquando à fratribus ſuis digreſſus, recepit ſe ad quendam Adulamitam nomine Hiram: ubi cùm vidiſſet Chananæi cujuſdam nomine Suæ filiam, eam duxit: & ex ejus congreſſu filium ſuſtulit, quem Erem nomine appellavit. Deinde alterum, quẽ ipſa Onanem nuncupavit. Tertium item, quem Selam vocavit, cujus in nativitate erat ipſe Chezibi. Eri autem, qui erat natu maximus, Thamarem quandam nomine in matrimonium tradidit. Sed Er Iovæ diſplicuit, itaque Iova eum interfecit. & Iudas Onani imperavit, ut cum fratris uxore congrederetur, & ſuam fratris jure faceret, fratriq́ prolem ſuſcitaret. Sed Onan, qui ſciret non ſuam futuram eſſe prolem, cum fratris uxore rem habiturus, ſemen in terram effundebat, ne fratrem progenie donaret. Quo facto offenſus Iova, eum quoque necavit. Tum Iu-

das

das Thamarem nurum ſuam juſsit viduam domi paternæ manere, donec Iudæ filius Sela adoleviſſet, veritus ne & is moreretur, ſicut ejus fratres. Igitur Thamar domum paternam ſe recepit, ibiq́ fuit. Geneſ. 38.

LXIII.

Tum Moſes inde digreſſus, ad Iethronem ſocerum ſuum reverſus eſt, & ab eo petivit, ut ſibi ad conſanguineos ſuos, qui eſſent in Aegypto, redire liceret, & proviſere, utrū adhuc viverent: quem Iethro cum bona pace dimiſit. Moſes igitur à Iova in Madiania admonitus, ut Aegyptum repeteret (mortuos enim eſſe omnes illos qui ejus vitam petebant) uxorē ſuam adhibet, & filios, eisq́ in aſinum illatis, in Aegyptum redire contendit, divinam illam virgam ſecum ferens. Exodi 4.

LXIIII.

Ad conſanguineum ſuum ne quis veſtrum accedito, ut ejus naturam detegat. Hæc ego Iova. Patris aut matris

tuæ naturam ne detegito: mater tua eſt, ejus naturam ne detegito. Novercæ tuæ naturam ne detegito: nam patris natura eſt. Sororis tuæ ſive ex patre, ſive ex matre, ſive domi, ſive foris natæ, naturam ne detegito. Neptis tuæ, tum ex filio, tum ex filia, naturam ne detegito: nam natura tua eſt. Filiæ novercæ tuæ, patre tuo natæ, naturam ne detegito: ſoror tua eſt. Amitæ tuæ naturam ne detegito, nam paternæ conſanguinitatis eſt: ejus naturam ne detegito. Materteræ tuæ naturam ne detegito, nam maternæ conſanguinitatis eſt. Tui ex patre avunculi naturam ne detegito, id eſt, ad ejus uxorem ne accedito, amita tua eſt. Nurus tuæ naturam ne detegito: filii tui uxor eſt, ejus naturã ne detegito: Vxoris fratris tui naturam ne detegito: fratris tui natura eſt. Cum muliere, & cum ejuſdem filia rem ne habeto. Tui privigni aut privignæ filiam ne ducito, ut cum ea rem habeas: nam L. ejus H. conſanguineæ ſunt, inceſtus eſt. Vxoris ſororem, ea vivente ne ducito, ut cum ea rem habeas: quæ res uxori dolorem faciat. Ad mulierem menſtruis

ſtruis laborantem ne accedito, ut cum ea rem habeas. Alterius uxori ſtuprum & corruptelam ne inferto: Progeniem tuam ne dato traijciendam Molocho, néve meum Iovæ Dei tui nomen profanato. Marem ne fœmineo concubitu comprimito: nefas eſt. Ne te ullius beſtiæ concubitu contaminato, néve mulier beſtiæ proſtrato ad coeundum: flagitium eſt. Ne vos ullo horum ſcelerum contaminatote. nam his omnibus ſeſe contaminarunt gentes, quas ego vobis abigo. Itaque ſi pollutæ terræ ſcelera hujuſmodi pœnis perſequor, ut incolas terra ſuos evomat. Levit. 18.

LXV.

Si quæ hominis ſacerdotis filia ſcortari auſa fuerit, patrem ſuum profanavit, igni cremator. Levit. 21.

LXVI.

Tum Moſes Iſraelitis ex Iovæ mandato præcepit, in hunc modum: Rectè dicunt Ioſephi natorum tribules, atque hoc eſt, quod Iova circa Salphaadi filias præcipit: Suo arbitratu nubunto, dum in tri-

bus paternæ gentem nubant. Ita non transferetur Iſraelitarum hæreditas de tribu in tribum, dum quiſq; in ſuæ patriæ tribus hæreditate hærebit. Atq; omnis filia hæres inſtituta, ex quarunq; Iſraelitarum tribuum, alicui tribuli ſuo nuptū locetur, ut Iſraelitarum quiq; paternas hæreditates poßideant, ne hæreditates ex aliis in alias tribus tranſeant, dum Iſraelitarum quiſque in ſuæ tribus hæreditate hærebit. Numeri 36.

LXVII.

Ne cum eis (gentibus) fœdus initote: néve earum miſerti fueritis: néve affinitatem cum eis contrahitote, aut filias veſtras illorum filiis locando, aut illorum filias veſtris filiis conjungendo. Alioqui filios veſtros à Iova ad peregrinorum deorum cultum abducent: ita fiet, ut iratus Iova vos brevi perdat. Deuteron. 7.

LXVIII.

Si quis deprehenſus fuerit concubuiſſe cum fœmina maritum habente, ambo juxtà moriuntor, tum vir qui fœminam conſtuprarit, tum fœmina: idq; nefas ex Iſrae-

Iſraelitis tollitote. Si quis puellam virginem viro pactam nactus in oppido cõpreſſerit, ambos ad illius oppidi portã eductos lapidatote, & necatote puellam, quia in oppido non clamaverit: virum, quia alterius uxorem ſubegerit: id nefas de medio veſtrûm tollitote. Sin autem ruri puellam deſponſatam nactus vir, ei vim intulerit, eamq́ compreſſerit, mortor vir ille tantùm, qui eam compreſſerit: puellæ autem nihil nocetote. neq; enim in capitali crimine eſt: hoc enim perinde eſt, ac ſi quis alterũ aggreſſus vita privet. Nam ruri eam reperit, neque clamanti puellæ deſponſæ adfuit, qui ſuccurreret. Si quis puellam virginẽ non deſponſam nactus, ei ſtuprũ intulerit, & deprehenſi fuerint, vir ille patri puellæ quinquaginta argenteos dato, eamq́ uxorem habeto, quòd eam ſubegerit, neq; unquam repudiare liceto. Deuter. 22.

L X I X.

Si quis uxorem duxerit, fœminamq́ fecerit, ſi contigerit eam illi non placere, quòd aliquid in ea offenderit inhone-

ſtum, ſcribito ei libellum divortii, eumq́ꝫ illi in manum dato, & eam è domo ſua dimittito. Quòd ſi ex illius domo egreſſam alteri nubere contigerit, ſi ille alter eam inviſam habebit, ſcribito ei libellum divortii, eumq́ꝫ illi in manum dato, atqꝫ eam ex domo ſua dimittito. Aut ſi deceſſerit vir ille, qui ſecundus eam duxerit, ne eſto poteſtas marito priori, qui eam repudiaverit, eam iteratò in matrimonium ducere, poſtquã illa polluta eſt (nam id quidem Iovæ habetur nefarium) ne terram, quam vobis poßidendam veſter Deus Iova dat, polluatis. Cùm quis uxorẽ novam duxerit, ne militato, nulliq́ꝫ muneri obnoxius, immunis domi eſto unum annum, & cum ducta uxore lætator. Deuteron. 24.

LXX.

Quamobrem curate diligenter, ſi ſalvi eſſe vultis, ut Iovam Deum veſtrum ametis. Nam ſi mutati, cum reliquis his nationibus apud vos relictis cohæſeritis, cumq́ꝫ eis connubia miſcueritis, & mutuam neceßitudinem habueritis, ſcitote Iovam

Iovam Deum veſtrum non jam vobis iſtas omnes nationes expulſurum eſſe, ſed eas vobis fore tanq̃ decipulam quandam & obicem, & laterum ſtimulum, & ad oculos ſpinas, eouſque, ut auferamini ex hac tam bona terra, vobis à Iova Deo veſtro data. Ioſu. 23.

LXXI.

Aliquanto pòſt, meſsis tritici tempore Samſon viſit uxorem ſuam, caprum ferens, & ad eam admitti ſe in cubiculũ poſtulat. Sed mulieris pater eum prohibuit, dicens ſeſe, cùm eam illi inviſam eſſe putaret, eam ejus familiari locaſſe: eſſe tamen ei ſororem, ut natu minorem, ſic forma venuſtiorem, eam pro illa duceret. Tum Samſon apud illos præfatus, ſeſe tum non eſſe Palæſtinis injuriam factu-rum, ſi eis malum inferret, diſcedit: captisq; trecentis vulpibus, & earum caudis inter ſe obverſis, ſingulas faces binis caudis interponit, ijsq; incenſis, vulpes in Palæſtin. ſegetes laxat, atque ita & metas, & ſegetes, & vineas, & oliveta combuſsit. Hujus facinoris authorem Pa-

læſtini cùm Samſonē eſſe Thamnathenſis illius generum, inquirendo comperiſſent, quoniam ille ereptam ei uxorem ejus familiari dediſſet, invadunt illos, & mulierem, ejusq́; patrem igni comburunt. Iudicum 15.

LXXII.

Per eadem tempora, quibus nullus in Iſraelitis rex erat, Levita quidã in latere montis Ephraimitarũ peregrinans, uxorem duxerat concubinam à Bethlehema Iudææ: quæ concubina cùm parum pudica erga illum fuiſſet, diſceßit ab eo, domum patris ſui, Bethlehemam Iudææ. Ibi cùm per quatuor menſes fuiſſet, ſecutus eſt eam maritus, ut eam blandis illectam verbis reduceret, famulũ ſecum & par aſinorum ducens. Atq; illa eum domum ſui patris introduxit, qui puellæ pater, hominis adventu delectatus, generũ retinuit, ſecumq́; triduo per convivia & noctes habuit. Quarto die manè cùm gener diſceſſum pararet, perſuaſit ſocer ut vires cibo recrearet ante diſceſſum. Deinde cùm ambo accubuiſſent, cibumq́; u-

nà

nà ſumpſiſſet, ſuadebat homini ſocer, ut ibi pernoctare, animumq́; recreare vellet, &c. Iudic. 19.

LXXIII.

Qua tempeſtate præſides procurabãt, vir quidam à Bethlehema Iudææ, orta in finibus illis fame profectus eſt ad peregrinandum in agrũ Moabiticum, unà cum ſua conjuge, duobusq́; filiis. Viri nomen erat Elimelechus, mulieris Noemis: duorum filiorũ Mahalon & Chelion, Ephrattæi, ex Bethlehema Iudææ. His in agrum Moabiticum profectis, ibiq́; degentibus, moritur Elimelechus, uxore Noemi & duob. filiis ſuperſtitibus. Filii uxores Moabitidas duxerunt, quarũ uni Orpha, alteri Rhuta nomen fuit: atq́; illic circiter decem annos commorati, moriuntur & ipſi ambo, Mahalon, & Chelion. Mulier autẽ duobus natis & viro ſuperſtes, cùm apud Moabitas agens, audiviſſet Iovam ſuis ſubveniſſe, eisq́; annonam levaſſe, illinc digreſſa, comitibus duabus nuribus, in Iudæam reverti contendit, easq́; in itinere ſic admonuit: Revertimini u-

traque in ſuæ matris domum: rependat vobis Iova pietatem, qua tum erga mortuos, tum erga me uſæ eſtis. Faxit Iova ut quietem ſuum utraque apud maritum nanciſcamini. Hæc cùm locuta, eas deoſcularetur, illæ in lachrymas erumpentes, affirmabant, ſeſe cum ipſa ad ejus populares eſſe reverſuras. Sed Noemis eas ita hortata eſt: Revertimini meæ filiolæ, cur me comitemini? Nunquid ego adhuc in utero geſto filios, qui vobis futuri ſint viri? Revertimini meæ filiolæ, diſcedite: nam ego quidē grandior ſum, quàm ut ſim apta viro. Quòd ſi maximè ſpem eſſe putarem, viroq; vel in proximam noctem tradita, filios gignerem, an eſtis expectaturæ, donec adoleverint, & tam diu ſine viris duraturæ? Non ita, meæ filiæ. Equidem valde veſtra cauſa doleo, ſed me Iovæ manus urget. Tum illæ ploratum integrant, & Orpha ſocrum ſuam oſculata, ei valedicit. At Rutha cum ea hærebat, &c. Ruth.1.

LXXIIII.

Interea dum apud ſocrum manet, Noemis cum ea ſic locuta eſt: Requiem tibi,

mea

mea filia, volo quærere, ut bene ſit tibi: Eſt Boozus cognatus noſter, cum cujus tu puellis fuiſti. qui quidem hordeum in area ſub noctem ventilaturus eſt. Tu lava & unge te, ornatuq́ adhibito, ad aream deſcende: ſed noli te homini aperire, donec cibum jam, potionemq́ ſumpſerit. Cumq́ diſcedet cubitum, obſervato locum in quo cubabit, eumq́ adito, & detectis ejus pedibus cubato. Ipſe tibi quid facto ſit opus oſtendet. Et illa: Quicquid tu mihi mandas, exequar. Hæc locuta deſcendit ad aream, & omne ſocrus mandatum executa eſt. Cumq́ Boozus cibo & potione exhilaratus, ad finem metæ cubitum iviſſet, illa pedetentim acceſſit, illiusq́ detectis pedibus, accubuit. Media nocte exterritus homo, tactu explorat, & mulierem animadvertens ſibi ad pedes adjacentem, inquit: Quæ tu es? cui illa: Ego ſum Rutha, inquit, ancilla tua, quæ peto ut tu in me gremium tuum exporrigas: nam propinquus es: Et Boozus: Iovam tibi, filia, opto propitium, inquit: tu priorem pietatem hac poſteriore ſuperaſti, quæ juvenes ſive pauperes ſive

divites ſecuta non ſis. Quamobrem bonô es animo, filia: quicquid poſtulas, tibi faciam. Scit enim cuncta meorũ popularium civitas, te mulierem eſſe virtute præditam. Ruth 3.

LXXV.

Nabalis audita morte, David Iovæ gratias egit, qui ſuam cõtumeliam in Nabalem animadvertiſſet, ſeq; à ſcelere prohibuiſſet, et Nabalis ſcelus in ipſius caput retorſiſſet: miſitq; qui cum Abigaile de ea ad ſe in matrimonium ducenda agerent. Cum igitur Davidis ſervi ad Abigailem in Carmelũ veniſſent, eiq; retuliſſet, ſe ad eam miſſos eſſe à Davide, quò eam uxorẽ duceret: ſurrexit illa, & honore demiſſè præbito, reſpõdit, ſe illius eſſe ſervam, paratã vel ſervorum ejus lavare pedes. Deinde protinus proficiſcitur, & aſino inſidens, comitantibus quinque pediſſequis nuncios Davidis ſubſequitur, illiq; nubit. 1.Reg.25.

LXXVI.

Sed offenſus Davidis facinore Iova, miſit ei Nathanẽ, qui eum aggreſſus eſt his verbis: Duo homines erant in quadã urbe,

be, alter dives, alter pauper. Dives majorũ minorumq́ pecudum magnã copiam habebat. Pauper unam omnino habebat oviculã, à ſe emptam et enutritã, quæ unà cum ipſo ejuſq́ filiis adoleverat, ejus cibo veſcẽs, ex ejus calice bibens, in ejus ſinu quieſcẽs: breviter erat ei pro filia. Ad illum divitẽ venit hoſpes quidam, quem accepturus ille, parſit de ſuis minoribus majoribúſve ſumere pecoribus: & captã illam pauperis oviculã, hoſpiti mactavit. Hic David in hominẽ magna ira percitus, Nathani ſic dicit: Per Iovam immortalẽ, morte dignus eſt iſtius autor facinoris, ovemq́ quadruplo penſabit, qui iſtud cõmittere non dubitaverit. Et Nathan: Tu ille es, inquit. Ego te (inquit Iova Deus Iſraelitarũ) regem in Iſraelitas unxi: ego te ab injuria Sauli defendi: tibi Domini tui domum, tibi domini tui uxores cõplectendas, tibi Iſraeliticam Iudæamq́ ſtirpẽ dedi: alia atq́ alia inſuper daturus, ſi ea parum eſſent. Cur tu Iovam, contemptis ejus præceptis, ſcelere tuo offendiſti? dum Vriam Hettæum ferro trucidaſti, ejuſq́ uxorem, eo per te Ammonita-

rum telis interfecto, in matrimonium duxiſti. Itaque à domo tua nunquam abfuturum eſt bellum: quoniam tu contempto me, Vriæ Hettæi uxorem tibi matrimonio copulaſti. Scito, me tibi (inquit Iova) conflaturum eſſe malum domeſticum, tuasq; conjuges in oculis tuis alteri traditurum, qui cum eis in hujus congrediatur conſpectu ſolis. Tu quidem occultè feciſti: ſed ego hoc coram omnibus Iſraelitis luce palàm facturus ſum. Tum David: Peccavi in Iovam, inquit. Et Nathan: Iova quoque remittit ille quidem tibi peccatum, neque morieris. Veruntamen, quoniam tu iſta re Iovæ inimicis maledicendi occaſionem dediſti, filius, qui tibi natus eſt, morietur. 2. Regum 12.

LXXVII.

Sed amavit Solomo rex multas præter Pharaonis filiam mulieres alienigenas, Moabitidas, Ammonitidas, Idumæas, Sidonias, Hettæas: de quibus nationibus Iova Iſraelitis interdixerat, ne vel ipſi ad illas, vel illæ ad ipſos venirent: alioquin

lioquin fore, ut eorum mentes ab illis ad ipſarum pellicerentur deos. Illis amore junctus Solomo, uxores habuit principes ſeptingentas, & concubinas trecentas, per quas uxores alienatus eſt ejus animus, & ſub tempus ſenectutis deflexa mens ejus eſt per illas ad alienos deos: nõ modò ut animo erga Iovam Deum ſuum ſincero non eſſet, ut ejus pater David fuerat, ſed etiam Aſtorethum Sidoniorum, L. & Chamoſum Moabitarum H. deum & Melcomum Ammonitarũ nefas ſequeretur. Adeoq́ Iovam offendit Solomo, adeoq́ ei ſuum officiũ non præſtitit, ſicut ejus parens David fecerat: ut etiam Chamoſo Moabitarum flagitio fanũ in monte Hieroſolymis objacente conſtruxerit, & Molocho Ammonitarum flagitio: idemq́ fecerit omnibus ſuis uxoribus alienigenis, quæ ſuffitus & ſacra ſuis faceret diis. Itaq́ incenſus contra Solomonem Iova, quoniam mente à Iova Deo Iſraelitarum deflexiſſet, qui ei ſemel atque iterum apparuerat, atque hoc præceperat, ne deos ſequeretur alienos, cui Iovæ præcepto ille non optemperaſſet, minatus eſt

ei in hunc modum: Quoniam tu commiſiſti ut fœdus meum & inſtituta tibi à me tradita non conſervares, eripiam ego tibi regnum, idq́ ſervo tuo dabo. 3. Regum 11.

LXXVIII.

Sed Regina Vaſtis ad regis mandatũ per ſpadones perlatũ venire recuſavit. Quare vehementi incenſus ira Rex, ſapientes rerum peritos (ſolebat enim rex omnibus legis juriſq́ prudẽtibus negocia proponere: et erant tũ ei proximi Charſena, Sethar, Admatha, Tharſis, Mares, Marſana, & Mamuchan, ſeptem Perſarũ Medorumq́ principes, cum rege verſantes, et in regno primum dignitatis locum obtinentes) hos inquam interrogat, quid ſit Regina Vaſti faciendũ, quæ Regis Aſſueri mandato à ſpadonibus perlato non paruerit. Tum Mamuchan apud regem et proceres verba facit in hanc ſentẽtiam: Non ſolùm in regem peccavit regina Vaſtis, ſed etiam in omnes vel principes vel plebeios, qui ſunt in omnibus regis Aſſueri provinciis. Omnes enim mulieres, divulgata

gata hac de regina fama, ſuos habebunt deſpectui maritos, cùm dicetur, reginam Vaſtim ab Aſſuero rege accerſitam, non veniſſe: atq; hoc reginæ factum objicient aliquãdo primariæ Perſidis et Mediæ mulieres, quæ id audiverint, omnibus regiis proceribus, quæ res magnum contemptũ pariet, & indignitatem? Quamobrem ſi tibi Rex ita placet, promulgetur regium à te decretum, idq; irrevocabili Perſicæ & Medica lege ſcriptum, ne regina Vaſtis in conſpectũ regis Aſſueri veniat, ejusq; regnum alteri ea meliori tradas. Hac tua, rex, audita ſententia, & per totum imperium tuum quàm latè patet publicata, nulla mulier erit, quæ non in precio ſuum habeat conjugem: ſive is magnus ſit, ſive parvus. Placuit & regi & proceribus ea ſententia: Mamuchanisq; conſilium ſecutus rex literas dimiſit in omnes ſuas provincias, &c. Eſther 1.

LXXIX.

Pactionem feci cum meis oculis nequaquam aſpicere virgines. Nam quæ

me ſors & conditio ab omnipotente Deo ſupernè maneret? nimirum pernities & interitus, improbos manet & maleficos. Nimirum videt ipſe meas vias, omnesq́ meos greſſus numeratos habet. Si me geſſi nequiter, & ad fraudem pedibus feſtinavi, ponderet me juſta ſtatera, cognoſcatq́ Deus integritatem meam. Si greſſu de via deflexi, & oculos meos mente ſecutus ſum, aut adhæſit manibus meis macula, quod ſeminavero comedant alij, meiq́ fœtus eradicentur. Si mentem habui ad mulieres proclivem, aut pro foribus alterius inſidiatus ſum, molat mea conjunx alteri, eiq́ incubent alii. Eſt enim hoc flagitium crimenq́ puniendum, eſt inquam ignis ad interitum uſque edax, qui omnem meum proventum extirparet. Iiob.31.

LXXX.

Fili mi, attende ſapientiæ meæ, accommoda aurem meæ prudentiæ, ut induſtriam cuſtodias, & tuis labiis tueare ſcientiam. Nam favo fluunt alienæ labra, ejusq́ fauces oleo ſunt molliores: ſed ejus exi-

exitus tam eſt amarus quàm abſynthium, tamq́ acutus, quàm gladius anceps: Ejus pedes ad mortem deſcendunt, ejus veſtigia tendunt in Orcum. Vitæ viam non librat, errantibus neſcio quò ejus itineribus. Quare, nati, audite me, & ab oris mei dictis ne recedite. Procul ab ea iter facito, néve ad ejus ædium fores accedito, ne honorem tuum aliis, ne tuos annos addicas crudelibus, ne tuis facultatibus ſatientur alieni, ſintq́ tui labores in peregrina domo, & tu poſtremò tuo corpore, victuq́ conſumpto gemas, atque ita dicas: Cur odi diſciplinam, & caſtigationem animo faſtidivi? nec magiſtrorum meorum dictis obtemperavi: nec præceptoribus aurem præbui? propemodum ſum in omnibus malis, in medio vulgo atque cœtu. Bibe ex tuis ciſternis aquam & latices, & ex medio tuo puteo: ſcateant aquæ rivis fontes tui foris vicatim, quos tu ſolus habeas, non etiam alieni tecum. Sit tuus fons felix, & fruere tuæ juventutis uxore, amabili cerva, lepidaq́ dama, cujus te omni tempore irrigent ubera, cujus amore potiare ſem-

per. Cur autem potiare, mi fili, aliena? cur in gremio non tuæ hæreas? cùm ob oculos poſitas habeat Iova vias hominis, & eius greſſus libret omnes. Ipſe ſuis criminibus capitur impius, ſuorumq́ peccatorum reſtibus implicatur, moriturus ſine correctione, & ſuam tantam luiturus inſaniam. Proverb. 5.

LXXXI.

Qui uxorem (ſcilicet bonam) invenit, bonum invenit, & Iovæ favorem obtinuit. Proverb. 18.

LXXXII.

Domus & opes ſunt hæreditas patria: ſed intelligens uxor à Iova eſt. Proverbior. 18.

LXXXIII.

Præbe mihi, mi fili, tuam mentem, oculique tui meis delectentur inſtitutis. Nam profundus gurges eſt meretrix, anguſtaq́ ſcrobs mulier aliena. Ea ſanè latronum more inſidiatur, & hominum perfidos conficit. Cui heu? cui heu?

cui

cui jurgia? cui ſolicitudo? cui vulnera impune? cui oculorum rubor? Vini ſectatoribus, compotationes rimatum euntibus. G. Nolite vino inebriari, ſed cum bonis viris H. & ſe probè gerentibus, G. conſuetudinem habete ac verſamini. Vinum ne aſpice quia rubeat, quia in poculo colorem ſuum oſtentet, & ſpecie ſua blandiatur. Ejus exitus mordet ut coluber, & viperæ modo pungit. Et oculi tui abſurdè videbunt, & animus ineptè loquetur. Eriſque quaſi qui in medio mari, aut quaſi qui in mali navis vertice cubet. Verberatus non doleo, ictus non ſentio, experrectus idem iterum requiram. Proverb. 23.

LXXXIIII.

Stillicidium pluvio tempore perfluens, & uxor rixoſa ſimilia ſunt. Eam qui recondit, ventum recondit, aut clamaturum in dextera ſua unguentum. Proverb. 27.

LXXXV.

Strenuam mulierem quis inveniat:

cujus precium gemmas longè ſuperat. Ei confidit ex animo maritus, nec cibariorum eſt indigus. Ipſa de eo bene, non malè meretur per omnem vitam ſuam. Lanam quærit & lina, & manibus libenter operatur. Similis eſt mercatoria navis, victum ſuum procul advehens. Surgitq́ue de nocte, & familiæ ſuæ cibum, ancillisq́ue penſum diſtribuit. Cogitat de fundo, eumq́ue comparat, & ſuarum manuum quæſtu pangit vineam, ſua latera fortiter ſuccingit, ſuaq́ue brachia confirmat. Sentit quàm bonum ſit ſuum negocium; inextincta noctu ejus lucerna. Admovet colo manus, fuſumq́ue manibus tenet. Manus inopi pauperiq́ue præbet ac porrigit. Non metuit ſuæ familiæ à nive, quippe cùm ſit omnis ejus familia veſtita cocco. Stragulam veſtem ſibi facit: lineum purpureumq́ue veſtitum habet. Conſpicuus eſt in curiis maritus ejus, dum ſedet in civium ſenatu. Lintea facit ac vendit, & cingula mercatoribus ſuppeditat. Præclarè & honeſtè veſtita futurum tempus eludit. Os ſuum ſapienter aperit, pietatis diſciplinam habens

bens

bens in lingua. Familiæ ſuæ ſtatum conſiderat, nec pigritiæ cibo veſcitur. Aſſurgunt liberi qui eam beatam ferant: ejus quoque maritus eam laudat. Multæ fæminæ rem fecerunt: ſed tu eas omnes tranſcendis. Fallax gratia, vana pulchritudo, mulier Iovæ metuens laudabilis eſt. Huic detur manuum ſuarum fructus, eamq́ue in curiis ſua laudent opera. Proverb. 31.

LXXXVI.

Poſſúmne tibi iſtud ignoſcere? tui nati, relicto me, per non Deos jurant, & à me ſatiati, adulterant, inq́ue lupanar ſeſe cuneant. Equi ſunt ſaginati, matutini, alii in aliorum uxores adhinnientes. In iſtáne ut ego non animadvertā? inquit Iova: aut ab iſtiuſmodi gente pœnas non repetam? Scandite muros ejus, & vaſtate, ſic tamen ut ad internecionem non agatis: detrahite ejus palmites, quoniam Iovæ nō ſunt. Nam mihi fidē fregerunt Iſraelitæ, Iudæaq́ue domus, inquit Iova. Iovam abnegant, eumq́ue eſſe, aut ſibi malum eventurum, aut ſe arma famém

ve viſuros negant. Vates autem ventoſi ſunt, nec eſt eorum quiſquam qui quid ſit eis futurum, antè denunciet. Ierem. 5.

LXXXVII.

En vos falſis confiditis, rebus nihil juvātibus, furari, occidere, adulterare, pejerare, ſuffire Baali, alienosq́ ſequi Deos, vobis ignotos: & poſtea venitis, in meoq́ ſtantes cōſpectu, in hac à me denominata æde, defendi poſtulatis, ut iſta tot ſcelera committatis? Pro ſpelunca graſſatorum habetis hanc à me nuncupatam ædem, id quod ego quoque (ut ſciatis) inquit Iova, video. Adite enim locum meum, qui eſt Silunte, ubi ego meum nomen primo collocaveram, & videte quo pacto eum tractaverim ob Iſraelitarum meorum improbitatem. Quamobrem quoniam vos iſta tot patratis facinora, inquit Iova, mihique vos ſedulò admonenti non auſcultatis, neque vocantem auditis, faciam ædi (quæ à me nomen habet, cuique vos confiditis) & loco (quem vobis, veſtrisq́ dedi majoribus) quomodo feci Silunti, vosq́ à meo reÿciam conſpectu,

ſpectu, quemadmodum rejeci veſtros omnes fratres, ſcilicet omnem Ephraimi progeniem. Ierem.7.

LXXXVIII.

Sic dicit armipotens Iova, Deus Iſraelitarum, omnibus exulibus, quos ipſe Hieroſolymis in Babyloniam relegavit. Aedificate quas habitetis domos, & hortos, quorum fructu veſcamini, conſerite: ducite uxores, liberosq́ue gignite, & filiis veſtris uxores capite, & filias nuptum locate, quæ liberos pariant, atque iſtic creſcite, néve decreſcite, & ſaluti ſtudete urbis, quò vos ego relegavi, Iovamq́ue pro ea orate: nam in ejus ſalute vobis ſita ſalus eſt. Ierem.29.

LXXXIX.

Item me affatus eſt his verbis Iova: Tu verò, homo, ſcilicet patrocineris, ſcilicet patrocineris urbi cruentæ? imò ei demōſtra ejus tot ſcelera, & dicito: Sic dicit Dominus Iova: O urbs q̃ in medio tui ſanguinē fudiſti, ut tuū tempus veniat, ſter-

coreosq́; divos contra temetipſam feciſti, ut pollu aris: tu iſto, quem fudiſti, cruore, noxam contraxiſti, iſtisq́; quos feciſti, ſtercoreis divis polluta es, & diem tuam adduxiſti, ad annosq́; perveniſti tuos, quam ob cauſam ego te gentium terrarumq́; omnium oſtentui & ludibrio exponam, ut te & propinquæ & à te remotæ, illudant, & nomine pollutam, & turbis inſignem. Equidem in te principes Iſraelitarum, pro ſuis quiſque viribus, in eo fuerunt ut ſanguinem funderent: in te patres matresq́; contempti ſunt: in medio tui peregrinis facta injuria eſt: in te oppreſſi ſunt pupilli & viduæ, tu meū fanum deſpicata es, meaq́; polluiſti Sabatha. In te calumniatores fuerunt cauſa fundendi ſanguinis: in te per montes pollutum eſt: in medio tui facta ſunt inceſta: in te verenda patrum retecta ſunt: in te pollutæ menſtruales cōpreſſæ ſunt: in te & vir cum alterius uxore flagitium commiſit, & ſocer nurum inceſto polluit, & ſororem frater eodem patre natam compreſſit. In te dona accepta ſunt ob fundendum ſanguinem: tu fœnus

nus uſuramq́; cepiſti, & alios avarè per injuriam fruaudaſti, oblita mei, inquit Dominus Iova. Ezech.22.

X C.

Nónne patrem unum habemus nos ómnes? nónne nos Deus unus creavit? cur prodit frater fratrem, profanando noſtrum fœdus patrium? Proditor eſt Iudæus, fitq́; nefas in Iſraelitis ac Hieroſólymis: ſiquidem profanat Iudæus fanum Iovæ quod amavit, peregriniq́; Dei puellam maritat. Evertet Iehova virum qui id fecerit, vigilantem & reſpondentem ex Iacobæis tabernaculis, & fertum armipotenti Iovæ obmoventem. Adde quod efficitis, ut obtegatur lachrymis ara Iovæ ploratu ac ſuſpiriis, ita ut non amplius ferta reſpiciat, neque placamina ex veſtra manu admittat. Quaretis, quamobrem? quoniam Iova tibi & tuæ juventutis uxori conſcius eſt, in quam tu perfidioſus es, cùm ſit tua ſocia, & tibi fœderata conjunx. Quòd ſi unus fecit qui ſpiritu abundabat, quorſum allegatur unus ille, qui divinam progeniem

quærebat? at vos animis cavete, ne in veſtræ juventutis uxores agatur perfidè. Qui odit, repudiet, inquit Iova Deus Iſraelitarum: & tegat iniquitatem veſte ſua, inquit armipotens Iova: & cavete animis, ne perfidè agatis. Malach. 2.

XCI.

Congrediar autẽ vobiſcum judicio, eroq́ celer teſtis in præſtigiatores, in adulteros, in perjuros; in eos qui mercede fraudant mercenarios, qui viduas, qui pupillos, qui peregrinos labefactant, neque me timent, inquit armipotens Iova. Malach. 3.

XCII.

Tu ergo, nate, corpus tuum ab omni fœditate & impudicitia tuere, L. néve committito ut omiſſa uxore tua flagitium admittas: H. & uxorem ducito de cognatione tua, non ullius generis, quod à majorum tuorum ſtirpe ſit alienum. Nos enim de vatum progenie ſumus. Memoria repete, fili, Abrahamum, Iſaacum,

cum, & Iacobum, qui uxores de ſua ſibi gente aſciverunt, extraneorum affinitate repudiata, eóque liberis fortunati fuerunt: G. eorúmque poſteri terram obtinuerunt. Quamobrem, nate, dilige tuos conſanguineos, néve eos aut tuorum popularium filios, aut filias ita animo faſtidiveris, ut ex eis uxorem non ducas. Tob. 4.

XCIII.

Cui angelus: L. Attende & oſtendam tibi in quos poteſtatem habeat dæmon. Qui in matrimonium ita conveniunt ut expertes & immemores Dei, more equi aut muli brutorum animalium, vacent libidini, in hos poteſtatem habet dæmon. H. Verere modò Iovam, inquit, ejúſque memor eſto, patríſque tui præceptum recordare, à quo juſſus es uxorem ejuſdem tecum paternæ ſtirpis ducere: tum me authore nihil dæmonem timueris. Nam ſatis exploratũ habeo, te eam hac nocte in matrimoniũ eſſe ducturũ. Igitur ubi in cubiculum cũ ea introieris, (L. per tres dies ab ea te abſtinebis;

& nihil aliud quàm precibus eum ea vacabis. Secunda nocte in ſanctorum patriarcharum conſortium admittêris. Tertia nocte eam conſequêre felicitatē, ut ex vobis liberi proſperè gignantur,) H. ſumito cor piſcis, & inde ſuffitum ſub eius veſtes facito, eo nidore olfacto, dæmon puellam fugiet: nec eam unquam poſtea repetet. Sed cùm tibi cum ea congredi libebit, ſurgitote de lecto, Iovamq́ ſuppliciter oratote, ut ſua in vos clementia & medicina utatur, puellæq́ medeatur. Tum demum cum ea rem habebis, L. liberorum amore magis, quàm libidine ductus: H. ex qua liberos mares procreabis. Sed metum abijce: nam ea tibi deſtinata eſt ante orbem conditum, eámque tua opera Iova à dæmone vindicabit. Tob. 6.

X C I I I I.

Igitur Raphael adhibitis duobus camelis, & quatuor famulis, Ragem domum Gabelis ire contendit, eiq́ ipſius marſupium tradit, & Tobiam Tobæi filium duxiſſe Sarā Raguelis filiam nunciat,

ciat, eúmque ad illius nuptias invitat. Tum Gabel impoſito camelis argento, ad nuptias venit, & Tobiam nactus aſſidentem menſæ amplectitur, & præ gaudio lachrymans, ei gratulatur hujuſmodi verbis: Gratias ago Iovæ Iſraelitarum Deo, qui te cum hoc viro latè conjunxerit. Is tibi pro ſua miſericordia det ex iſta mares liberos, qui Iovæ legi dent operam: L. nam viri optimi, juſti, religioſi, & benefici filius es. Felix dicatur uxor tua, parentéſque veſtri, ita ut natos veſtros, & natorum natos, ad tertiam uſque quartámque ſtirpem videatis, ſitque veſtra progenies Iſraelitarum Deo, qui regnat in ſempiternum, chara. Hîc cùm omnes Amen ſuccinuiſſent, inierunt epulas, & cùm Domini reverentia nuptiarum convivium celebrarunt, G. ſuæq; uxori fauſta precatus eſt Tobias. Tob. 9.

XCV.

Nullum caput ſerpentis capite nocentius eſt: nulla ira, mulieris iram ſu-

perat. Cum leone malim & dracone degere, quàm cum mala muliere habitare. Mulieris nequitia ejus aſpectum immutat, & vultum tanquam ſaccum infuſcat. Ea efficit ut vir ejus cogatur inter alios ſedere, & acerbè gemere. Parva eſt quævis pravitas, præ mulieris pravitate, in quam precor improbi ſorte cadant. Quod ſcrupuloſus aſcenſus eſt pedibus ſenis, id eſt linguax mulier quieto viro. In fœminæ pulchritudinem ne offendito, néve mulierem voluptatis cauſa concupiſcito. Ingens pœna, & impudentia & turpitudo eſt mulier, ſi ſuo viro imperat. Afflicta mens, & mœſta facies, & animi vulnus eſt, & remiſſæ manus reſolutaq; genua, ubi mala mulier eſt, quæ virũ ſuum nequaquam beat. A fœmina initium peccati, per eamq; morimur omnes. Nec aquæ L. vel tantillum G. exitum dederis, nec malæ mulieri poteſtatẽ. Niſi tibi ſub manu obſequitur, L. te in inimicorũ conſpectu pudore afficiet: G. abſcinde eam à tuo corpore, amanda ac repudia, L. ne te ſemper abutatur. G. Eccleſiaſtici 25.

Poſt

XCVI.

Poſt obitum Iudæ prodierunt in omnibus Iſraelitarum finibus homines nefarii: omnéſque exorti ſunt malefici, ad quos, o[illegible] ÿſdem temporibus fame gravißima, perfugerunt incolæ. Tum Bacchides delectos homines impios regionis adminiſtrationi præpoſuit, qui conquiſitos & perveſtigatos Iudæ amicos ad ipſum perducerent, quos ille cum omni ludibrio afficiebat ſupplicio: tantáque fuit ea Iſraelitarum calamitas, quanta nulla fuerat, ex quo tempore nullus apud eos vates extiterat. Tum omnes Iudæ amici ad Ionathanem conveniunt: demonſtrant, ex quo Iudas ejus frater oppetierit, neminem eſſe Ionathani parem, qui ſe hoſtibus & Bacchidi, reliquiſque gentem ſuam infeſtantibus opponat. Itaque ſe eum jam deligere, qui eis pro illo & dux & ad bellum gerendum imperator eſſet. Tum Ionathan principatum accepit, & Iudæ fratri ſuo ſucceßit. Quod ubi reſcivit Bacchides, eum conatus

eſt interficere. Hac re cognita Ionathan & Simon ejus frater, omnéſque comites, in Thecuæ ſolitudinem profugerunt, & ad aquas lacus Aſphar caſtra fecerant. Quod poſtquam intellexit Bacchides, die ſabbathi venit cum exercitu ſuo trans Iordanem. Tum Jonathan fratrem ſuum Iohannem imbellium turbæ præfectum miſit ad Nabathæos amicos ſuos, oratum ut liceret apud eos impedimenta ſua, quæ multa erant deponere. Sed Iambris nati Medaba ingreſſi, Iohannem, & quæ habebat omnia, ceperunt atque abduxerunt. Poſtea nunciatur Ionathani & Simoni ejus fratri, Iambrinos inſignes nuptias celebrantes, ſponſam ducere ex Nadabatha, magno cum apparatu, filiam cujuſdam de præcipuis Chananeæ primatibus. Itaque memores Iohannis fratris ſui, eò profecti ſunt: & montis objectu occultati, cùm magnam turbam & apparatum animadvertiſſent, ſponſúmque cum ſuis amicis & conſanguineis obviam illis progreſſum, cum tympanis, muſiciſq; et armis multis,

pro-

prodierunt in illos ex inſidiis, eorúmque ſtragem ediderunt: & multis interfectis, reliquis in montem fuga dilapſis, omnia diripuerunt, atque ita nuptias in luctum, & cantum muſicum in lamentationem converterunt, ſuíque fratris ulti ſanguinem in Iordanis paludem redierunt. Hac audita re, venit die ſabbathi Bacchides ad ripam Iordanis, cum multis copiis. Tum Ionathan ſuos ſic adhortatus eſt: Agite jam, pugnemus pro vita noſtra. Non enim ſic ſe res habet hodie, ut ſuperioribus diebus: ecce enim nobis & à fronte hoſtes, & à tergo Iordanis aqua, & hinc atque hinc palus atque ſylva, nec eſt ad declinandum locus. Quocirca clamate ad cælum, ut hoſtiles manus evadatis. Deinde commiſſo prælio, manum extulit Ionathan, ut Bacchidem feriret: atque illo in tergum cedente, inſiliit Ionathan & ejus milites in Iordanem, atque ita tranarunt, nec adverſarij ſecuti ſunt.

1. Machab. 9.

XCVII.

Cùm eſſet deſponſa mater ejus Maria Ioſepho, priuſquam conveniſſent, comperta eſt uterum ferre ex ſpiritu ſancto. Ioſephus verò vir ejus, qui juſtus eſſet, nec in eam vellet exemplum edere, ſtatuit eam clàm repudiare. Hæc cùm haberet in animo, ecce Domini angelus in ſomnis apparuit ei, & ita locutus eſt: Ioſephe Davide prognate, ne metue aſciſcere Mariam uxorem tuam: nam quod in ea genitum eſt, ex ſancto ſpiritu eſt. Pariet autem filium, quem Ieſum nomine vocabis: is enim ſuos ab ipſorum peccatis vindicabit. Hoc autem totum factum eſt, ut confieret, quod à Domino dictum fuerat per vatem ita dicentem: Virgo ventrem latura eſt, & editura filium, qui nominabitur Emmanuel: quod perinde eſt ac ſi dicas, Nobiſcum Deus. Igitur experrectus à ſomno Ioſephus, fecit ut ei præceperat Domini angelus, aſcivitque ſuam conjugem: nec eam cognovit, donec ea peperit filium ſuum primogenitum, quem Ieſum nomine vocavit. Matth. 1.

Vt

XCVIII.

Vt autem accidit tempore Noe, ſic etiam erit adventus filii hominis. Vt enim tempore, quod fuit ante diluvium, comedebatur, potabatur, contrahebantur invicē matrimonia, uſq; ad diem quo Noe in arcam ingreſſus eſt, nec antè cognitum eſt quàm venit diluvium, quod omnes ſuſtulit: ſic erit etiam adventus filii hominis. Tum ex duobus, qui ruri erunt, alter aſſumetur, alter relinquetur: ex duabus in piſtrino molentibus, altera aſſumetur, altera relinquetur. Matth. 24.

XCIX.

Tertio autem die nuptiæ factæ ſunt Canæ in Galilæa, ubi & Ieſu mater erat. Et Ieſus, ejúſque diſcipuli ad nuptias vocati ſunt. Cúmque defeciſſet vinum, Ieſum mater ſic alloquitur: Vinum non habent. Cui Ieſus: Quid tum poſtea? mulier, nondum venit hora mea. Mater miniſtros monuit, ut quod ille eis juſſiſſet, facerent. Erant illic poſita ſex lapidea ſolia, ut ferebat Iudæorum purificatio,

binarum ternarúmve metretarum capacia. Ea ſolia ut aqua replerent, juſsit eis Ieſus. Cúmque ad ſummum uſque replevißent, juſsit ut nunc haurirent, & convivii magiſtro ferrent. Atque illi tulerunt. Vt verò guſtavit convivii magiſter factum ex aqua vinum, ignarus unde eſſet (nam miniſtri quidã ſciebant, qui aquam hauſerant) ſponſum accerſit, & ſic alloquitur: Cùm omnes homines primùm bonum vinum apponant, deinde potis convivis deterius, tu bonum vinum hucuſque ſervaſti. Hoc præbuit miraculorum initium Ieſus Canæ in Gallilæa, ſuámque gloriam oſtendit, & ei fidem habuerunt ejus diſcipuli. Ioann. 2.

C.

Sunt autem manifeſta carnis opera, videlicet adulterium, ſtuprum, impuritas, ſalacitas, deaſtrorum cultus, veneficium, inimicitiæ, lis, æmulationes, iracundiæ, contentiones, ſeditiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia: quæ qui faciunt

(hoc

(hoc vobis prædico, quemadmodum jam prædixi) ij divinum regnum non obtinebunt. At ſpiritus fructus, eſt charitas, gaudium, pax, clemētia, benignitas, bonitas, fides, lenitas, cōtinentia. Contra talia non eſt lex. Qui ſunt autem Chriſti, ij carnem unà cum libidinibus & cupiditatibus crucifixerunt. Si ſpiritu vivimus, etiam ſpiritu gradiamur, ne ſimus glorioſi, invicem provocantes, invicem invidentes.

Galat. 5.

INDEX RERUM OBSERVATIONE DIgnarum in concionibus Nuptialibus.

A

Abnegare ſeipſum quid *pagina* 278
Abraham propheta 52
ancillam ſuam duxit in uxorem 57
timuit mortem 52.71
Abraham & Sara verè conjuges 48.57.76
Abrahami liberorum duplex ſtatus 61.78
Abſtemiorum tria genera 301
Abuſus quomodo corrigendi 285
Actionum noſtrarum regula 366.393
Adoleſcentum officium 449
Adoleſcẽtum ſuſpiria poſt ſe trahunt mulieres comptæ 218
Adulterium grande peccatum 100.124.461
hominem excæcat 386
viris & mulieribus fugiendum 335
Adulterii reus quis 262. *pœnæ* 462.384
Adulterio homicidium gravius 54
Adulterari quàm furari pejus 164
Affectus corporis violentiſſimus 297
Afflictorum neceſſitates Deus ubiq; videt 79
Agatha in ſervili veſte inceſſit 400
Alcibiades indifferenter creaturis Dei uſus 437
Alexander Magnus adulterio infenſus 100
Darii filias inviſere noluit 214.258

Am-

Ambulare in viis Dei quid 157
Amici Chriſti officium 309
Amor ex viſu 264
Amoris carnalis conditio 366
potentia 110.118.247.389
Amarulentiæ oppoſita 366
Anacharſis uxorẽ deformem formoſã reddidit 225
Anacharſis caſtitas 380
remedium contra ebrietatem 224
Ancillæ Agaris commendatio 64
Anima quando fiat meretrix 46
Animæ pulchritudo quæ 112
Animal nocentiſſimum quod 199
Annia alteri nubere noluit 340
Antiſthenes de pulchritudine parum ſenſit 167
Antiſthenis dictum de concordia fratrum 231
Anulus ſponſæ datus quid ſignificet 177.252
Anuum officium 444
Apoſtoli fuerunt conjugati 458
Apoſtolica præcepta, ut Dei præcepta audienda 369
Aqua quibus in vinum vertatur 330
Aſpectum inverecundum cur Deus coerceat 265
Avaritia nocet multis modis 421
Auditorum officium 394.402
Auguſtinus concubinam habuit 319
cum ſorore habitare noluit 390
Auguſtus Cæſar cupidiſſimus mulierum 379
Aulicorum mos 54

B

Bacchi deſcriptio 223
Beatus quis 237
Benedictio Domini quibus eveniat 153.155.330

Benedictus 303
Beſtiis nonnunquam homo pejor 199
Bias interrogatus de pernitie maxima quid reſponderit ibid.
Bona mulier quæ 203
Boum nomine qui intelligantur 176

C

CÆlibatus miniſtrorum aliquando promotus à Gregorio Pont. Rom. 321
nemini præcipitur 301
habet multum periculi 318
commodi 329. 339
Calumnia grave peccatum 134
Cantus fornicatorii abominabiles 168
Carnis noſtræ corruptio 352
Caſtitas donum Dei 127
quorundam non meretur laudem 299
Caſtitatis cuſtos infida neceſſitas 211
deſiderium unde 380. gradus 301
Caſtitati quomodo ſtudendum 377
Caſtrare ſeipſum quid 300
Catonem ſeniorem trium pœnituit 206
Chriſtiani hominis ſignum charitas 230
Chriſtianorum regula quæ 277
Chriſtianos dedecet eſſe ſimiles gentibus 376
Chriſtus ad nuptias quomodo invitandus 330
Chriſtus medicus animarum noſtrarum 267
Chriſtus ſervator virorum & fœminarum 407
ſponſus 311. 456
Chriſti & Eccleſiæ conjunctio magnum myſterium 345. 455

Chriſti

Chriſti dilectio erga eccleſiam qualis 367
Chriſti majeſtas 313
nuptiæ ſpirituales 272
beneficia 353
Chriſti Ieſu nomine aliquid facere 360
Chriſto ſponſo quid debeamus 312
Chriſtum in quibus imitari debeamus 277
Chriſtum ſcire melius quàm artes 179
Ciborum prohibitio doctrina dæmoniorum 433
Clodoveus M. ab uxore eruditus 469
Conceptus nomine quid ſignificetur 29
Concordia ſine patientia ſervari nequit 251
Concordiæ viri & uxoris excellentia 246
Concubinatus illicitus 319
Concupiſcentiam malam objecta excitant 264
Conjugale debitum duobus modis conſideratur 319
Conjugalis commiſtio 320
Conjugalis conſenſus liber eſſe debet à coactione 92. 356
Conjugalis copulæ excellentia 285.455
Conjugalem fidem frangere turpe 162
Conjugalitas humilis melior, quàm ſuperba virginitas 327
Conjuges contribules ducebantur ab Iſraelitis 304
debent eſſe concordes in religione 307.466
orare 396.479
conjunguntur à Deo 288. à miniſtris eccleſiæ 27
unde dicantur 288.453. una caro 287
ſuam regulam noſſe debent 465
Conjugum amor cur excellens eſſe debeat 249
concordia utilis 62.70.479
Deo placens 238

Conjugum exemplum 305.472
officium 62.76.177.319.351.459
opera, cultus Dei 465
Conjugum benedictiones in eccleſia quales 282
orationes Deo placentes 479
Conjugibus in eccleſia ſex capita proponi ſolent 26
Conjugium bonum & ſanctum 451
utile & neceſſarium 452
honorabile inter omnes 86.131.274
clericis non prohibitum 320
conceſſum epiſcopis 414
fauſtum quod 330
infelix 238
malè inſtitutum 464
ob quas cauſas ſuſcipiendum 317
in timore Dei ineundum 157
oratione incipiendum 361
per ſe non impedit pietatem 304
quid ſit 17.21.337
quomodo inſtituendum 303
Conjugium contrahentes quid ſpectare debeant 40
qui damnent 277.458
impium quæ conſequuantur 141
Conjugii author quis 21.208.432
commendatio 41.432
fines 317.452
nervi, adjuncta, uſus 18.457
Conjugio non illigari quà ratione bonum 315
qui uti debeant 297
Conjugio ablato de eccleſiâ, replebitur omni immunditia 298
Conjugia quomodo contrahenda 92.336

Cons,

Conjunctio maris & fœminæ ut legitima ſit tria requiruntur 147
Conjunx ob infidelitatem dimitti poteſt 292
Connubii tranquillitas unde 181
Conſcientia cauterio notata quæ 430
Continentiæ donum non omnibus datum 297
Continentem ſe præbere non impoſsibile 379
Contracturis matrimonium quid ſpectandum 236
Contubernia impudicorum vitanda 389
Convivia etiam à ſanctis agitata 76.148
Cor præſtantiſsima pars hominis 183
Corneliæ Gracchorum matris ornamenta, liberi 399
Coronæ impoſitæ capitibus ſponſorum et ſponſarum quid ſignificent 317
Corpus hominis quid 374
Corpus viri eſt uxor 321
Corporis membra duo accuratè cuſtodienda 380
Corporum noſtrorum legitimus honor 375
Corruptio humanæ naturæ 364
Cratis Thebani dictum de mœchis & ſcortatoribus 225
de pudicitia mulierum 242
Credulitas nimia vitioſa 123
Crux Chriſtianorum duplex 279
Crux non ſine vocatione tollenda 274
Curioſitas periculoſa 117
Cyri abſtinentia 258

D

Debitum reddendum conjugi 320
Dei benevolentia in homines ineffabilis 273

Dei contemptus 175
cultus 465. *filii* 35
potentia 12.75
voluntas 370
Demoſthenes noluit emere pœnitentiam magno pretio 388
Deo placere ſtudendum nobis 228
Deſponſatorum apud veteres temperantia 109
Deum timere quid 156
Diabolus author malarum opinionum 428
Dies domini inſtat 35
Dilectio Chriſti erga eccleſiam qualis 367
Dilectio conjugum qualis eſſe debeat 177.460
Dilectionis definitio 365
Dinæ exemplum 117.207
Dionyſius adulterium odit 385
Diogenis dictum de pulchro, ſed inhoneſto adoleſcente 166
de nocentiſſimo morſu. 199
de puella publica 214
Diſcordia ubi, ibi miſera vita 233.253
Divina clementia larga 143
Divortium cur permiſſum Iudæis 290
Doctrinæ antiquæ forma 230
Docere publicè mulieribus non permiſſum 402
Doctoris evangelici officium 441
Doctorum defectu perturbatur Eccleſia 176
Domeſtici ut tractandi 198
Domicilla noluit nubere gentili 143
Domus cujuſq; parva eccleſia 410
Donum præſtantiſſimũ puella bonis moribus 207
Dormire pro mori capitur. 335

Ebrie-

E

EBrietas animi morbus malus 183.221.388
quomodo evitanda 224
Ebrii malefacientes duplici pœna digni 222
Eccleſia mulier, & quod ejus officium 172.348
Eccleſiæ duplex ſtatus 113
Epicharmus poeta mulctatus 168
Epiſcopatus arduum officium 408
Epiſcopum oportet eſſe monogamum 413
Eſavitæ qui 104
Evangelion novo panno confertur 275
Eunuchorum tria genera 298

F

FAcere aliquid in nomine Ieſu quid 360
Fames ibi, ubi Abraham 49
Fauſta Conſtantini M. uxor 123
Felicitas privata non firma ſine publica 160
Fides quid 427
unde 468
Fidei unitatem non impediunt externi ritus 271
Filiæ ut tractandæ 256
quibus viris dandæ 207
Filii בן dicuntur 20
Fœmina quomodo formata 19
Fœminæ delicatæ non lactantes filios ſuos 76
Fœminæ arcani quid credidiſſe pænituit Catonem 206
Fœminarum eſt obedire, non imperare 30.251.403
Fœmur jurejurando ſacratum 85
Fons miraculoſus in Epyro 383
Forma quid 36

Fornicatio morbus ſanabilis 221
Fornicatio omnibus probibita 134
cur fugienda 139
Fornicationis pœnæ 384
incommoda 216
Fornicatione carnis ſequitur fornicatio mentis 183
Fratrum concordia Deo & hominibus placet 230
Fraus quid 322
Fures peßimi, ebrietas & ſcortatio 184
Furti pœna 164

G

GEneri quales eligendi 208
Gentes non noverunt Deum 375
Gnathæna meretrix reprehenſa à Stilpone 168
Gratiæ agendæ ante & poſt cibum 439
pro omnibus 360
Gravitas quæ deceat paſtorem 442

H

HEri ſordidi & avari 201
Hierocis dictum de verißima benevolentia 247
Hiſtorias veterum ſcire quando utile 107
Homo caro 38
fragilis 374
ſociale animal 246
ſæpe deterior beſtiis 199
Hominem eſſe ſolum, non eſt bonum 13
Hominum corrupta natura 352.364
Humilitas neceſſaria 327
Hypocritarum ingenium 270
malitia 429

Ia-

I

IAcobus filius obediens 102
uxores quatuor habuit 114
Idololatria eſt fornicatio 292
Idololatriæ malum 186
Iejunium verum 274
Iejuniorum tempus & uſus 271.322
Ignorantia non ſemper excuſat 55
Impii comparantur beſtiis 167.199
Impudicitiæ ſupplicia 384
Impuritas tyrannicum malum 372
Incontinentiæ incendium ut ſopiendum 318
Incrementum duplex in homine 45
Ioſephi tentationes graviſſimæ 122
Ira magnum malum 180
Iſaac quid ſignificet, & quando natus 75
Iſaac uxorem ſuam ſororem vocavit 99
Iſæus Sophiſta multum mutatus 221
Iſmael deriſor 77
Iuſtificatorum officium 369
Iuſti qui 307
Iurantium ritus antiquus 85

L

LAboris fructus à Deo expectandus 153.159
Leo quale animal 198
Leone occiſo mel inventum 150
Leonum ſimiles nunc laudantur, nunc vituperantur 200
Leonis Byzantii uxor obeſior illo 253
Lex cur data 263

Legis interpretatio qualis eſſe debeat 148
Legem implere venit Chriſtus 266
Libellorum repudii uſus 294
Liberi inſtruendi in timore Domini 190
Liberi ſunt in jure parentum 79.85.119.147
Liberos parere Dei munus 43.63.75.153.307
Liberorum inſtitutio optima 257
officium 194
propagatio finis conjugii 42
Liberis bene fit ob pios parentes 99
Libidinis ſignum 263
tentationes quibus accidant 163
ardor ut extinguatur 383
Locrenſis Zanclei judicium de ebrioſis 222
Loquacium mulierum exempla 241
Loquendi formula inter pios 194
Lucretiæ dictum de pudicitia 446
Luſus Iſaaci cum uxore 99
Lycurgi lex de tempore nubendi 188
Lyſimachus impatiens ſitis 387

M

Magiſtratus vocantur etiam ſacerdotes 130
Manus levare, orantium geſtus 356
Manuum ſuarum laborem manducare quid 185
Mala matrimonium clade afficientia 182
Maledicta, quando fiant præcepta 32
Marcus Antonius 208
Malitiæ vox variè capitur 259.261
Matrimonium non eſt ſacramentum, ſed commune Judæis & gentibus 344

remedium contra libidines 219
unde dicatur 432
ut contrahendum, & quando 92.108.83.118
tranquillum 181
Martia Catonis filia vidua voluit iterũ nubere 340
Matrimonii author 64.208
commendatio 11.41
definitio 21.337
onera 318.296.329
Matrimonium contrahere volentibus, quatuor obſervanda 142
qui prohibuerint 431
Matrimonia piorum, miniſterio angelorum geruntur 86
Medici boni ſtudium 267.465
Meretrices fugiendæ 213
Meretricum ſupplicium 135
Meretricibus adhærens nequam 226
Meretrix profunda fovea 183
Monica mulieres bene inſtruxit 406
maritum & filium ad Chriſtum perduxit 469
Mors olim juſtis terribilis 71
Mundo quomodo utendum 332
Mundi judicium & fidei differunt 49
Muliebris ſexus docilis ut virilis 236
Mulier, bona quæ 234 243
è coſta viri ædificata 19
fortis quæ 235
garrula quibus moleſta 241
mala & rixoſa 179.228
infirma 476
quando magnum bonum aut malum 170

marito ſubjecta eſſe debet 346.466
quamdiu aſtricta viro 334
Mulieris, amor fortis 247
afflictiones in conjugio 24
formatio 250
in matrimonio exiſtentis conditio 334
officium 174.345.406
Potipharis malitia 123
Mulierem quid dedeceat 166.473
Mulieres apud Ægyptios non utebãtur calceis 447
contumaces ſervæ ſatanæ 347
garrulæ 401
malæ 153
pejores viris 259
non pares viris 401
pavidæ 473
doctrina egent 465
Mulierum converſatio viris periculoſa 257.389
honor 373.476
ornatus duplex 390.470
verus 240
vires 225
virtutes 445
non eſt dominari in viros 127. 251.403.390
Mulieribus occulta non revelanda 206
Mundi hujus figura præterit 331

N

NEgociatio licita Chriſtianis 393
Nicolaitarum hæreſis 212
Nomina qualia liberis imponenda 130
Novum quod eſt, non ſemper malum 275

Nubendum quibus 317
Nubere, grande opus 207
prohibentes maledicti 43
Nuditas primorum parentum 24
Nuptialia convivia habere vetus mos 148
Nuptiæ quid 146
honorabiles 320.460
coactæ damnant 336
ut conficiendæ 94.108.149
ſecundæ approbantur ab Apoſtolo 336
cur inſtituantur à magnatibus 272
Chriſti cœleſtes 272
Nuptias congreſſus non debent prævenire 110
Nuptiarum ceremoniæ 149
præſes Deus 86.288
ſumptus vitandi 460
Nuptias, non eſſe obſtaculum ad pietatem 327
Nuptiis interfuit Chriſtus 327.432

O

OBedientia erga parentes principium totius boni 103
Occaſiones libidinis vitandæ 23
Oeconomia ut inſtituenda 173.204
quando felix 153
Oculi, nequam 264
ſcelerum duces 216
Oculorum cura gerenda 39.54.257
Opera noſtra, quomodo facienda 360
verè bona 464
religionis externa quando nihil valeant 270

Orandum ubi & quomodo 396.479
Ornatus mulierum 168.299
impudicus virginem dedecet 218
Othonis Tertii uxor mala beſtia 123
Otium ſequitur egeſtas 176

P

PAmbus videns mulierem theatralem flet 218
Parabolæ & Proverbia Salomonis 170
Parentes quomodo relinquendi 286
Parentum conſilio & voluntate connubia ineunda 92.147
officium 104.148.154.205
ſollicitudo ob liberos ſuos 255
gaudium 193
Pariendi labor quantus 29
Paſtorum officium 394
bonorum paucitas 442
Patientiæ exempla 107
Patientia conjugibus neceſſaria 251
Pauci electi 377
Paucorum vel juſtorum vel injuſtorum multi ἰπαυρόδσι 120
Pax recta aut perverſa quæ 251
Pax decet conjuges 157
Pacis domeſticæ fundamentum 233
Plato de vi oculorum 217
Peccandi occaſio fugienda 216.267.119
Peccata, de quibus dæmones maximè gaudeant 139
exigua fugienda 217.222
tribus modis ope Dei vitantur 70.198

Pe-

Peſtis innocentißima quæ 184
Petrum uxorem habuiſſe probatur 328
Pœna gravißima ſubtractio verbi Dei 38
Pœnitenda quæ 206
Philippus rex Maced. ſuſpectam habuit fortunæ indulgentiam 331
Polygamia damnatur 284 412
apud quos in uſu 413.115
Præceptum, Non mœchaberis ut impleri poßit 576
Præcepta Dei in ſe duo habent 364
Prodigalitas 222.421
Prolem cur patres tantopere expetiverint 308
Pudica quæ 211
Pudicitia ſingulare donum Dei 381
ornat mulierem 242
quomodo in nobis excitanda 377
Puella honeſta donum 207
Puellæ cur ſe ornent 36
Puella publica vinctum abduxit Olympionicē quendam 214.264
Puellarum officium 117.136
pravitas 134
Pulchritudo amorem excitat 110.217
mulierum, quid & qualis 36.166
vera 168.471
ut aſpicienda 40.218
Putei figurati ſcripturæ 129
Pythagoræ remedium adverſus ebrietatem 224
Pytho diis gratus 158

R

Repudii cauſæ 291.321

libellus, quibus permiſſus 206
Ritus externi in contrahendis matrimoniis 149

S

Sacerdotibus licere uxores habere 131.303
Sacris ſancti populi abuſi ſunt Sichemitæ 120
Saltatricem fugiendam eſſe 214
Samſonis nuptiæ 148
fortitudo & imbecillitas 213
Sancti qui 371
Sanctorum facta non omnia in exemplum trahenda 57.114
Sapiens quis 203
quàm felix 181
Sara ſoror Abrahæ 69
lactavit ipſamet filium 76
exemplum uxorum 472
dilexit maritum 54
Scorta formoſa ſimilia mulſo venenato 37
Scortandi occaſiones 163
Scortatio aufert cor homini 184
cur & quomodo vitanda 124.378.321
libidinem non extinguit 383
non melius quàm fugiendo vincitur 389
quæ mala importet 165.461
& ebrietas ſæpe conjunguntur 224
Chriſtianis ex gentibus cur toties prohibita 372
Scortatorum hæreditas 226
pœnæ 386
Senum officium 443
Servi fidelis exemplum 91

utilitas 108
Servi probi ut tractandi 204
Silentium & ſubjectio cur deceat mulieres 404
Sobrietas libidinem extinguit 388
Socerorum officium 193
Socratis continentia 379
ſententia de ſexu muliebri 235
de ducenda aut non ducenda uxore 318
patientia 250
Solum eſſe non eſt bonum 15
Σωφροσύνη quid 419
Speculum ſæpe inſpiciendum cur 169
Sponſæ officium 93.95
Sponſo cogitandum quòd & Chriſtus ſic vocetur 311
Sterilitas uxoribus non aſcribenda 63
Stultitia detrimentoſa 182

T

Taciturnitas virtus 241
Tempora poſteriora quæ 427
Tentatio carnis ut vincenda 383
Terræ repletio ſpiritualis 46
Ternarium formare, genus antiquæ doctrinæ 230
Teſcha Dionyſii ſoror 93
Themiſtoclis dictum 208
Theocriti dictum de bona conjuge 236
Teſtis falſus multifariam peccat 134
Timoris Dei diviſio 156
effectus 155
Triſtitia peccatum conterit 28

V

Valeria vidua manſit 340
Vas pro corpore accipitur 574.477
Veſtimentorum, cauſæ 399
expanſio 317
luxus 37
Veſtis indicat hominem 470
Viduæ nolentes iterum nubere 340
Viduarum libertas quæ 335
commoditas 339
Vinum & Venus auferunt cor 183.223
Vini vires magnæ 185.224
Vinculo conjugii ſtringi ſatius quàm laqueis ſatanæ 334
Vir felix 234
miſer 238.240
quando uxoris vocem audire debeat 76.404.569.349.
caput uxoris 347.473
unde dictus 476
ut relinquat parentes 22.246.456
Viri amor in uxorem qualis eſſe debeat 213.94.367.460
Viri & uxoris communio 22.453. *conjunctio* 21
Viro carere uxore non bonum 316
Viri quomodo ſe erga omnis generis mulieres gerere debeant 210
Virorum, cum mulieribus converſatio periculoſa 126.219.259
jus in uxores ipſis ſatis notum 351
labores 31
officium 188.197.350.473

quos

quorundam malitia 133

Virgines, non conſpiciendæ 215

quæ faciant quod non decet 165

olim ſolebant occultari 257

Virginitas uſq; ad nuptias ſervanda 136

Virginitas honoratior matrimonio 301

Virginitatis ſtatus felicior quàm conjugii 325

Virginitati duo dat Paulus 325

Virginitate humilitas magis neceſſaria 327

Virtutes mulieris quinq; 240

Vita felix 454

ut rectè inſtituenda 306

impœnitentibus præciditur 39

Viſus efficacia 217

Voluptatum illecebræ fugiendæ 215

Voluptates umbræ & ſomnia 221

Uxor œconomiæ adminiſtratione juvare debet 196

Uxor bona ſpeciale donum Dei 337

mala corrigenda 355.474

aut ferenda 191.180.257.311.478

qualis eligenda & accipienda 40.173.203

quatenus viro obedientiam præſtare debeat 363

viti comparatur 159

Uxoris officium 159.177.195.310.362.465

Uxoris, non eſt dominari 212

eſt maritum amare 445

ſequi 93

quæ non inventa virgo, pœna 135

Uxorem dimittere quando liceat 291

ducere non impedit Chriſtianiſmum 276

divitem ducere periculoſum 173

habere tanquam non habeas quid 338

non tangere quomodo bonum 315
rixoſam habere crux gravis 281.296
Vxores ducendæ parentum conſilio 47
de jure in viros ſuos magis quàm de debito cogitant 351
quando ducendæ 188
diligendæ 355.373.390
quorundam, ſorores vocantur 53
ut aſpiciendæ & tractandæ 475

X

Xantippe pondus grave 478
uxor Socratis rixoſa 250

Z

Zelotypo amore non amanda uxor 210

FINIS.

Errata ſic emendabis.

Pag.16. verſ.21.lege, Idem. 31.18.Spinam. 41.27.hunc. 50.27. quali. 77.32.ludentem. 132.2.aſſuetæ. 146.22. cognatione. 158.21. beatus es. 200. 21. Lib.2. 214. 22. μῦ ψαλ. 215.1.pivi. 229.20. eſt Deo. 251.16. patientiæ. 252.18.& Eccleſiaſtici 26. 258.16. ſolo. 296.11. moleſtias. 300. 20. Ieſa.56. 376.17. hac. 393.1. fuiſſent. 442.6. illam. 446.18.ac diſciplina. 456.17. vero. 470.21. habent. 473.2. ſuperſtitioſolum. 476.21.in appell.

Matrimonio an sit sacramentum 343